BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
36 M B
12
VII B 63 f 2a

p[ro]uerb[ia]. ecce p[ro]p[ri]u[m] m[in]us [illegible]
g[e]n[er]ati[o]n[is] ad decedendu[m]. li[n]ea re
ne [illegible] p[ro] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]
[illegible] [illegible] [illegible] reddidit domi[nus]

Viginti ſeptem

PSALMI INTERPRETATI authore Adriano Lametio Henencurio, Doctore Theologo, Ambianorum Decano, & Nouiomenſium Archidiacono.

CVM APPROBATIONE SAcræ facultatis Theologiæ Pariſienſis.

Bibliotheca S. Mariæ Transpontinæ

PARISIIS,
Proſtant apud Michaëlem Vaſcoſanum, via Iacobæa, ſub Fontis inſigni.
M. D. XLVIII.

CHRISTIANO LEctori Adrianus Lametius Henencurius, Sacræ Theologiæ Doctor, S.

VNVM EX multis collegi opus (amantiſſime Lector) tu ſi quid ſucci in eo videris(quæſo)deguſta. Ego certe nihil aut parum propria ex ſententia hîc ſum loquutus, ſed ſemper maiorum meorum dicta ſequor. Proinde nil mihi,ſed omnia eis aſſcribo. Interim autem tibi nũc cibum paucum porrigo, vt magis atq; magis placeat. Nam ſæpe & alimẽta quæ minus ſufficiunt,auidius ſumuntur. Plura vero poſtea (vt ſpero) accipies, ſi quandoque his modicis delecteris. In hoc tantum te deprecor nuſquã truncatè interpretationem hanc noſtram legas. Sed ſi quis tibi placeat Pſalmus à nobis interpretatus,hunc à principio vſque ad finẽ (quod dicunt à capite vſ-

que ad pedes) perlegas, vt ſic & ſententiarum connexionem, & ſenſuum vbertatem plane videas. Vale.

AD LECTOREM.

En venturarum diuina oracula rerum
Ingenio tanto explicuit Lametius, vno
Non dubiè vt cum Vate affletur numine, Vatis
Interpres, CHRISTIQVE agitarit Flamen vtrunque.
Hunc Iudææ lege, & diſces à Rege Propheta
CHRISTVM: aut méte tremes Dominũ, quẽ voce negabis.
Hæreticus legat hunc, ceſſabit pendere vili
Quos ſanctè obſeruat Romana Eccleſia ritus.

Adriani Lame-
TII HENENCVRII Doctoris Theologi, Expoſitio

IN PSALMVM PRIMVM.

Beatus uir qui non abiit in conſilio impiorum, & in uia peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilẽtiæ non ſedit.

SENTENTIA Hieronymi in Epiſtola ad Sophronium, Pſalmi eorũ dicuntur eſſe authorũ qui ponuntur in titulis. Et iſta eſt Hilarij regula, vt quotquot occurrerint Pſalmi non pręferentes titulo nomen authoris, ad eum conferamus cuius nomẽ erat in titulo qui proxime pręceſſit, vſq; ad eum qui ſequẽs nouum authorem habebit præfixum. Neque titulus verius aliquid eſt, quàm clauis ſeu intellectus per quem agnoſcimus in cuius perſona, vnuſquiſque Pſalmus cãtatur, qui ceu ſtellula prælucet ingreſſuris adytũ ſenſus myſtici, ac clauis officio fungitur. Vt quẽadmodum in domũ nõ ingredimur niſi per clauem, ſic & vniuſcuiuſque Pſalmi ſenſus maximè per titulum comprehendatur. Apud Hebræos etiam Pſalmi ordinẽ quidem ſuum habent, quem Eſdras illis tribuiſſe traditur, qui eandem operã præſtiterit in hymnis Hebræorum myſticis, quam Ariſtarchus præſtitit in rapſodiis Homericarũ cantionũ. Ferũt autem id (quod nec improbabile eſt) ne rurſus ordo ſemel ab Eſdra traditus confunderetur, ab interpretibus Septuaginta ſingulis Pſalmis ſuũ eſſe præfixum numerũ. Verum quando ita de titulis ordine ac numero Pſalmorũ diſſerimus, interim nodoſa quæſtio animum

pulſat. Nam Pſalmus de quo nunc agimus (ſententia Auguſtini) titulum non habet: de ordine quoque ac numero eius maxima controuerſia eſt. Cuius certè erit, qui nomen ſui authoris non refert? Hîc locum non habebit prænarrata ex Hilario ac Hieronymo in expoſitione Pſalmi octogeſimi noni ad Cyprianum, Scripturæ Sanctæ conſuetudo, quum iam nullus hunc præcedat Pſalmus, cui ſit additus titulus. Si plurimorum ſcripta ſequaris, dices Eſdram ſuæ recollectioni iſtam præfationem feciſſe, quemadmodum eruditi ſolét in frontiſpicio libri, carmé aliquod præfigere, quo lectori commendent opus ſequuturum, quo lubentius & attentius hauriat quod in volumine contine-tur. Sed hoc pacto hic Pſalmus non ad librum Pſalmorum, ſed ad Eſdram potius pertineret, tametſi extra controuerſiam ſit, hunc in volumine Pſalmorum à doctoribus recipi. Atque etiam ſi pro numero & ordine præſentis literæ contendas, referente Hieronymo, apud Hebræos hunc & ſe-
Act. 13. quentem Pſalmum vnum eſſe Pſalmum: iſtud cum Actis Apoſtolorum non quadrat, vbi hic locus (Filius meus es tu, ego hodie genui te) dicitur eſſe non de primo ſed de ſecundo Pſalmo. Tu ergo, ſi vis, animo coniicies hunc Pſalmum primum eſſe, & præfationem Spiritus Sancti, & pro-
1. Cor. 11. pterea titulũ nõ habere, quia capiti noſtro IESV CHRI-
& Epheſ. 1 STO, de quo totus agit, nihil debuit præponi, dum ipſum rerum omniũ conſtat eſſe principiũ, vt & vera ſit hæc alte-
Pſal. 39. rius Pſalmi authoritas, In capite libri ſcriptũ eſt de me. De CHRISTO igitur incipit ſermo: quẽ virũ à viribus, vel ab
Zacha. 6. aſſumpta humanitate appellat, vt inquit Zacharias, Ecce vir, oriens eſt nomẽ eius. NON abiit in conſilio impiorũ, per conſenſum ſuaſioni diaboli aſtipulando, quẽadmodum fecit primus noſter terrenus Adã, qui vxori à ſerpente deceptæ cito nimis credidit, & Dei aſſimilatione concupita, immortalitatem, ac ſtolam primam tum innocentiæ, tum impaſſibilitatis, tum indeuiabilitatis in mortem, ignorantiam, infirmitatem, malitiam, infinitóſque alios & labores & dolores, ſibi atque ſuis commutauit. Nõ ſtetit in via pec-
1. Cor. 15 catorum is ſecundus Adam, licet in hanc venerit naſcendo, & conuerſando cum peccatoribus. Quanuis enim paſſio-

nes ac

nes ac dolores ex reliquiis primi peccati profluĉtes pertulerit, neque tamen eum vſquã illecebra aliqua peccati attigit, qui peccatum non fecit, & in cuius ore non eſt inuentus dolus. Contrà vero, is primus parens in hac via lutoſa delicti ſtetit, quando pomum vetitum comedit. Sícque Deo inobediens, propterea etiam ſtatim ſenſit & ſibi carnem inobedientem. Tum demũ CHRISTVS in cathedra peſtilentiæ non ſedit. Noluit enim regnum terrenum cum ſuperbia, ſed dixit, Regnum meum non eſt de hoc mundo: & quum vellent eum facere regem, fugit. Hæc peſtis paſſim graſſatur, quia fere nemo eſt qui careat amore dominandi, & humanam non appetat gloriam. Ille autem mundanus Adam etiam in hac cathedra peſtilentiæ ſedit, quando vocatus vt culpam agnoſceret, atque veniam peteret, ſuperbus ſe excuſando, alteri crimen propriũ his verbis impingere ſtuduit, Mulier quam dediſti mihi ſociã, decepit me. Ecce quomodo miſeri facta noſtra vltimi agnoſcimus. Aut (ſi vis) etiam ad ſenſus humanos hunc totũ verſiculum referre potes, vt noſter affectus beatus ſit ſi non abierit in conſilio ſerpentis, & mulieris, id eſt in conſilio carnis & diaboli: aut ſi abierit, non ibi ſtet: ſi ſteterit, non ſedeat, id eſt non permaneat. Vel omnia ad mores cõferendo, iſta dicta accipe, quia tribus gradibus ſubrepit omne peccatum: Primus fit conſentiendo rei illicitæ, & ſic abimus in conſilio impiorum: Secundus impletur agendo prohibita, & tunc cum diabolo in via peccatorum ſtamus: Tertius eſt dicere aut docere non ſana, quod eſt in cathedra peſtilentiæ ſiue irriſorum (vt alij legunt) ſedere, quemadmodum faciunt hæretici, quorũ venenum (teſte Paulo) ſerpit vt cancer, qui merito peſtis dici poſſunt, quia non ipſi tantùm peccant, ſed morbo ſuo alios inficiunt: atq; iuſte IRRISORES nominantur, qui ad id furoris & miſeriæ perducti ſunt, vt homines virtutem & pietatem colẽtes derideant, & pro nihilo putent. CATHEDRA autem proprie doctoris tantũ eſt, cui tum morum integritas, tum eruditio non vulgaris authoritatem conciliarit. Non ſuffìcit enim magnum habere ingenium, & infinitam ſermonis ſupellectilẽ, & facile loqui, & purè, qualiter noſtro ſeculo

Eſa. 53. & 1. Petr. 2.

Matth. 4. Ioan. 18.

Gene. 3.

2. Tim. 2.

exiſtimant quàm plurimi, qui etiã ſi in his vix Palladẽ à primo limine ſalutauerint, ſtatim quicquid dixerint, grãde ſophos eſſe putant. De quibus Paulus, Scientia inflat, charitas
1.Cor.8. ædificat. Sed oportet ſimul & eloquenter & ſapienter di-
Sapien. 6. cere, propter quod nõ ait Scriptura, Multitudo eloquentiũ, ſed multitudo ſapiẽtiũ ſanitas eſt orbis terrarũ. Itaq; qui doctorẽ nõ ſanũ, ſed aurib' pruriẽtẽ idiotis mittit, ſimile malum facit cum eo qui fontem intoxicat, de quo totus populus vnius patriæ bibiturus eſt. Quapropter ſequitur,

Sed in lege Domini uoluntas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte.

Hæc omnia CHRISTO bene quadrant, qui à præceptis Patris nuſquam diſceſſit, ſed ſicut mandatum dedit Pa-
Ioan. 14. ter, ſic fecit: qui Patri fuit obediens vſque ad mortẽ, implens
Philip. 2. omnia quæ de eo ſcripta erãt in lege Moyſi & Prophetis &
Luc. 24. Pſalmis, quem ita exinaniuit obedientia, vt formã ſerui ac-
Philip. 2. ciperet, in ſimilitudinem hominum factus: non quòd fœtorem culpæ, ſed quòd infirmitatem naturę aſſumpſerit. Aut ſi iſtud ad fideles conuertere velis, certe non magna gloria fuerat præcedenti verſiculo ſuadere, declinare vitioſa, niſi nunc diceret & omnino laudanda. Non eſt laus perfecta fugere vituperanda, niſi ſequamur amanda. Igitur tribus duo refert, ſcilicet vt habeat bonus ſeruus CHRISTI ſynceram voluntatem, ac rectę volũtati iungat ſtudium in lege Domini: non vt ſecundum hanc legẽ diſputet, ſed vt ſecundum eã viuat, nõ ad horam tantũ, verũ DIE ac nocte hoc eſt in lætitia & tribulationibus. Etiã per DIEM potes legem nouam intelligere: per NOCTEM verò legem veterem,
Rom. 13. vti loquitur Paulus ad Romanos, Nox præceſſit, dies autem appropinquauit. Puto autem, nihil certius cura meditationéque ſua reperiet Chriſtianus quàm vtrunque Teſtamentum, quippe cuius author Deus, qui nec falli nec fallere po
1.Pet. 1. teſt. Non enim (inquit Petrus) voluntate humana allata eſt Prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati loquuti ſunt ſancti Dei homines, & Prophetæ. Qua in re luce clarius apparet indicibilis ſcribentium authoritas. Sic enim (vt inquit Auguſtinus)

Auguſtinus) Deus prius per Prophetas, deinde per ſeipſum, poſtea per Apoſtolos quantum ſatis eſſe iudicauit loquutus, Scripturam condidit quæ Canonica nominatur, eminentiſſimæ authoritatis, quam etiam ſolam Eccleſia recipit. Quare quum hiſtoriam recipias, quia hiſtoriographũ veracẽ iudicas, tu maximè huic Scripturę credas, quia hanc tibi verax & indeuiabilis Eccleſia tradit. Adde quod in ea nihil turpe ac flagitioſum ſpectandum imitandúmque proponitur: vbi veri Dei aut præcepta inſinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia poſtulantur. Porrò huius Scripturæ doctrina firmata Martyrum ſanguine, innumeris Confeſſorum ac Virginum approbata miraculis: quæ omnia miracula ſi quis facta eſſe non admittat, hoc nobis vnum grande miraculum ſufficit, quòd iam terrarum orbis CHRISTI reſurrectionem atque aſcẽſionem credidit (ſicuti loquitur Auguſtinus lib. 22. de Ciui. Dei. cap. 5.) Nec eſt quòd Iudæi ſuo veteri Teſtamento inhæreant, & noſtrum nouum damnent. Nam vt clarè oſtendit Paulus in Epiſtola ad Hebręos, vetus eorũ Teſtamentũ, noſtrum nouum (quod iam accepimus) repromittebat. Hoc modo nunc ſunt inſipidæ Iudæorum ceremoniæ ſine Chriſto: vmbra trãſiit, lux aduenit. Quid autem Sarraceni in ſuo Alcorano laudabunt, expectantes pro beatitudine (quod porcis conuenit) gulam ſcilicet & coitum? Quid idololatræ ſuis diis tribuent, colentes pro numine opus manuũ ſuarũ? Itaq; imprimis cura ſit Chriſtiano diurnã ac nocturnam actionem ſuam in meditatione doctrinæ huiuſce diuinæ legis exerceat, vt hoc quod Adam perdidit contemnendo, iſte cuſtodiendo inueniat. Hoc enim illud eſt quod per Moyſen olim Deus mandauit, dicens, Et erũt verba huius legis ſemper in ore tuo, & meditaberis ea, ſedens, ſurgens, & cubãs, & habebis ea in manu tua, erúntque immobilia ante oculos tuos. Hac via more Hebræorum ſuam legem Chriſticola non ab actu legendi aut ligandi, ſed ab actu docendi, doctrinam vocabit.

Hebr. 9.

Rom. 13.

Deute. 6.

Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo.

1.Tim.1. Iſta ſi ad CHRISTVM referas, ipſe verè fuit lignum quod fecit fructum in tempore ſuo: nam mortem deſtruxit, & vitam attulit. Nempe ſicut Adæ natura per eſum ligni vitæ primùm immortalis erat, hócque lignum quod in terreſtri paradyſo plantatum eſt: cuius iſta fuit proprietas tãtum vitę reſtituere in microcoſmo, quantum ipſe natura ſua deperdidiſſet: ita Deus Pater in ventre Virginis Mariæ, paradyſo virtutum, CHRISTVM noſtrum lignum ſalutiferum plantauit, quod vulnerato homini hoc in ſeculo medelam gratiæ, & in futuro fructum immortalis vitæ ac gloriæ contulit. Hac ratione Beata Virgo fuit is hortus de quo
Cant.4. in Canticis, Hortus concluſus, ſoror mea. Hortus, propter eius fœcunditatem, à qua germinauit hęc vitę arbor: Soror, quia de ea CHRISTVS humanam naturã aſſumpſit. LIGNVM vero illud fuit de aquis decurrentibus, quia in po-
Matth.15. pulo peccatore naſci voluit IESVS, qui non venerat niſi ad oues quæ perierãt domus Iſrael. Siue PLANTATVM eſt ſecus decurſus aquarũ: nam ſicut terre ſtris aqua defluẽs vita eſt lignorum virentium, ita ab iſta arbuſcula fons aquæ ſpiritualis inundat, à quo omnia Chriſtianorum ſacra irrigantur, ſicque manet ſecus ſpiritualem aquam vndique Ec
Ioan.4. cleſiam irrigantẽ. De hac aqua qui biberit, non ſitiet in æternum, ſed fiet protinus in eo fons aquæ viuæ ſalientis in vitam æternam. CHRISTVS inſuper arbor illa eſt quæ fructum fecit in tempore ſuo. Nam poſtquam clarificatus eſt Filius hominis reſurrectione & aſcenſione in cælum, miſ-
Act.2. ſo Apoſtolis Spiritu Sancto, & eis in fiducia Dei confirmatis, in populos fructificauit Eccleſia. Statim conſtructæ baſilicæ in quibus diuina ſacramenta atque lex tota excolerentur, vti hac de cauſa primùm conſtitutus eſt Beato Petro locus (ſcilicet cathedra) in Antiochia. Vides autem qualiter hîc CHRISTVS ſe lignum appellet, ſicut plerunque aliis in locis nonnunquam ſe vitem, quandoque montem, & etiam

& etiam vermem ac petram nominat. Quæ metaphoræ (teſte Auguſtino lib. 1. loquutionum de Geneſi) accipiendæ ſunt quaſi loquutiones quibus aliqua ſignificantia earum rerum quas ſignificant nomine appellantur. Neque copula Eſt, tunc reſoluitur per (ſignificat) vt ibi, Ego ſum vitis vera. Et in Sacris ſæpiuſculè ad intelligendas ſimilitudines ac tropos, partim ſermonis, partim rerum natura inueſtiganda eſt: vt quum de ſerpente dicitur, Eſtote prudentes ſicut ſerpentes: ſi naturam ſerpentis ignores, qua totum corpus ferienti obiicit, tantùm vt caput ſeruet, neſcies nos hoc ſermone admonitos ad aras vſque decertare vt CHRISTVM caput noſtrum defendamus. Verum enimuero dum hîc ſatis de CHRISTO diximus, ſupereſt ad alium ſuſceptum ſenſum redeamus. LIGNVM cui vir beatus hîc comparatur, etiam ſapientiam intelligere potes, de qua & Salomon loquitur, lignum vitæ eſt his qui ſequuntur eam. Eſt autem ſapientia diuinorum cognitio, qua reficitur interior homo, vt ſitis aqua. Sicut enim auis ad volatum, equi ad curſum, & ad ſæuitiam feræ gignuntur: ita propria eſt homini in his mentis agitatio atque ſolertia, vſque adeo omnes natura ſcire deſyderant: & magnum eſt etiam ſi ſupremis labiis tantum ſemel aliquid diuinorum arcanorum attigerimus. Quid mirum igitur ſi doctor à cuius ore formatur in animo auditoris huiuſmodi cognitio, nunc vitali ligno plantato ſecus decurſus aquarum aſſimiletur? Quippe dum quæ amplectenda & quæ fugienda ſunt docet: ſic verba vitæ habens mittit ad omnes quaſi imbrem gratiæ diuinæ, eloquia ſacra, & quicquid auditor extra didicerit, ſi noxium eſt, ibi damnatur: ſi vtile eſt, ibi inuenitur. Et quum hîc quiſque inuenerit, omniáque frugi alibi didicit, multo abundantius ibi inueniet ea quæ nuſquam alibi, ſed in illarum tantummodo ſacrarum Scripturarum mirabili altitudine & mirabili vtilitate diſcuntur. Hoc modo doctor dat fructum in tempore ſuo, quem pariter recipiet. Nam Eccleſiaſtici cap. 24. repromittit ſapientia diuina, Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Merito verò diuina eloquia aquis cõparauit Propheta, quũ nõ minus animæ illis irrigẽtur, atq; impinguẽtur q̃ aquis plantæ.

Ioan. 15. Danie. 2. Pſal. 21. Matth. 16. Matth. 10. Prouer. 3. Deute. 32.

Vnde & Chriſtus doctrinã ſuam Aquas appellauit, dicẽs, Si quis ſitit, veniat ad me & bibat, &c. Porro ſequitur, Et foliũ.

Ioan.7.

Et folium eius non defluet, & omnia quæcunque faciet ſemper proſperabuntur.

Chriſt⁹, noſtrũ lignũ vitę, primò folia protulit, deinde fructus: Folia fuerũt ei⁹ pręedicatio, illiúſq; miracula ac ſacramẽta, quæ ſigno ſenſibili (ſicut folia fructũ tegũt) inuiſibilẽ, latentẽ gratiã, ac interdũ ſimul diuinitatem chlamyde terreni corporis velatã etiã referãt: vti in Euãgelio ipſe de ſe loquitur, Opera quæ ego facio, ipſa teſtimoniũ perhibent de me: quẽadmodũ ex cortice vt ex fructu nõnũquã arbor deprehẽditur. Fruct⁹ autẽ iſtius arboris, fuit lapſi hominis reparatio, quẽ totũ ſanauit, ſicut totũ aſſũpſit. Vnde aptiſſimè hîc in laudẽ Saluatoris dicitur cõtrariũ Adæ, cui⁹ facta nobis aduerſa pepererũt: ſcilicet, Quęcũq; faciet ſẽper proſperabũtur. Neq; interĩ dictio (omnia) otioſe iacet, & hoc propter heroicũ actũ, quẽ in aſſumpta humanitate Plaſmator geſſit, redimẽdo genus humanũ. Iſtud tamẽ hoc in loco breuiter ac ſubmiſſè ſcribitur, vt oſtẽdatur humilitas hominis Chriſti. Idipſũ autẽ pluris facit Paul⁹ de iſto opere noſtrę reparationis ad Philippẽſes ita loquẽs, Propter quod & De⁹ exaltauit illũ, & dedit illi nomẽ quod eſt ſuper omne nomẽ, vt in nomine IESV omne genu flectatur. Poſt crucem ſiquidẽ in reſurrectione & aſcenſione manifeſtata & magnificata eſt illius diuinitas prius adũbrata: gloriã quoq; ſui corporis Chriſtus in paſſione meruit, ſicuti cõmunis eſt Doctorũ ſentẽtia. Intuere autẽ hîc verba Domini foliis comparata: quia ſicut folia fructus cõſeruãt, ſic verba Chriſti promiſſiones eius cuſtodiũt. Hæc nõ defluent, ſed certa & vera ſemper manent, ſicut in arbore palmæ folia nõ decidũt. De hoc in Euangelio, Cælũ & terra trãſibũt, verba autẽ mea nõ præteribunt. Quapropter neq; fructus, neque folia, id eſt neque facta neque dicta Doctoris talia docentis aliquãdo euaneſcẽt, ſed factis huiuſmodi nos tanquam fructibus ſpiritualiter paſcimur: dictis verò tanquam foliis obumbramur. Iuxta illud Apocalypſeos, cap. 22, Et fo-

Ioan.5. Philip.2. Luc.21.

22, Et folia ligni huius ad ſanitaté gentiũ. Sed non ſic impij.

Non ſic impij non ſic, ſed tanquam puluis quem proiicit uentus à facie terræ.

Immobilis firmitas ex repetitione oſtẽditur, & dũ negationẽ reiterat Pſaltes, quod impiis negatũ eſt magis cõfirmat. Non ſufficit autẽ Prophetæ declarare beatitudinẽ iuſtorũ in hac vita ex concurſu tot bonorũ ad ſimilitudinẽ fœcũdę arboris, ſed magnificat eam ex cõtraria diſpoſitione impiorũ. Ita efficaciſſimũ doctrinæ genus eſt & inuitare proſperis, & terrere aduerſis. Hæc enim differẽtia, ſcilicet quòd impij nõ ſic ſunt ſicut arbor talis, cui ſimilis eſt iuſtus, monſtrat quàm vtiliter iuſti declinãt ab impiis, atque ſimul, quaſi virtutis athletam oleo inungit, dum ex contrariis munit. Sicut enim folia in arboribus cadunt, deficiente humido calido quod ea compaginat, & ſtatim moriũtur: Sic impij aridi & ſteriles propterea exſiccantur & frigent, quia carent radice charitatis, bona in eis & conſeruantis & nutrientis, ac omni turbini tentationum cedunt. Vnde etiam nunc impius pulueri comparatur. Puluis ſiquidem licet de terra ſit, videatúrque habere terræ ſubſtantiam, tamen nihil habet ſolidum: huc, illúcque diſpergitur, nunquam in vno loco eſt, quocunque ventus traxerit, illuc eius impetus dirigitur. Sic & impius qui ſemel Deum negauerit, quocunque illum aura diaboli pepulerit, illuc errore perducitur. Per FACIEM verò TERRAE, eius ſuperficiem intellige, quã Terræ humeros etiam appellant, eo quòd ferat ac ſuſtineat corpora omnia quæ in ea ſunt: ſicut & Terræ ſinum, eam partem dicunt, quæ in ea eſt magis profunda. Prædicta inſuper quadrant peruerſo doctori, quem ventus ſuperbiæ & inanis gloriæ ad fingendum errores, ſuperſtitioſáſque ſectas excogitandum, impellit, ſicque à ſtabilitate mentis & virtutis deiicitur paruulus fluctuans, & circunfertur omni vento doctrinæ in nequitia hominum: ac quando inflatur hoc ſeductorio vento arrogantiæ, de ſoliditate terræ viuentiũ, quaſi puluis abiicitur, & tanquam ſubſtantia tenuis vitiorum flatibus ventilatur. Quæ mala præcauens ille qui inebriatur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis eius potatur,

Epheſ. 4

Pſal. 35.

Ibidem ingeminat, Nō veniat mihi pes ſuperbiæ. Ab hac terra vitæ,
Eſaiæ 14 proiecit iſta ſuperbia eū qui dixit, Ponā ſedē meā ad Aquilonē, & ero ſimilis Altiſſimo. Ab hui⁹ terræ facie proiecit etiā
Geñ. 3. eū qui quū guſtaſſet de ligno ꝓhibito, abſcōdit ſe à facie Deī.

Ideo non reſurgūt impij in iudicio, neque peccatores in concilio iuſtorum.

Quum pietas ſit propriè ad patrem, parentes, & patriam, ideo IMPII dicuntur, qui affectu vel opere contrariantur cæleſti patri vel patriæ: vt Impius ſit qui aut patrē aut patriā abnegat. Peccator autē eſt, qui quāuis Deū confiteatur, tamē peccat. De his nūc propheta ſcribit quòd nō reſurgūt in iudicio: nō quia nō reſurgēt: nā (teſte Paulo, 1. ad Corinthios cap 15) Omnes reſurgemus, tametſi nō omnes immutabimur: ſed immutari dūtaxat beatis cōtinget, quorū corpora prius mortalia & paſſibilia poſt finale iudiciū erunt & immortalia & impaſſibilia, teſte Apocalypſi, ca. 7, Non eſurient neque ſitient amplius, neque cadet ſuper illos ſol, neque vllus æſtus. Tamen nūc benè dixit auferri quod ſuperbi & impij ambiūt, ſcilicet vt iudicēt: & IDEO hi in iudicio nō reſurgunt, quia proiecti à Deo, iam de eis præiudicatū eſt, & iam
Ioan. 3. ſua infidelitate dānati ſunt, teſtāte Euāgelio, Qui nō credit in Filio, iā condemnatus eſt. Qua de re neq; adſunt iudicio diſcuſſionis, vt ſe iudicēt, ſeq; accuſēt & pœniteāt. Similiter
Sap. 3. NEQVE peccatores reſurgūt in cōcilio iuſtorū, videlicet vt cū ipſis iudicēt. Teſte enim Sapiētia, Iudicabūt Sācti nationes, & dominabūtur populis. Siquidem hoc in extremo die, quando Deus Pater dedit poteſtatem Filio iudicium facere,
Ioan. 5. quia Filius hominis eſt, aſſidebunt boni humanitati Chriſti
Matth. 19 tunc exequutiuè iudicāti, vti ſcripſit Matthæus, Vos qui ſequuti eſtis me in regeneratione, quum ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes, iudicantes (aſſeſſoria quidem dignitate) duodecim tribus Iſrael.
Eſa. 3. Ita loquitur Eſaias, dicens, Dominus ad iudiciū veniet cum Senioribus populi. Hoc verò iudicium in cōſilio fiet. Nam
Deute. 25. diuerſa peccata, diuerſis pœnis punientur, & ſecundum mēſuram delicti, erit plagarum modus. Quare quum peccatores ab iſto conſilio hîc dicuntur expellendi, tantundem intellige

tellige acſi ſcriptum eſſet illos non reſurgere ad iudicandũ: quibus fit vt paucis hîc ſimul deſcribatur iuſtorum electio, & impiorum reprobatio. Aut ſi vis omnia tibi clariora lege nunc cum Hieronymo (in congregatione iuſtorum) pro his verbis, In concilio iuſtorum: Obſeruandum eſt autem quòd quum Moyſes de reſurrectione nihil aut parum nobis manifeſtè tradiderit, primus omnium Dauid eam apertiſſimè nos docere incœpit: Sequitur, Quoniam nouit, &c.

Quoniã nouit Dominus uiam iuſtorum, & iter impiorum peribit.

Vide prudentiã Dauidis: redit ad principiũ Pſalmi, reddẽs ſimul rationẽ & ſeparationis iuſtorũ ab impiis, & aſſertę beatitudinis iuſtorũ ex merito declinationis à viis iniuſtorũ. Totũ illud, Ambulare in cõſilio impiorũ, Stare in via peccatorum, Sedere in cathedra peſtilentiæ, ſeu deriſorum, via impiorũ eſt. Totũ verò illud, Volũtas in lege Domini, Meditari die ac nocte in doctrina Dei, Via iuſtorũ eſt. Vtraque hîc tractatur: & ex meritis viarũ, nũc reddit Pſalmiſta rationem terminorũ & præmiorũ. Sic quàm maxime prouidẽtię ordinẽ inchoauit Spiritus Sanctus, vt hominũ imbecillitatẽ ad fidei ſtudiũ beati viri ſpes alliciat: inſolentem impietatem intra metum, denũtiata impiis ſeueritas coerceat. Meriti differẽtiã in cõſiliis ſanctorũ conditionis ordo diſtinguat, Dei magnificentiã in cognoſcendis iuſtorũ viis, ęquitas cõſtituta demonſtret. Iſtud autẽ quod nunc dicitur Dominum noſſe viam iuſtorum, intellige quaſi malos ignoret, vt alibi loquitur, Diſcedite à me operarij iniquitatis, non noui vos: Luc. 13.
neq; tamẽ tanquã aliquid neſciat Deus, ſed quẽadmodũ nouit ſalutẽ medicina, morbos autẽ nõ nouit, & tamẽ etiã morbi arte medicinæ cognoſcũtur: ita dici poteſt Dominũ viam impiorũ nõ noſſe, quia hãc non approbat. Hac ratione quũ peccaſſet Adã, interrogauit vbi eſſet: quod obſeruauit etiã Geñ. 3.
in Cain, & in multis aliis. Vnde ſequitur, ITER impiorũ peribit, vt hoc ſit, Neſciri à Domino quod eſt Perire, & hoc ſit Sciri à Domino, quod eſt Manere. Vides autẽ hîc quàm clemẽter nõ impij peribũt, ſed impietas. Aut iſtũ locũ intellige, quòd iter impiorũ ſit diabolus, qui certò certiꝰ peribit.

IN PSALMVM SECVNDVM.

Qvare fremuerunt Gentes, & populi meditati ſunt inania?

Audacis eſt(inquit Hieronymus)hunc Pſalmum interpretari velle poſt Petrum, imo de eo ſentire aliud quàm in Actis Apoſtolorum dixerit idem Petrus. Verba autem Petri & Apoſtolorum in Actis, talia ſunt, Domine, tu qui feciſti cælum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt, qui Spiritu Sancto per os patris noſtri Dauid pueri tui dixiſti, Quare fremuerunt gentes, & populi meditati ſunt inania? &c. quæ ſatis oſtendunt hunc Pſalmum à Dauid editum: & quomodo totus ad literam de Chriſto accipiendus eſt, inſinuant. Vti etiam idipſum firmat Paulus ad Hebræos, cap. 1. & Actorum 13. hoc contextu, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quibus verbis vincũtur Rabbini hũc Pſalmum ad literam de Dauid exponentes: præfata ſiquidem nuſquam ipſi Dauid quadrare poſſunt. Nam ſi teſtimonio eiuſdem Pauli, illa nulli angelorũ aliquando prolata ſunt, neque etiam de puro homine id factum eſſe credere debemus. Adde quòd licet in ſacris nonnũquã & angeli & ſancti per adoptionem filij Dei nominentur, nunquam tamen dicuntur à Deo geniti, qualiter hoc in Pſalmo, Deus pater ad Filium loquitur, Hodie genui te. Nullus ad hæc in toto Bibliorum volumine ſiue angelus ſiue ſanctus, aliquando appellatur in ſingulari, Filius Dei. Vnde Numeri cap. 12, quum Deus ipſius Moyſi excellentiam narraſſet, ait, Seruus meus Moyſes in domo mea fideliſſimus eſt. Nunc igitur accipiamus hunc Pſalmum de Chriſto, in quo, ob certitudinẽ prophetiæ, ponitur tempus præteritum pro futuro, vti & in hoc loco Eſaiæ, Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis. Nam in prophetia, ob certitudinem reuelantis, ita ſunt certa futura ac ſi eſſent præterita. Et quidem diligenter ſecundum propheticam ſcientiam vnicuique generi & nomini ſingulorum quorumque verborum eſt proprietas coaptata, vt Gentes fremuerint, imperito ſcilicet

Act. 4. — Heb. 1. — Iob. 1. — Ioan. 1. — Eſa. 9.

motu, inconditoque (ferarum more) Dei filium in corpore cernentes & odientes: quæ vſque adeo fremuerunt, vt corona ſpinea caput eius compũxerint: veſte regia indutum, ſalutatione atque honore Regis illuſerint: arundine caput Ioan. 19.
contuderint, lancea denique latus perfoderint: quæ omnia cohors Gentilium militum Pilato ſubditorum, ex fremitu Matt. 27.
debacchantis iræ in Chriſtum, geſſit. Iſrael autem hîc popu Ioan. 19.
li appellatur, quia tunc habitatores Hieruſalem erant non tantũ filij Abrahæ ſecundum carnem, ſed multitudo populorũ in appellatione Iſrael. Sicuti in Actis Apoſtolorũ ſcri- Act. 2.
bitur, Erant in Hieruſalem habitantes Iudæi, viri timentes Dominum ab omni gente quæ ſub cælo eſt. Hi verò meditati ſunt inania: non enim impleuerunt quod voluerunt. Inuidia ſiquidem ac auaritia eorum faciente, tradiderunt Meſſiam Pontio Pilato crucifigendum, ſperantes ſic Chri- Ioan. 11. Matt. 21.
ſtum perdere, & locum ac reditus ſuos indemnes ſibi ſeruare: neque agnouerunt Seruatorem natum in medio terræ eorum: ſed vti ſcribitur Ioannis cap. 11, Collegerũt Pontifices & Phariſæi conſilium, & dicebãt, Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent noſtrum locum, ſcilicet ciuitatem ac templum & gentem eam captiuando. Neque tamen propterea his inanibus conuenticulis ſibi aut rebus ſuis vſquam conſuluerunt. Sed agnoſcat Chriſtianus quantum euanuerunt in ſtultis cogitationibus ſuis. Quem enim putabant cruce perdere, fecerunt per crucem & mortis victorem, & de morte triumphatorem (quemadmodum prædixerat propheta Oſeas, Ero mors tua ô mors) Oſeæ 13.
nec quæ timebant mala euaſerunt: quin exiſtimãtes vitare Syllam, ceciderunt in Charybdin. Ipſi enim & patria & ſacerdotio ac omni iudiciaria dignitate ſemp ſerui ac peruagi deſtituti ſunt, hoc modo portantes ſanguinem Chri- Matt. 27.
ſti ſupra ſe ac ſupra filios ſuos. Iſtis adiice incommoda quæ in hac communi deuaſtatione eos inuenerunt: ſiquidem, teſte Ioſepho, tunc inuenta eſt mulier, quæ pręanguſtia fa- lib. 7. de
mis filium proprium comedit. Tunc etiam (vt ſcribit Flo- bello Iu-
rus) multa cæde Iudæorum feſſi Romani milites, quærebãt daico, c. 8
quibus Iſraelitica mancipia captiua venderent: & quum

plurimi vænales, & pauci inuenirentur emptores, non deſuêre qui triginta mancipia vno numiſmate mercarentur:
Matth.26 vt ſicut Dominum emerant triginta denariis, ſic in vindictam denario vno triginta venderentur. Ecce quomodo
Luc.19. peſſundata ciuitas Hieruſalem, eò quòd non cognouerit tempus viſitationis ſuæ, quæ Chriſti doctrinam non ſolum deſpexit, ſed & ipſum vſque ad mortem perſequi non deſtitit. Proinde ſequitur,

Aſtiterunt Reges terræ, & principes conuenerunt in unum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius.

Hic depingit complices & authores mortis Chriſti. Reges verò terræ, cognominati ſunt Herodes tetrarcha, & Pilatus præſes, quia iure terreni imperij aſtiterunt, ac cõmuni tetrarchæ & præſidis iudicio in Dominũ confirmata eſt dãnationis paſſio. Intellige autẽ hunc locũ non de Herode Aſcalonita, filio Antipatri Aſcalonitæ, ſub quo Chriſtus natus,
Matth.2. & in Bethleẽ omnes paruuli occiſi. Iam enim (vt tradit Eu-
Hiſtor. Eccleſi. lib. 1 c. 9. ſebius) is deceſſerat morbo intercutis atque ſcatentibus toto corpore vermibus, poſtquã primus alienigena ſceptrum de Iuda abſtulerat, interfectis Hircano & Antigono filio eius, ſorore quoque Antigoni, vxore ſua, & pulſis ſingulis de ſtirpe Regia, ac deletis omnibus Zamedrim, ad vnum qui dicebatur Baba, cui (referente Ioanne Annio) o-
Luc.23. culos eruit. Sed præſentia accipienda ſunt de Herode fi-
Matth.14 lio Aſcalonitæ, ſub quo CHRISTVS paſſus, & Ioannes in vincula coniectus eſt. Mortuo enim Herode Aſcalonita,
Matth.2. diuiſum eſt per Auguſtum regnum eius in duas portiones: vnam habuit Archelaus filius eius, quæ dicta eſt Iudæa: reliquam aliis duobus fratribus Archelai iunioribus, petentibus etiam regnum, diuiſit: vnam dedit Herodi, &
Luc.3. factus eſt tetrarcha Galilææ: alteram dedit Philippo, & factus eſt tetrarcha Ituræ, & Traconitidis regionis.

Quid mirum autem ſi nunc hîc reges terræ appellentur & dictus Herodes, & Tiberij procurator in Iudæa, Pontius Pilatus? nam & tunc in Iſrael perſonam Imperatoris agebant,

gebant, iudicantes, ac cenſus & tributa exigentes. Centurio quoque, de quo Ioannis quarto, ſub Imperatore conſtitutus ad cuſtodiam Galilææ, propterea, vt videtur, regulus appellatur. Meritò autem hi aſtitiſſe dicti ſunt, quia ſacrilegis mentibus conſentientes in vno ſcelere conuenerunt. Omnes enim cæco amore regnandi ducti, in iugulum innocentis Chriſti conſpirant. Pilatus, ne perderet procurationem, Dominum, in quo nullam cauſam mortis inueniebat, ad mortem condemnat: Herodes, ne expelleretur à Galilæa, in tantum facinus conſentit: Principes etiam ſacerdotum, ne ſuis rapinis fraudarentur, clamauerunt, Tolle, crucifige: ſanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros: Scribæ & Phariſæi ſedentes ſuper cathedram Moyſi, timentes hanc ſuam amittere iudiciariam dignitatem, Meſſiæ contradicentes, dixerunt, Reus eſt mortis. Sic omnes per auaritiam & inuidiam tradiderunt ſanguinem innoxium, quomodo Ioſeph per inuidiam à fratribus & traditus & venditus. Neque tamen hîc omnino improbabile eſt ſentire ſimplices Leuitas per lineam maſculinam à Leui deſcendentes (qui ſcilicet neque ſacerdotes erant, ſed tantum aut cantores, aut excubitores, aut delatores vaſorũ, & miniſtri pręparando hoſtias in templo) nuſquam in hanc Domini necem conſenſiſſe. Nam Euangelium ſolum meminit de Pontificibus, Sacerdotibus, & ſummis Sacerdotibus, Scribis, ac Phariſæis: de Leuitis autem tacet, quod vtique non accidiſſet, ſi etiam hi aſtitiſſent. Nam pari ratione eorum nominatim meminiſſe debuit, ſicut & de his pręcipuè meminit Ioannis primo, Miſerunt ad Ioannem Sacerdotes & Leuitas interrogare, Tu quis es? Neque enim mors CHRISTI opus minus inſigne fuit, quàm teſtimonium Ioannis de ſeipſo. Hæc verò inter Leuitas, Sacerdotes, & ſummũ Sacerdotem primùm erat differentia iuxta ordinẽ filiorum Leui, Gerſon ſcilicet, Caath & Merari. De Caath ſiquidem deſcẽdit Aarõ, qui fuit ſummus Sacerdos, cuius primogenitus erat ſummus Sacerdos. Reliqui ſacerdotes à Gerſon & Merari originem traxerunt: alij ſimplices Leuitæ, quorũ erant decimæ: ſicut primitiæ quæ voto offerebãtur, ſacerdotibus

Ioan. 19.
Matth. 27
Matth. 26
Gen̄. 37.
Exod. 6. & 28.

Heb. 9. contingebant. Summus autem ſacerdos qui ſolus in ſancta
Num. 18. ſanctorum ingrediebatur, recipiebat à ſimplicibus Leuitis decimam decimæ. Et hi omnes, vt dicit Auguſtinus, naſcebantur, non fiebant. Porrò quum perdidit Synagoga ſuos primæuos mores, cupiditate auri factũ eſt, vt plures ſummi ſacerdotes ex æquo crearẽtur, quorum pontificatus adhuc
Ioan. 11. ſingulis annis vendebatur: vti ſcripſit Ioannes de Caipha, quòd erat Pontifex anni illius. Itaque in Euangelio, Principes ſacerdotum, ſunt ſummi ſacerdotes, quorum magiſtratus, vt dictum eſt, tunc vẽdebatur: Seniores populi, intelliguntur concilium ſeptuaginta: Scribæ, cenſentur legis doctores: Phariſæi, religioſi, quos præuidit hîc regius Pſaltes, in noſtrum lapidem angularem, Chriſtum, conſpiraturos. At quum nuſquam ſimplices Leuitas iſtius criminis accuſet, quid mirũ ſi probabile exiſtimemus eos huius tanti ſceleris non fuiſſe cõſcios? Quemadmodum etiam ſuper hoc Moyſes vaticinatus videtur Deuteronomij cap. 33, ita de tribu Leui loquens, Perfectio tua & doctrina tua à viro ſancto tuo, quem probaſti in tentatione, & iudicaſti ad aquas contradictionis. Quæ verba nil verius quàm Chriſtum referunt à Leuitis probatum, & exceptum. Nec eſt
Gen. 49. quòd quis obiiciat hanc Iacob prophetiam, de qua in Geneſi, Simeon & Leui vaſa iniquitatis. Nanq; pro Leui hæc tãtum in perſona ſacerdotũ dicta accipi poſſunt, qui ab altero filiorum Leui, vt dictum eſt, deſcenderunt: De Simeone verò, hoc bene quadrat, ſiquidẽ ab eo venerũt Phariſęi. Iſti igitur principes in vnam concluſionem definitis conſiliis coierunt aduerſus Dominũ, id eſt patrem, & aduerſus Chriſtũ eius. Pręcipuè verò dicitur EIVS, quia ſingulariſſimè Chriſtus eſt Domini per gratiam vnionis perſonalis. Quòd ſi, vt in multis exemplaribus, in plurali numero legamus Aduerſus Chriſtum eorũ, relatio illa extẽdenda erit
Philip. 2. prout ſupradictũ eſt, tam ad Iudæos quàm ad Gentes: quoniam illi omne genu flectitur cæleſtium, terreſtrium & infernorum. Subiungit textus,

Diſrumpamus uincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipſorum.

Duos præ-

Duos præcedentes verſus vel angeli vel prophetæ ſunt
loquuti, mirantes quare humana temeritas aduerſus Dei fi-
lium conſurrexerit. Ab iſto autem verſiculo Dominus ipſe
reſpondet, cohortans populum Gentiliũ, & omnes qui ſibi
ex Iudæis credituri ſunt, vt legalia vincula diſſoluãt, & gra
ue onus legis abiiciant, quod non potuerunt portare pa- Act. 15.
tres eorum Ea enim lex, teſtante Talmud, continebat ſex-
centa & tredecim præcepta data (vt dicunt) Moyſi: quare
de ea ſcripſit Paulus ad Galatas, quòd in ſeruitutem ge- Gal. 4.
neraret. Nunc verò hîc Dominus ac Apoſtoli, horum qui
& fremuerunt, & inania meditati ſunt, vincula diſrum-
pentes, adhortantur ſingulos, ſequamur eum cuius iugum
ſuaue eſt, & onus leue. Sed vtriuſque ſermonis ratio ſerua-
tur, vt vbi vincula diſrumpuntur, nullam perſonæ ſuæ ſi- Matt. 11.
gnificantiam addant Apoſtoli: vincula enim idololatriæ
non ſibi, ſed Gentibus diruperunt, vti teſtatur Paulus ad
Galatas, de Gentibus ita loquens, Tunc quidem igno- Gala. 4.
rantes Deum, his, qui natura non ſunt dij, ſeruiebatis.
Vbi verò abiiciunt iugum, illic dicendo, Proiiciamus à
nobis, non de aliis quàm de Iudæis loquuti intelligantur,
vt nequaquam vltrà conuertantur ad ſua iudicialia, &
ceremonias, quibus denuò ſeruiant, quas Paulus nomi- Gala. 4.
nat infirma & egena elementa: quòd ſcilicet nuſquam ad Heb. 7.
perfectum adduxit lex, & infirmo & pauperi ſenſu popu-
lo data in deſerto, qui non poterat tunc accipere aut ſuſti-
nere maiora, ſed omnes amplectantur ſuauem CHRISTI
legem, & credant Euangelio. Aut, ſi vis, hoc aptè duris
& rebellibus conuenit, qui nolunt ſuaue iugum CHRI-
STI ſibi imponi, & qui renuunt ſuperioribus ſubiici,
ſemper ſicut vipera iſtud ſibillantes, Cur præcepit nobis
ſuperior? & quodam cordis faſtidio præcepta fidei ac
religionis Chriſtianæ, vincula, & funes appellantes:
tanquam ſint humanarum mentium ligamina, tollentia
libertatem noſtri animi. Neque animaduertunt liberta- Gala. 5
tem Chriſtiani eſſe, non libertatem carnis, ſed Spiritus.
Quanquam & poſſit aliter intelligi, vt ex eorum perſo-
na, quos diximus inania meditatos aduerſus Dominum,
iſta etiam excogitata recipiamus, quaſi dixerint, Demus

[library stamp, partly legible]

operam vt Chriſtus nos non alliget, neque imponatur nobis illius religio. Sic digni qui comparentur iumentis inſipientibus, quæ non prius proiiciunt iugū, quàm vincula & fræna quibus alligantur & componuntur, diruperint, hoc modo fractis habenis paſſim diuagando. Ita hi ſtulti ſua vaniſſima voluntate decepti, non agnoſcentes quòd pro eis liberandis Meſſias in terram deſcēdiſſet, dominationem eius putauerunt grauiſſimam. Quare factum eſt vt id quod eos continere ac ſeruare poterat, hoc infeliciter miſeri abiicere feſtinarent, ac ſubiectionis iugum recuſarent, quibus ipſo etiam iure naturæ tam Filio quàm Patri deuincti erant. Sed qui habitat in cælis, &c.

Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus ſubſannabit eos.

Hîc repetita eſt ſententia: nihil horum tamen ſapere oportet carnaliter, quaſi aut buccis Deus irrideat, aut naſo ſubſannet: ſed ea vis accipienda eſt quam dat Spiritus Sanctus. Sic per humanæ ſermocinationis exempla, affectus Dei diſcimus, non quòd ille quempiam derideat (abſit hoc nos corporaliter de Deo exiſtimare, quod quidem etiam in grauibus viris reprehenſione dignum arbitramur) ſed irriſione dignos oſtendens Dominus Iudæos, ſubſannabit, quando in vltionē ſuæ proditionis per totum mūdum peruagi, nullibi cubitum terræ poſſident. Eis, quod verebātur, accidit, dum templo ariſque deſtructis, à patria ſine vlla ſpe
Amos 2. reuertendi exulant, vti prædixerat Amos, Super tribus ſceleribus Iſrael & ſuper quatuor non conuertam eum, pro eo ꝙ vendiderit argēto iuſtū. Ter peccauit Iſrael, ob quod ter captiuatus eſt, ſed tunc ſemper liberatorem aſſequutus. Primum ſcelus fuit, quando fratrem ſuum Ioſeph ven-
Gen. 37. didit viginti argenteis: ob quod facinus fuit in AEgypto captiuus ducentis decem annis, quibus expletis reduxit eum Dominus in terram ſuam, tempore Ioſue. Secundum peccatum cōmiſerunt Iſraelitæ, quādo promiſſionem factā patribus de Meſſia ſub nomine Dauid deſpexerūt, dicētes,
3. Reg. 12 Non eſt nobis pars in Dauid; & ſibi duos vitulos formauerunt,

uerunt, atque adorantes eos, dixerunt, Hi ſunt dij tui Iſrael. Ob quod delictum captiuauit Dominus Iſrael per regem Aſſyriorum. Tertium ſcelus fuit, quòd diuerſa idola colentes, immolabant eis non ſolum pecudes, ſed etiã proprios infantes: vt habetur Ezechielis, cap. 23, Filios ſuos quos genuerunt mihi, obtulerunt idolis ad deuorandum. Addequòd Prophetas, ſuper hoc & alijs criminibus eos arguentes, interfecerunt. Propter quòd à Rege Babylonis ſeptuaginta annis peſſundati ſunt. A qua ſeruitute reducti per Zorobabel, tandem crimina criminibus coniungentes, his tribus horrendis addiderunt quartum, morti innocentem IESVM CHRISTVM tradendo. Cuiuſce rei cauſa Hieruſalem ſubuerſa, templum ſolo tenus deſtructum, & per Vaſpaſianum & Titum, ac deinde per Adrianum Imperatorem debellati Hebræi, ſemper poſtea miſeri, iugum ſeruitutis ad omnes perpetuò portant, vt impleretur ſermo qui in lege eorum ſcriptus eſt, Quia odio habuerunt me gratis. Quemadmodum etiam prædixerant Prophetæ, ſcilicet quia Synagoga ſic odio gratis haberet CHRISTVM ac eius diſcipulos, propterea educeret Deus gladium de vagina ſua, irreuocabilem. In primo enim ſanctuario hæc fuerunt peccata, idololatria, auaritia, & effuſio ſanguinum: quemadmodum ſcribitur Eſaiæ cap. 3. Hiere. 6. & Ezech. 22. Supererat vt infelices his adiicerent quod ſcriptum eſt in Matthæo, ſcilicet quia filij erant eorum qui Prophetas occiderant, implerent menſuram patrum ſuorum: quod fecerunt, maiores ſuos malicia vincendo, quando Meſſiam (cuius ſerui fuerunt omnes Prophetæ) cruce perdiderunt. Nec eſt quòd hi abiectiſſimi apellæ, fæces totius orbis, amplius reædificationem ſui templi in Hieruſalem ciuitate minoris Siriæ expectent: nam hoc ſatis refellit Hieremias, ita loquẽs, Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes, Templum Domini, templum Domini, templum Domini eſt. Siquidem ex Prophetis luce clarius cõſtat in terra duntaxat fuiſſe apud Hebræos duo templa, nec templum ſecundum ſequitur aliud materiale, vti ſubſcribit Amos, Domus Iſrael

Exod. 32. Hiere. 25. & 29. Matth. 27 Pſa. 68. & Ioan. 15. Matth. 23. Hiere. 7. Amos 5.

cecidit, & non adiiciet vt reſurgat. Sed tertium illud templum futurum eſt in cælo & in Hieruſalem ſuperna: iuxta
Eſa. 2. & illud, Erit in nouiſſimis diebus mõs domus Domini in ver-
Mich. 4. tice montium, &c. Ex quoquidem templo Dominus tunc loquetur ad eos in ira ſua, &c.

Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo conturbabit eos.

Priuſquam quis iſte iræ ſermo, & quæ hæc indignationis perturbatio ſit, oſtendamus, admoneri legentes atque audiẽtes oportet, ne aliquas demutationes paſſionum, perturbationeſque motuum cadere in Deum credant. Sed de ira Dei & Lactantius librum pulcherrimum ſcripſit, & ipſe Origenes creberrimè diſputat non tam iram eſſe quàm neceſſariam correptionem: vt patris in filium, medici in ægrotum, magiſtri in diſcipulum. Has tamẽ loquutiones Biblia continent. Nanque ſacra Scriptura paruulis congruẽs, nullius generis rerum verba vitauit, ex quibus quaſi gradatim ad diuina noſter intellectus aſſurgeret. Nam & verbis & rebus corporalibus ſumptis, interdum vſa eſt, quum
Rom. 1. de Deo loquitur, hoc modo, Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt manifeſta faciens. Si tamen Græcæ dictionis, θυμός, veriorem ſignificationem poſtulamus, furorem, indignationem, ſeu potius excandeſcentiam quis dixerit: ita vt excandeſcentia motus ſit ad iram: ira verò (iuxta eãdem Græci nominis ethimologiã) vehementiorem & cõcitatiorem ad vindictam denotet furorem. Itaque, nũc ira, poſtea furor ponitur, vt duplex Dei punitio ſignificetur. Prima erit diſtricta ſententia indignati iudicis: altera erit effectus huius ſententię, qui quidem nunc vocatur conturbatio & furor. Additur autem iſtud verbum, TVNC, quod tempus illud ſignificat quãdo venerit Chriſtus iudicaturus mundum, & ſederit Filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ.
Matt. 25. In quo horribili die videbunt impij Iudæi in quem tranſfixerunt: diſtrictáque animaduerſione feriet illos Dominus
Ioan. 19. quos longanimitate ſuæ patientiæ antè tolerauit. Oſtendet Chriſtus ſimul veritatẽ & humanitatis & diuinitatis: arguet quoque ex Scripturis incredulos Iudęos, qui eum talem nõ crediderunt:

crediderunt: veluti Ioã. cap. 5. increpans dixit, Scrutamini ſcripturas, illæ ſunt quæ teſtimonium perhibẽt de me. Eſaiæ ſiquidẽ cap. 9. de Meſſia vaticinatum erat, Et vocabitur nomẽ eius Admirabilis conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſeculi, Princeps pacis. Quæ vocabula nulli niſi Deo quadrare poſſunt, & nudam diuinitatem explicabant. Porrò hunc talem veniſſe, & apud eos conuerſatum fuiſſe, oſtẽderunt opera quæ inter eos geſſit: quemadmodum per Ioannem loquitur, Si non veniſſem & eis loquutus non fuiſſem, & opera nõ feciſſem in illis quæ nemo alius fecit præter me, peccatum non haberent. Quapropter diſcipulos Ioannis interrogantes ſi eſſet qui venturus erat, Chriſtus, an alius expectandus, remiſit ad ſua opera, ita reſpondens, Eũtes renuntiate Ioanni quæ vidiſtis & audiſtis, Quia cæci vident, claudi ambulant, leproſi mundantur, ſurdi audiunt, mortui reſurgunt, pauperes euangeliſantur. Quamobrem quũ ipſi Iudæi & legem & Prophetas & ſcripturas de Meſſia habuerint, necnon ſigna ac miracula Chriſti apud eos facta ſint, propterea excuſationem non habent de peccato ſuæ infidelitatis. Qua de re Ioſephus de Meſſia ſcribẽs, neque virum nominare auſus eſt, ſed ita paucis poſterorũ memoriæ reliquit: Fuit eiſdem temporibus IESVS ſapiens vir (ſi tamen eum, virum nominare fas eſt) erat enim mirabilium operum effector, & doctor hominum eorum qui libenter quæ vera ſunt, audiunt. Et multos quidem Iudæorũ, multos etiam ex Gentibus ſibi adiũxit: CHRISTVS hic erat. Hunc accuſatione primorum noſtræ gentis virorum, quum Pilatus in crucem agendum eſſe decreuiſſet, non deſeruerunt hi qui ab initio eum dilexerunt. Apparuit enim eis tertia die iterum viuus, ſecundum quod diuinitus inſpirati Prophetæ vel hæc vel alia de eo innumera miracula futura eſſe prædixerant. Ecce ſufficiens contra pertinacem Hebræorum perfidiam teſtimonium: Hebræus & Hebræarum rerum ſcriptor teſtatur eum iam veniſſe, quem adhuc infelices & excæcati fruſtra expectant. Deinde verſiculo ſequente eſt vox CHRISTI.

Ioan. 15.

Matt. 11.

Antiq. Iudai. lib. 18 c. 6.

Ego autẽ conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius, prædicans præceptum eius.

Iſtud eſt verbum CHRISTI hominis, quem Deus pater conſtituit Regem ſuper omnẽ creaturam, vti ſcribitur ad Hebræos cap. 1, Quem conſtituit hęredem vniuerſorũ.

Pſal. 131. & Lucæ 1. Quemadmodum etiã prędictum erat, Dabit illi Dominus ſedem Dauid patris ſui, & regnabit in domo Iacob in æternum. Neque tamen ꝓpterea intellige quaſi tanquam homo egerit quæ ſunt faſtus regiæ dignitatis temporalis:

Ioan. 18. ipſe enim dixit, Regnum meum non eſt de hoc mundo. Sed iſtud accipe ob poteſtatẽ excellentiæ exercendi partes Regis ſpiritualis: quãquidem poteſtatẽ habuit in pũcto ſuæ conceptionis per aſſumptã humanitatẽ. Hoc modo di-

Matth. 2. Luc. 23. ctus eſt Rex Iſrael. Magi eũ etiã Regem teſtati ſunt, inquirentes, Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudęorum? Latro in cruce & Regem deprehendit, dicens, Memento mei, Domine, dum veneris in regnum tuum Sed in Sacris hęc vocabula, Sion, Hieruſalem, Ciuitas Dauid, Domus Iacob, frequenter ſumenda ſunt myſticè ac ſpiritualiter, & non ad literam. Adde quòd nõnunquam per quandam antonomaſiam Chriſtus dicitur Rex Iſrael, Rex Iudæorum. Siquidem apud eos in propria perſona regale ſacerdotium exercuit, prædicando, ac miracula operando: & ad eos imprimis ve-

Matth. 15. nerat, vti ipſe dixit, Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierũt domus Iſrael. Itaque Chriſtus conſtitutus eſt à Deo patre ſuper Sion, id eſt Eccleſiam quæ in monte Sion Hieroſolymis aliquando fulſit, in quo fuit templum Deo dicatum, in quo etiem CHRISTVS pluries & docuit, & miracula fecit. A quo inſuper exierunt Apoſtoli ad prædicandum per vniuerſum orbem Gentibus, vti præcinierat

Eſaiæ 2. Eſaias, De Sion exibit lex, & verbũ domini de Hieruſalẽ. Rectè verò nunc Eccleſia mõs appellatur, & propter emi-

Pſal. 44. nentiam honoris, & ob firmitatẽ fidei. Illa ſiquidẽ ſemper ſpõſum habet, qui eſt ſpecioſus forma præ filiis hominũ, & in quo ſunt omnes theſauri ſcientiæ ac ſapientię recõditi. Sponſus hanc ſuam ſpõſam donis ac priuilegiis chariſmatum cõtinue

tũ cõtinue honorat. Cuſtodit inſuper & per angelos, iuxta illud Eſaię, Super muros tuos Hieruſalem poſui cuſtodes. Eſaiæ 62. Et per doctores, quorum potiſſima cura eſt Eccleſię, fidem pacémque tueantur, quę ſemper ſicut firmiſſimum propugnaculum recta perſeueret. De quibus Zachariæ, cap. 9, Circundabo domum meam (Eccleſiam ſcilicet) ex his qui militant mihi. Hanc honeſtat honore Reginæ, qui & hîc futurus Rex eſſe (vt dictum eſt) prædicitur. Annũtiat enim Chriſtus regnum quod ſibi vt homini à Patre traditũ eſt. Neque mirum ſi nunc mutando perſonam, ſermonem ex Chriſti perſona facit Dauid: Prophetarum ſiquidem mos eſt & materias & perſonas variare, vtpote qui veluti organa quædam atque inſtrumenta ab artifice ſuo moderata ea loquebantur quæ Sanctus illis Spiritus ſubminiſtrabat. Veruntamen ne putet aliquis hoc regnum Chriſti ad eum pertinere tantum ex adoptione, oſtendit verſiculo ſequenti quòd Filius Dei ſit nõ per adoptionem, ſed per naturam.

Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Quum in Sacris, ob inſeparabilitatem diuinarum perſonarum, frequenter vna perſona nominata etiam alię intelligantur, vt ibi, Ego rogabo Patrem, & alium aduocatum Ioan. 14. dabit vobis, idcirco nunc, quando de Patre & Filio agitur, parta occaſione, adiuuante Domino Deo noſtro, arcanum Trinitatis declarabimus, ſuſcipiemúſque & eam ipſam quam flagitant, quantum poſſimus reddere rationem, ꝙ Trinitas ſit vnus Deus, & ſolus & verus: & ꝙ recte Pater & Filius & Spiritus Sanctus vnius eiuſdémque ſubſtantiæ vel eſſentiæ dicatur, credatur, intelligatur, atque, quàm verè Pater Filium ſibi coæternũ generet, & ambo Spiritũ Sãctum ſibi coæqualẽ, cõſubſtantialẽ & etiã coęternũ ſpirent. Sed vereor me arduũ nimis moliri, quia nec periculoſius alicubi erratur, nec laborioſius aliquid quæritur. Sperans tamen beneuolum habere lectorem, incipiã, cõfidens in eũ de quo dictũ eſt, Quærite faciẽ eius ſemp. Et vt ſuſce- Pſal. 104. ptam prouinciam aggrediamur, In diuinis vnitas eſſentię

pluribus locis & veteris & noui Inſtrumenti patet, vti Deuteronomij cap. 9, Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus
Ioan.1. vnus eſt. Et Ioannes in initio ſui Euangelij, In principio erat Verbũ, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. In eo enim declarat Filium nõ tantum Deum eſſe, ſed etiam eiuſdem cum Patre ſubſtantiæ. Nam cum dixiſſet, Et Deus erat Verbũ. hoc erat (inquit) in principio apud Deũ, omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factũ eſt nihil. Neque enim dicit omnia, niſi quæ facta ſunt, ſcilicet omnem creaturam. Vnde limpidè apparet ipſum factum non eſſe per quem facta ſunt omnia. Quia ſi factus non eſt, neque creatura eſt. Si autem creatura non eſt, eiuſdem cum Patre
Ioan.10. eſt ſubſtantiæ. Propterea alibi etiam per Ioannem loqui-
Philip.2. tur, Ego & Pater vnum ſumus. Et Paulus ad Philippeuſes de eo ita ſcribit, Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ęqualis Deo. Hęc pro Patre & Filio in diuinis. Porrò Spiritum Sanctũ ab vtroque procedere coęternum, conſubſtantialem, & coæqualem oſtẽdit idem Ioã-
Ioan.16. nes, his verbis, Quum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcunque audiet, loquetur, & quæ ventura ſunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annũtiabit vobis. Poſt quę quidem verba Filius cõ-
Ioan.16. tinuò ſubiungit, Omnia quęcunque habet Pater, mea ſunt, propterea dixi, Quia de meo accipiet & annuntiabit vobis. Quibus quia reddidit cauſam cur dixerit, De meo accipiet (ait enim, Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt, propterea dixi, quia de meo accipiet) reſtat vt intelligatur Spiritus Sanctus etiam de Patre habere ſicut & Filius, quẽadmodum alibi idem Filius per Ioannem pro catholico fir
Ioan.15. mat, ita loquens, Quum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me. Procedendo itaque à Patre & Filio Spiritus Sanctus, dicitur non loqui à ſemet-
Ioan.5. ipſo, ſicut & Filius, quia eſt à Patre, dixit: Non poteſt Filius à ſe facere quicquam, niſi quod viderit Patrem facientem. His igitur authoritatibus vtcũque ſuaſa ſit hęc vnitas eſſentiæ cum Trinitate perſonarum. Tum demum hanc Trini-

tatem

tatem perſonarũ cum hac vnitate eſſentiæ oſtendit Paulus ad Romanos ſcribẽs, Quoniam ex ipſo & in ipſo & per ipſum ſunt omnia. Et Ioannes in prima ſua canonica, Tres ſunt qui teſtimonium perhibent in cælo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum ſunt. Illa etiam Trinitas in baptiſmo Chriſti innotuit. Pater quidem, in voce: Spiritus Sanctus, in columbę ſpecie: & Filius, in carne. Iſtiuſmo di rei geſtæ teſtes ſunt, Matthæus, Marcus, & Lucas, qui & Trinitatem in perſonis, & vnitatem in eſſentia ſuis ſcriptis aſſeuerant. Quæ quidem perſonæ eò differunt, quia relationes oppoſitè diſtinguntur, ſcilicet ob prędicata contradictoria dicta de eis. Nec mirum quòd talia de ineffabili natura diuina dicuntur, quandoquidem in his etiam rebus quas corporeis oculis cernimus, & corporeo ſenſu diiudicamus, tale aliquid accidat. Nam quum de fonte interrogati, non poſſumus dicere quòd ipſe ſit fluuius: nec de fluuio interrogati, poſſumus dicere quòd ſit fons, & rurſum potionem quæ de fonte, vel fluuio eſt, nec fluuium nec fontem appellamus: tamen in hac Trinitate aquam nominamus: & quum de ſingulis quæritur ſigillatim, aquam reſpondemus, nec tamen eas tres aquas, ſed vnam dicimus. Ea analogia accipiatur pro iſta vnitate eſſentiæ cum diſtinctione perſonarum, ſicut in arbore radix non eſt niſi radix, nec robur niſi robur, neque ramos niſi ramos poſſumus dicere, quamuis illa regula nominis ſemper maneat vt radix lignum ſit, & robur lignum, & rami lignum, nec tamen tria ligna dicantur, ſed vnum. Aut ſi hæc habent aliquàm diſſimilitudinem, ſaltem illud concedendum: Si ex fonte tria pocula impleantur, poſſe dici tria pocula, tres autem aquas, nequaquam: ſed omnino vnam aquam dicere oportet: quanquam de ſingulis poculis interrogatus, in quolibet vaſorum aquam eſſe reſpondeas: licet nullus hic tranſitus fiat, quemadmodum de fonte in flumina accidere ſuprà dici potuit. Iſtis igitur exemplis aliquantiſper concipiamus fieri poſſe vt aliqua tria non tantùm ſigillatim, ſed etiam ſimul vnum ſingulare nomẽ obtineant. Supereſt nunc declaremus quod hîc dicit Deus pater ad Filiũ, Ego hodie genui te: & quomodo Filius eſt à Patre ge-

Rom. 11.
1. Ioan. 5.
Matth. 3.
Matth. 3.
Marci 1.
Luc. 3.

nitus, Deus de Deo, lumen de lumine. Iſtud autē quāuis in-
Eſa. 53. explicabile, (ſicuti ſcripſit Eſaias, Generationem eius quis enarrabit?) hac tamen breui ſimilitudine, quoad poſſumus aſſequemur. Deus quum Verbū genuit, id quod eſt ipſe genuit, neque tamen de nihilo, neque de aliqua iam facta con ditáque materia, ſed de ſeipſo id quod eſt ipſe. Iſtud verò aliquo modo & nos quaſi conamur quū verum loquimur, ſi diligenter conſideremus noſtræ voluntatis appetitum. Quid enim aliud molimur, niſi animū ipſum noſtrū, ſi fieri poteſt, cognoſcendum & proſpiciendum animo auditoris inferre? vt in nobis quidem ipſi maneamus, nec recedamus à nobis, & tamen tale iudicium, quo fiat in altero noſtra no ticia, proferamus: vt quantum facultas cōceditur, quaſi alter animus ab animo per quem ſe iudicet proferatur. Ita Deus pater qui veriſſime ſe indicare animis cognituris & voluit & potuit, hoc ad ſeipſum indicandum genuit quod eſt ipſe qui genuit. vnde Filius dicitur verbum Patris, quia
1. Cor. 1. per ipſum innoteſcit Pater: ſicut idem Filius nominatur & virtus & ſapiētia Patris, quia per ipſum operatus eſt, & diſ-
Sap. 8. poſuit omnia Pater, de quo propterea ſcriptum eſt, Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Hæc obiter pro generatione Filij in diuinis. Vocabulum autem iſtud, HODIE, quod nunc litera reſonat, immutabilitatem, æternitatémque Filij in diuinis ſignificat. Nam Deus heri & cras non habet, ſed ſemper eſt, vti loqui-
Exod. 3. tur ad Moyſen, Ego ſum qui ſum, & qui eſt, miſit me ad vos. Tempus enim menſura eſt ſucceſſiuorum, ſicut æuum perpetuorum: & æternitas nos ad Dei cognitionem adducit. Qua de re modo intellige Filium non poſteriorem, nō minorem, ſed coæternum & coæqualem Patri. Et ſiquæ in Sacris authoritates aliud ſonant, eas accipe non quantum ad ipſam eius naturam diuinam, ſed duntaxat per humanitatē
Rom. 8. aſſumptam, qua primogenitus in multis fratribus non vnigenitus dicitur. Hoc modo de Chriſto ob duas eius naturas & diuerſa prædicātur. Sed quum Chriſtus ſit Dei patris filius naturalis, idcirco Pater Filiū magnificans, ſubnectit,

Poſtula-

Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeßionem tuam terminos terræ.

Hîc præcipitur Filio vt petat ſecundum naturam inferiorem & aſſumptam, & accepta poſſideat: & ipſe quidem Pater à Propheta introducitur monere atque inſtare vt Filius hæreditatem ſuam petat Gentes, vt oſtendat quàm cuperet Pater humani generis inſtaurationem. Filius vero nõ immerito etiam poſtulare id dicitur, quandoquidem & humanitatẽ ſumpſerit, & Dei atque hominum mediator effectus ſit. Per petitionem enim ſeu poſtulationem, intellige orationẽ & meritũ Chriſti ſecundũ ꝙ homo. Accepit ergo hæreditatẽ Gentiũ quã popoſcit, vt non tantũ per orationẽ & meritũ, ſed & iure hæreditario, quia Fili⁹ Dei eſt, habeat Gentes ſubiectas. Ad Hebræos, cap. 1, Cõſtitutus à Deo hæres vniuerſorũ. Popoſcit autẽ, quum dixit Ioannis cap. 17, Pater venit hora, clarifica Filiũ tuũ, vt Filius hominis clarificet te: Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis, vt omne quod dediſti ei det eis vitã æternã. Et rurſum ibidem de ſuis Apoſtolis loquẽs, Non pro eis rogo tãtũ, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me. Qua in re conuerſionẽ Gentiũ & orauit & exorauit. Sic impleta eſt prophetia, de qua Oſeas cap. 1, & Paulus ad Rom. cap. 9, Vocabo nõ plebẽ meã, plebem meam, & non dilectã meã, dilectam meã, & non miſericordiã conſequutã, miſericordiam conſequutam. Vti etiã per Eſaiam prædixerat Dominus, Dedi te in lucem Gentiũ, vt ſis ſalus mea vſque ad fines terræ. Primũ enim ad Iſrael Chriſtus venit, ſicut & ipſe ait, Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael: & quemadmodũ annuntiauerat Propheta, primus ad Sion dicet, Ecce adſum. Vnde Paulus ad Romanos, vocat eum Apoſtolum Iudæorum, ita loquens, Dico Chriſtum Ieſum miniſtrum fuiſſe circuncifionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum. Sed quia excæcatum & induratũ fuit cor eorũ, illorũ delicto ſalus fuit Gentibus, vti dixerũt Apoſtoli, Actorũ cap. 13, Vobis oportebat primũ loqui verbũ Dei, ſed quoniã repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce cõuertimur ad Gẽtes: ſic enim præce-

1. Tim. 2.
Eſa. 49.
Matt. 15.
Eſa. 41.
Rom. 15.
Rom. 11.

Rom. 11. pit nobis Dominus. Vide bonitatem & ſeueritatē Dei. Seueritatem quidem in Iudæos, qui verbum Dei non ſuſceperunt. Bonitatem autem in Gentes, quæ Deum neſcientes, à Deo vocatæ ſunt. vti de Gentili loquitur Paulus ad Romanos, Tu quũ oleaſter eſſes, inſertus es in bonā oliuam, & ſocius radicis & pinguedinis oliuæ factus es. ne quis tamen glorietur. Sed ad Rom. 15, ait, Dico Gētes ſuper miſericordiam honorare Deũ. Iſtud enim, teſte eodem Paulo ad Ro. cap. 11. fuit myſterium, quia cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo Gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret. Vbi iſtud aduerbium, DONEC, (teſte Lirano) non cauſaliter, ſed tantum conſequutiuè & occaſionaliter accipiendum eſt: videlicet, in tantum Iſrael & delicta & perfidia occuparunt, vt veniret tempus quo Gentes omnes admitterentur ad vitam, & ita omnis Iſrael per fidem ſaluaretur. Quo modo Gentiũ plenitudo vita æquales eſſent in CHRISTO, quia inæquales fuerant in delictis. Hæc Hieronymus. Interim autem (vt ſcriptum eſt in reſpõſionibus ad excerpta Genuenſium) quum aliis præparetur, alijs non preparetur voluntas à Domino, diſcutiendum vtique eſt quid veniat de miſericordia, quid de iudicio. Quod quærebat Iſrael, hoc non eſt conſequutus, electio au-

Ro. 11. & tem conſequuta eſt: cæteri verò excæcati ſunt, ſicut ſcrip-

Eſa. 6. tum eſt, Dedit illis ſpiritum compunctionis, oculos vt non videant, & aures vt nõ audiant vſque in hodiernum diem.

Pſal. 68. Et Dauid alibi dicit, Fiat menſa eorum in laqueum, & in ſcandalum, & in retributionem illis: Obſcurētur oculi eorum ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua. Ecce miſericordam & iudicium. Miſericordia in electione, quæ conſequuta eſt iuſtitiam Dei: iudicium verò in cæteros qui excęcati ſunt. Et tamen illi, quia voluerunt, crediderunt: illi, quia noluerunt, non crediderunt. Miſericordia igitur & iudicium in ipſis voluntatibus facta ſunt. Electio quippe iſtis gratiæ eſt non vtique meritorum, vti teſtatur Pſalmo-

Pſal. 55. graphus, Pro nihilo ſaluos facies illos. Non præceſſit eorũ aliquid quod priores darent, & retribueretur illis. Cæteri autem qui excæcati ſunt, ſicut prædictum eſt, in retributio-

Rom. 11. nem factum eſt illis, ſcilicet quia offenderunt. Et ecce qua-

liter

liter inueſtigabiles ſunt viæ Domini. Nã inueſtigabilis miſericordia qua gratis liberat, & veritas qua iuſte iudicat. Certum tamen ſemper eſt alios voluntate credere, alios voluntate non credere. Et hoc ſufficiet ad diſcernendum quid veniat de miſericordia, quid de iudicio. Sed rurſus ad Chriſtum reuertendo: Neque adhuc tantum hæreditas Chriſti Gentes, ſed poſſeſſio eius fines terræ. & nõ tam terra, quàm ea quibus finitur, ſic nunc donata. Hi vero fines terræ ſunt cæleſtia & inferna, in quibus imperium habet redemptor IESVS. Cuiuſce rei ſacramentum beatus Apoſtolus Paulus expoſuit dicẽs, Humiliauit ſemetipſum, factus obediẽs vſque ad mortẽ, mortẽ autẽ crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine IESV, omne genu flectatur cęleſtiũ, terreſtrium, & infernorũ: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS in gloria eſt Dei Patris. Seu intellige ꝙ poſſeſſionẽ omnis terræ habebit Chriſtus veniens ad iudicãdum, quũ in fine, iam vocatis Gentibus, reliquias etiã Iſrael conuertet, & perfectiſſime omnia ei ſubdita erunt. Philip. 2.

Reges eos in uirga ferrea, & tanquam uas figuli confringes eos.

Significare mihi videtur his verbis Propheta, Romanorum imperiũ. Etenim quũ Chriſti regnũ negaſſent Iudæi, ſub imperio Cæſaris ſe eſſe affirmantes, Cęſaris potentiam merito ſuſtinuerunt: à qua prorſus penè perditi ſunt. Et modò regni Chriſti cõſuetudo deſcribitur. Virga, Dominũ ſignificat: & omnis ſermo, quo ex errore in veritatẽ Dei trahimur, etiã virga appellatur: vti Paulus Corinthiis ſcribẽs, poſtquam eos ad pœnitentiam adduxerat, ait, Quid vultis, in virga veniam ad vos, aut in charitate & ſpiritu manſuetudinis? Iudicium inſuper quo nullum malum impunitum relinquit Dominus, ſed & de omni verbo otioſo reddẽt homines rationem, aptiſſimè per virgam ſignificatur. prout alio loco Pſalmographus, Virga directionis, virga regni tui. Chriſtus autem imprimis hac virga ferrea, id eſt dura diſciplina, Iudæos rexit, quos adhuc hodie in vindictã ſuæ mortis, vbique vagos & inquietos eſſe ſinit. Vti prædixit Ioan. 19. 1. Cor. 4. Matt. 12. Pſal. 44.

Oſeæ 3. Oſeas, Quia dies multos ſedebũt filij Iſrael ſine rege & ſine principe, & ſine ſacrificio, & ſine altari, & ſine Ephod, & ſine Teraphim. Quod his diebus fit, quando Iudæi paſſim profugi, neq; regẽ, neq; regnũ, neq; ciuitatẽ, neq; templũ, neque ſacerdotiũ, neq; veſtem ſacerdotalẽ, neq; imagines templi habent. Adde mala quæ propterea eos in deſolatione Hieruſalẽ per Vaſpaſianũ & Titũ inuenerunt. Siquidẽ

De bello Iudai. lib. 7. cap. 7. de fame, qua tunc preſſi ſunt Hebræi, ita ſcribit Ioſephus, Per ſingulas domos vbi fuiſſet aliquid cibi repertum, continuo bella & cædes inter charos, ipſoſque parentes ac liberos naſcebantur, dũ non ſolũ è manibus, ſed ex ipſis etiã faucibus inuicẽ cibũ rapere certabant. Fides autẽ nec mortuis erat, ſed ipſi, quũ iam ſpiritũ exhalarẽt, perſcrutabãtur à prædonib⁹, ne cui fortè intra gremiũ cibi aliquid reſediſſet. Hæc Ioſeph⁹ de virga Chriſti ferrea ad Iudęos. Quod verò ſequitur, ET tanquã vas figuli cõfringes eos, benè Gẽtibus quadrat. Nã ſicut figulus quãdo ex maſſa formauit aliquod vas, & ſi illud poſtea efficitur tortũ & ĩutile, tũc ex eo fracto ex eadẽ maſſa fabricat aliud rectũ & bonũ. ita Chriſtus, vbi primũ in populo Gẽtili infidelitatẽ, idololatriã, ac reliqua peccata deleuit, ipſum poſtea rectũ & vtilem fecit, per baptiſmũ eũ mundando, ac per legẽ Euangelicã illũ iu-

Matth. 3. ſtificando: ſicq; ex eadẽ maſſa filiorũ Adæ, de lapidibus Gẽtiliũ ſuſcitauit filios Abrahæ. Si vis, etiã totus hic verſiculus ad omnes pertinet: vt Virga, poteſtas regia Chriſti ſignificetur, qua peccatoribus correctionis vindicta promittitur: ſicuti Danielis cap. 7. ſcriptũ eſt, Aſpiciebã in viſione noctis, & ecce in nubibus cæli quaſi Filius hominis veniebat (CHRISTVS ſcilicet Deus & homo) & vſq; ad antiquũ dierũ peruenit, & in cõſpectu eius obtulerũt eũ: & dedit ei poteſtatẽ & honorẽ & regnũ: & omnes populi, trib⁹, & linguæ ipſi ſeruiẽt. Poteſtas eius, poteſtas æterna quæ nõ auferetur, & regnũ eius quod non corrũpetur. Dicitur autẽ hęc virga eius, ferrea: quia rigori æquitatis decẽter coaptata eſt: & propterea inſtar ferri ĩflexibilẽ appellat, alioquin quantũ flecteretur, tantũ declinaret à recto. Nõ enim cedit fortibus mũdi, nec miſerorũ facies deſpicit Deus. Reſpice etiã in ipſa cõparatione vaſis fictilis rerũ cauſas decẽter expreſſas.

preſſas. Nā rectè quilibet homo vaſi luteo cōparatur, vt & confractio eius facilis, & via lutea demōſtretur. Sed tūc in melius reformatur, quādo in ſpiritualē hominē diuinā gratia ſuffragāte perducitur. Quippe vt figulo promptū eſt amiſſum vas ad eādē vel quā volet ſpeciē reformare, ita Deo facile eſt, poſt vitiorū caſus, volētes ſe erigi, per doctrinæ ſuæ inſtitutionē ad pietatē ex impietate reparare, prout alibi per Prophetā loquitur, Sicut vas ī manu figuli, ſic & vos Hiere. 18.
in manu mea, dicit Dominus. Si verò recurras ad teſtæ conſuetudinē, quæ ſi ſemel fracta fuerit, nequaquā in integrū compingi poteſt, tantū intellige cōfractionē (de qua nunc) in peccatore in peccatis ſuis ſine pœnitētia moriēte. Nam Eccle. 11.
tunc vbi ceciderit lignū, ibi erit. Deinde vox eſt Prophetæ exhortantis, Et nunc reges intelligite, &c.

Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.

Deſcendamus ad tertiū membrū, in quo iā Propheta admonet vt ſacramētis terribilibus patefactis, humanū genus humiliter obediat Creatori. Et dictio, NVNC, hoc in loco rationē reddit, ac ſi dictū eſſet, Propterea vos ô Romanorū & cæterarū gentiū reges, voſq; ô Iudices, qui in vniuerſa eſtis terra: vel vos, ô qui terrenos homines iudicatis, ex quo addiſcere potuiſtis quātis calamitatibus oppreſſi fuerint ij qui Chriſtū hūc temerè reprobarūt, & illud pariter noſtis, ꝙ à Deo in hæreditatē electi eſtis: vos omnes, inquam, moneo, ſapiētes eſtote, & abiecta priori illa amētia, erudimini tū ab iis, tū à diuinis Scripturis. Verū dū reges ac principes admonētur à Propheta, ipſos etiā populos eis ſubiectos admoneri pariter arbitramur: ibiq; oritur pulcherrimū deliberatiuū dicēdi genus. Nā quū tali ſacramēto vulgato obſtupefacta fuerint corda mortaliū, ſaluberrimus ac neceſſarius ſuaſor accedit, vt cū timore & tremore vero Domino ſeruiamus, oſtendēs ab vtili & honeſto (quod in deliberationibus plurimum valet) expedire quæ dicta ſunt. Vtile ſiquidē eſt id, nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta: Honeſtum iſtud, Beati omnes qui cōfidunt in eo. Nunc autem quid intelligere, & in quo erudiri oportet,

quãtum poſſumus, interpretabimur, ſi prius illum ſcrupulũ diſcuſſerimus, quũ antè fremuerint Gẽtes, & populi meditati ſint inania, aſtiterint Reges terræ, principes conuenerint in vnũ: nũc Gentiũ ac populorũ nulla fit mẽtio. Equidẽ opinor ideo Regũ tantũ ac Iudicũ nũc fieri mẽtionẽ, ꝙ illis emendatis facile populus ſequatur quæ ſunt optima: & tamen cæterorũ quoq; meminit generali clauſula quũ ſubiũgit, Beati omnes qui cõfidũt in eo. Nũc igitur per ea quę dicta ſunt, Regũ eſt intelligere Chriſti regiã poteſtatẽ, à quo
Rom. 13. & ſuã accipiunt. Teſtante Paulo ad Romanos, Nõ eſt poteſtas niſi à Deo. Neq; maiore ratione honorãtur principes, q̃
1. Petr. 2. quòd miniſtri Dei, quos qui contẽnit, ſpernit eũ cuius ſunt miniſtri. Qua ex re fit vt gladiũ portent in laudẽ bonorũ & vindictã malorũ. Iſtud tamẽ eos nequaquã extollere debet, ſed quãto maiores ſunt, tanto magis ſub omnipotentis Dei manu, à quo & pẽdẽt, humiliari habẽt: & magno orbis periculo ſuperbiũt monarchæ, quẽadmodũ magno orbis bono humiles ſunt. Vnde de his ita ludit tragœdus Seneca,

Vos, quibus Rector maris atque terræ
Ius dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos tumidosque vultus:
Quicquid à vobis minor extimeſcit,
Maior hoc vobis Dominus minatur,
Omne ſub regno grauiore regnũ.

Quapropter nũc bene ſubiũgit Propheta, Erudimini q iudicatis terrã. Scilicet
Matth. 7. agnoſcãt principes ſe habere ſuperiorẽ iudicẽ in cælis, qui & eos ac eorũ facta iudicabit, & in qua menſura aliis menſi fuerint, eadẽ remetietur eis. Neque fruſtra eos ſic eruditos deſiderat. Solet enim ferè magnæ fortunæ comes eſſe ſtultitia, qua ſemper fit vt ſeipſos ignorãtes magnates, quoſcũque deſpiciãt, & tantũ propriis in viribus fidãt. Et tamẽ operæpretiũ eſt vt multũ ſapiãt, qui tot hominũ milibus ſapiũt: vt plurimũ animo cernãt, qui tot vrbibus proſpiciũt. Aut ſi hîc Reges dicãtur dominatores vitiorum, (vti Paulus 1. ad Corinth. 4, loquitur, Iam ſiue nobis regnatis, & vtinã regnetis, vt & nos vobiſcũ regnemus) nũc intelligite Reges, id eſt valentes regere quicquid in vobis ſeruile atq; beſtiale eſt. Atq; erudimini. Eruditus autẽ dicitur quaſi à rure & rudi

rudi ſublatus. Erudimini igitur, nunc rectè dicitur illis qui iam carnalia deſideria domuerunt: quomodo aſſerebat Plato eum optimũ imperatorẽ, qui ſibi ipſi imperaret. Itaque modò Reges intelligite, ſcilicet, vt ſic ſemper viuatis quaſi ad iudiciũ quotidie venturus ſit Dominus. Erudimini iudices, vt à Chriſto Rege & Meſſia ĩ lege promiſſo, vero Deo, & vero homine, nũquã diſcedatis. Hac ratione ſpirituales, qui quæ ſurſum ſunt ſapiũt, quæ ſurſum ſunt quærũt: quorũ animus & cõuerſatio eſt in cælis, qui terrena calcãt, amore cęleſtiũ, merito Iudices terrę dicũtur. At ne vertãt in ſuperbiã ꝙ Dauid nũc appellat eos Reges & Iudices, ſubiecit, Coloſſ. 3. Philip. 3.

Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.

Breuis & plena cõmonitio, ne ſcilicet Reges freti poteſtate terrena, cæleſtẽ Dominũ ſpernant, ſed ei ſeruiãt, velu ti Domino, cui ſeruire regnare eſt. In Sacris literis, Seruire, plerũque eſt colere. Colitur autẽ Deus, obſeruandis illius præceptis, & hoc in timore, vt circunſpecti ſemper caueamus ne qua ĩ re offendamus Dominũ omniũ. Et propterea nunc dicitur IN timore, quia vbi eſt timor Dei, illic & mãdatorũ obſeruatio. Is timor retrahit à peccato, ſicut frænũ ſeruat equum à præcipitio. De quo timore loquitur Deus Malachiæ cap. 1, Si Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? ſi Pater, vbi eſt honor meus? Pater eſt per creatiõẽ, Dominus per tutelã, nutritiõẽ, ac defenſiõẽ. His de cauſis omnes ei in timore ſeruire debent. Neq; noſter timor ſeruilis ſit, de quo ſcriptũ eſt, Oderint quẽ metuant: ſed ſit caſtus & filialis. Nã aliter ſeruus dominum, aliter filius dominũ & patrẽ honorat. Seruus magis damnũ q̃ dominũ timet: contrà autẽ filius, qui potius amore quàm pœnoſo aliquo reformidato mouetur: quemadmodũ etiam dixit Horatius, Epiſt. 17. ad Quintium.

Oderunt peccare boni virtutis amore,
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Verum ne dura videatur iſta ſeruitus, ſubnexum eſt, ET exultate. Nam timor Domini, nõ ad miſeriã, ſed ad gaudiũ ducit: quippe qui beatos efficit, & ſanctos reddit Sed rurſum ne hoc ipſum vergeret in effuſiõẽ temeritatis, oppor

tunc adiecit CVM tremore, ne ſcilicet ſit lætitia diſſoluta: quin exultate propter ſpem, cõtremiſcite ob peccatum. Eſt enim diligẽtiſſim⁹ omniũ exquiſitor atq; īueſtigator Deus, & nemo latere eũ poteſt. Quãobrẽ quũ dixiſſet Paulus ad Philipp. Gaudete in Domino ſemper, iterũ dico, gaudete, addidit: Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus. Nam timor Domini nõ excludit lætitiã animi, neque mẽtis lætitia, hũc timorẽ abnegat, ſed quaſi cõgenito vinculo ſociantur. Propterea autẽ iuſtus inter lubrica huius viæ ſemper timet. Nã formidat ne ꝑdat gratiã in qua ſtat vt ait Apoſtol⁹, Qui ſtat, videat ne cadat. Tremit etiã, ne forte inter opera ſua aliquid ſit quod oculos Dei offendat: nẽpe nemo ſcit an odio vel amore dign⁹ eſt. Et ſcribitur, Quũ feceritis omnia quæ pręcepta ſunt vobis, dicite, Serui inutiles ſum⁹, quod debuimus facere, fecim⁹. Sic igit̃ opibus nõ fidit, niſi ſimul adſit gratia, quæ illa Deo accepta faciat. Proinde ſequitur,

Philip. 4. 1. Cor. 10. Eccleſ. 9. Luc. 17.

Apprehendite diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus, & pereatis de uia iuſta.

Magnificũ verbũ, Apprehẽdite: quod eſt propriè veluti curſu fugientẽ aſſequi. Et dictũ eſt hoc ex metaphora eorũ qui pugno aliquid cõſtãter tenẽt. Hoc igitur celeriter, hoc rebus omnibus omiſſis, agẽdũ: accipiamus diſciplinã fidei Chriſti, & quodã ardore ſpiritus in eã feramur. Quicquid tẽporis datur, hoc totũ Chriſtiano breue eſt apprehẽdẽdæ huiuſmodi diſciplinę, ꝑ quã Deo ſubiiciatur, vt ī proſperis timorẽ, & in aduerſis patiẽtiã & ſpẽ in eum habeat, ne per elationẽ aliquãdo nimiũ extollatur, aut per puſillanimitatẽ citò citius cedat, ſed de Domino ſemꝑ in bonitate ſentiat. Sic D. Paulus feſtinauit vt apprehẽderet huiuſmodi doctrinã, dicẽs ad Philippẽſes, Sequor autẽ, ſi quo modo cõprehẽdam, in quo & cõprehẽſus ſum à Chriſto: videlicet qui eum ad fidẽ ſuã vocauerat. Vtilitatẽ vero huius facti pulcherrimè Propheta ſubiũxit, Ne quãdo iraſcat̃ Domin⁹, & pereatis de via iuſta. Nõ enim abſq; vindicta Deo relicto nos doctrinis hominũ credimus. Audiamus Eſaiã cap. 29. ſcribẽtẽ, Eo ꝙ appropinquat populus iſte, ore ſuo & labiis ſuis glorificat me, cor autẽ eius lõgè eſt à me: & timuerũt me mãdato ho-

Philip. 3.

to hominũ & doctrinis. Ideo ecce ego addã vt admirationẽ
faciã populo huic miraculo grandi & ſtupẽdo. Peribit enim Matth. 15
ſapiẽtia à ſapiẽtibus eius, & intellectus prudẽtium eius ab-
ſcõdetur. Hoc modo ex ira ſępè mittit Domin⁹ nõ ſanos do
ctores deprauato populo, iugũ Chriſti ſpernẽti, vt viciſſim
per ſe (ſicut iuſtũ eſt) pereant, & iuxta iniquitatem interro-
gãtis iniquitas Prophetę ſit. Ezechielis cap. 14. Sed præ-
ſens Chriſti diſciplina cũ omni humilitate aſſequẽda eſt, vt
captiuãtes intellectũ noſtrũ, quaſi cęci in arcanis diuinis, ad 2. Cor. 10.
Chriſtũ, mẽtis chirurgũ recurramus: & dũ aliquid ſupra aciẽ
humani ingenij occurrit, cũ Paulo dicamus, O altitudo di- Rom. 11.
uitiarũ ſapientiæ & ſciẽtiæ Dei: quàm incõprehẽſibilia ſunt
iudicia eius, & inueſtigabiles vię eius. Vnde Ioannis nono,
Iudæis hanc regulã non ſeruantibus, exprobrat Dominus,
dicens, Si cæci eſſetis, non haberetis peccatum. Nunc verò
dicitis, videmus, idcirco peccatũ veſtrũ manet. Ecce igitur
ſemita per quã in peregrinationẽ huius viæ ad patriam tẽ-
damus, hoc eſt, iter per quod currẽtes nũquã in lapidẽ offẽ- Rom. 2.
ſionis offendamus. Diuus Hieronymus in cõmẽtarijs admo
net, apud Hebręos hîc ſermonẽ eſſe ancipitẽ: propterea ali-
qui verterũt, Oſculamini Filiũ: prout ipſe iuxta veritatem
Hebraicam vertit, Adorate purè Filium: ſed vtraq; ſentẽtia
quadrat, quando veteres oſculo adorabant: & ſolemus oſcu
landis principũ manibus, noſtrã erga eos obſeruantiã teſti-
ficari. Vnde ſemper aptiſſima de Chriſto prophetia eſt, &
ordo pręcepti, Adorate Dominũ ne forte iraſcatur Domin⁹,
hoc eſt, Pater: & pereatis de via iuſta, quẽadmodum Iudæi,
quibus iratus eſt Deus, quia Filium non receperunt, ſed oc-
ciderunt. At ne tarditas vindictæ diuinæ pariat audaciam
peccandi, addit Propheta, Quum exarſerit, &c.

Quum exarſerit in breui ira eius, beati omnes qui confidunt in eo.

Adeſt penè dies qui exardeſcẽte ira Domini ſignificari in-
telligitur in quo, ſi nõ apprehẽſam à nobis diſciplinã tene-
bim⁹, perditi de via iuſta erimus. Dũ differt vltionẽ, quodã- Rom. 2.
modo diſſimulat iram ſuã Deus, lenitate ſua nos inuitãs ad
pœnitentiam, patienter expectans ſi forte reſipiſcat pecca-

tor, & viuat. Sed illud nobis incertum, an ſubitò exardeſcet illius ira. Quod enim nunc dicitur, IN breui, repentinum quoddã atq; inexpectatũ ſignificat. Nã ſiue itelligas de die illo ſupremo, veniet & ille veluti nocturnus fur, & obrepet inexpectatus (vti 1. ad Theſſalonicẽſes, cap. 5, Quũ dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus, ſicut dolor in vtero habẽtis) ſiue de die mortis cuiuſq;, frequẽter & ille opprimit inopinãtes, atq; inter oſcitãtes. Nemo tam iuuenis eſt aut validus, nemo tam potens, vt poſſit ſibi craſtinum polliceri. Iugiter itaque vigilandũ ne quãdo excidamus à via iuſta. Semper habeamus bonam conſciẽtiã apud Deũ, vt quandocunque venerit dies mortis, poſſimus de illius bonitate confidere. Nam hîc dicitur BEATI omnes qui confidũt in eo. Notauit emphaſim ſermonis diuus Auguſtinus: quũ enim Propheta terrorẽ incuſiſſet malis, dicens, QVVM exarſerit in breui ira eius: non adiecit ſecuros fore bonos, ſed beatos. Non enim ii ſolũ liberabũtur à periculo, verũetiã ęternã beatitudinẽ cõſequẽtur. Decora autẽ concluſio poſt multa, dicere ad quos quis debeat Rom. 7. feſtinare: Confidere ſiquidem de illo iam præmiũ eſt. Nam ipſa confidentia per Dei gratiam obrepit, teſte Apoſtolo, Velle adiacet mihi, perficere autem bonum, non inuenio.

IN PSALMVM TERTIVM.

Domine, quid multiplicati ſunt qui tribulant me? multi inſurgunt aduerſum me.

Plurimorum ſententia iſte Pſalmus inter habẽtes titulos primus eſt: qui & taliter prænotatur. Pſalmus Dauid quum fugeret à facie Abſalon filij ſui: vnde patet Dauid authorem eſſe huius Pſalmi. Memineris autem quomodo Pſalm⁹ Græcum nomen eſt à ψάλλω, quod eſt cano, & reſpondet dictioni Hebraicæ etiam à cantando deriuatę, quam Latinè dicimus Canticum: & eſt dictio hæc appropriata omnibus hymnis huius libri: nam appellantur Pſalmi, Lucæ cap. vltimo, Neceſſe eſt impleri omnia quæ ſcripta ſunt in Lege Moyſi, & Prophetis & Pſalmis, de me: & Actorũ primo, Petrus Apoſtolus appellat hunc librũ, librũ Pſalmorũ. Verũtamen ſi

tamen ſi iſtud argumentum diligentius perſcrutemur, lege quinquageſimi Pſalmi titulum, & intelliges eum iuxta ordinem, priorem eſſe quàm hunc tertium. Nam huius titulus talis eſt, Pſalmus in finem Dauid, quũ venit ad eum Nathan propheta, quãdo intrauit ad Berſabeã. Certiſſimum autem
eſt iſtud factũ prius fuiſſe, quàm factũ perſecutionis Abſalõ 2.Reg. 12
ad Dauid, quę in vltionẽ illius criminis violato thoro & mor & 15.
te innocẽtis Vriæ cõtigit. Propter quam etiã Dauid vir ſan- 2.Reg.16
guinũ dictus eſt, & iuxta prophetiã Nathã, nõ receſſit poſt- 2.Reg. 12
hac gladius de domo eius vſq; in ęternũ: ſed ſtatim Abſalon 2.Reg. 13
Amnõ fratrẽ interfecit. Poſthęc Abſalon paternũ iugulũ pe 2.Reg.18
tiit. Tandẽ ipſe Abſalon crinibus ſuſpẽſus, à Ioab tribus lã- 3. Reg. 2.
ceis cõfoſſus eſt. Porro Salomõ Adoniã fratrẽ per manũ Ba- 3.Reg.12.
naię filij Ioadæ occidit. Cęterũ Roboã gladiũ Hieroboã expert⁹ eſt. Quid plura? Id factũ, cauſa fuit cur Dauid legẽ quã Hebręi Ahiaſcarim appellãt, cõdiderit, per quã minor natu ſẽper ad regnandũ aſſumebatur, quod cõtigit in Salomone: vt ſic dũ nõ parcerẽt hoſtes maioribus, ſaltẽ iuniores de eius domo ſeruarẽtur, & ita ſemper duraret ſceptrũ penes ſuos. Quare ſi accurati⁹ ſingula rimemur, alia ratione hic Pſalm⁹ pro virtute ſua cõpotẽti numero probatur aptatus. Tenere enim illum locũ tertiũ oportuerat, qui & ſanctæ Trinitatis potẽtiã, & triduanę Reſurrectionis in ſe myſteria cõtinebat. Quapropter nõ ſecũdũ exiſtentiã tẽporũ, ſed pro qualitate dictorũ, ordo plerunq; ponitur lectionũ. Titulũ verò iſtius Pſalmi hac vna ſentẽtia explanare poſſumus: Perſequut⁹ eſt
Abſalõ patrẽ, frõde à collo ligatur: Iudas tradidit Dominũ, 3.Reg.18
& laqueo coartatur: quaſi totus hic pſalm⁹ & de fuga Dauid Matth.27
à facie Abſalõ, & de Chriſto à filio ſuo Iſrael pulſo & occiſo intelligatur: tãquã id quod cõtigit ſuper paſſione & reſurrectione Chriſti, in hiſtoria ſignificatũ ſit, quãdo fugit Dauid à facie filij ſui Abſalon. Incipiẽs verò Dauid à coniuratione quã contra eũ molitus eſt filius, poſteaquã pater ei nimium
indulgẽs remiſerat fratricidiũ, & ab exilio ingratũ reuoca- 2.Reg.14
uerat, refert quę ſcribũtur 2.Reg. cap.15. ſcilicet quomodo facta eſt cõſpiratio valida cõtra Dauid, populúſq; concurrẽs in Hebron, augebatur cũ Abſalon, & venit nũtius ad Dauid dicens, Toto corde vniuerſus Iſrael ſequitur Abſalon. Pro-

pter quę nūc hęc verba ingeminat, Domine, quid multiplicati ſunt qui tribulāt me? multi inſurgūt aduerſum me. Si enim credimus ſacræ ſecūdi Regū hiſtoriæ, cap. 16, Dauid fugienti occurrit Semei de domo Saul, dura hæc maledicta improperans, Egredere, egredere vir ſanguinum, vir Belial, ecce premunt te mala tua, quoniam vir ſanguinum es: mittens lapides aduerſus eum, terramque ſpargens, vt ſuos

2. Reg. 17 fœdaret. Narrat etiam hic locus, Achitofel quōdam Dauid familiariſſimum, factum Abſalonis conſulem, qui ſuaſit ad ſtabiliendum Abſalonis regnum, ſingulis Regis ſociis parcendum, ſi tamē ipſe Dauid occideretur. Fecitq; idem, Abſalon ingrederetur ad relictas in Hieruſalem concubinas patris, vt quum audiiſſet omnis Iſrael quòd fœdaſſet filius paternum thorum, ſic iungeretur ſecum omnium manus. Porro cap. 17, legitur, Amaſa nepos Dauid, cōſtitutus princeps exercitus Abſalonis contra patrē bellantis: erat enim Amaſa de patre Iether & matre Abigea progenit⁹: Abigea verò & Saruia mater Ioab, Dauid ſorores fuēre. Quibus viis vtique & ſuorum inſidias paſſus eſt Dauid, ac verè multos eſſe contra ſe inſurgentes aſſeruit. Aut ſi ad CHRISTVM hominem hęc omnia referre velis, tot contra eum

Matt. 26. inſurrexerunt, vt etiam de numero diſcipulorum nōdefuerit qui numero acceſſerit perſequentiū. Hoc modo per Abſalonem, qui pax patris interpretatur, Iudas præfiguratus, cui Chriſtus pacem ore dedit, tametſi ille cum Chriſto eam non ſeruauerit. Quum autem Chriſtus ad Patrem loquitur de multitudine eum perſequentium, quibus ſe tribulari dicit, oſtendit quòd de illorum cæcitate magis ac magis doluerit, qui ſalutare ſuum obſtinatis mentibus reſpuerunt:

Pſal. 34. de quibus in Pſal. Retribuebant mihi mala pro bonis, ſterilitatem animæ meæ. Doluit adhæc præuidens eorum peruicacem infidelitatem, qui gloriam maieſtatis nuſquam crediderunt poſſe ad humilia deſcendere, ac fructum & lucrum mortis atque reſurrectionis Chriſti nuſquā ſuū facere cōtēderunt. Quapropter ſingula hæc accipienda ſunt quaſi ſit vox Saluatoris, quum ad ſaluandum venit, demirātis ſuper hac obſtinata infidelitate mortalium, & propterea acclamātis, Domine, quid multiplicati ſunt qui tribulant me? multi inſur-

ti inſurgunt aduerſum me. Quomodo autem inſurrexerũt imprimis idololatræ, poſthęc perfidi Iudęi, tum demum tyranni ac hæretici, Sequitur,

Multi dicunt animæ meæ, non eſt ſalus ipſi in Deo *eius*.

Sicut hiſtoria libri Regum paſſionem Dauid præteritam indicat, ita myſterium paſſionẽ Domini futuram annũtiat, in qua omnes eum negauerũt, dicẽtes, Si eſt ex Deo, liberet eũ. Hoc modo Chriſtus (licet nondum incarnatus nec paſſus), tamen iam loquebatur & cõquerebatur propheticè per os Dauid ante aduentũ ſuũ, vt ſit idem verbũ, Dei filius, qui loquebatur in Prophetis, & poſtea locutus eſt in carne aſſumpta. Manifeſtum autẽ eſt, quod niſi infelices Iudęi deſperaſſent reſurrecturũ, non vtiq; occidiſſent. Ad hoc valent illæ eorum voces, Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reædificas, ſalua teipſum. Si filius Dei es, deſcende de cruce. Similiter tantundẽ ſonat hæc vox principũ Sacerdotũ cum Scribis & Senioribus, illudentium, Alios ſaluos fecit, ſeipſum nõ poteſt ſaluum facere. Propterea quaſi opinione ſtultorum deſertus, de eis ad Patrẽ nunc cõqueritur, vociferans, Multi dicunt animæ meæ, non eſt ſalus ipſi in Deo eius. Putabant ſane miſeri, Patrem non habere dilectionẽ Filij, quẽ carnaliter cernebant occidi. Sed heu nunquid hæc redemptio mũdi infirmitati debuit applicari? non ſane, quin poti⁹ gratiæ & veritati: quia, vt inquit Ioannes, Gratia & veritas per Ieſum Chriſtũ facta eſt. Nõ enim inſatiabilis mors meli⁹ poterat vinci, quàm dũ vita illius tyrannidis ianuas interemit. Sic tenebrę ꝑmanere nequeunt, quũ præſentia luminis excluduntur. Quam perfidorum excęcationẽ rectè declarat Paulus 1. ad Corinth. cap. 2. ita loquens, Si cognouiſſent, nunquã Dominũ gloriæ crucifixiſſẽt. Ignorabãt ſiquidẽ imprimis dæmones ſuũ regnũ idololatrię hac Chriſti morte deſtruẽdũ. Inſuper nõ aduertebãt obdurati Iudęi (id faciẽte eorũ inuidia) ſe poſthac ſanguinẽ Chriſti innocẽtis in dãnis & ęrũnis perpetuò portaturos. Neq; dũ Marci ca. 1. cacodęmõ Chriſto dixit, Quid nobis & tibi Ieſu Nazarene? ſcio ꝙ ſis Sanct⁹ Dei: hęc verba aliter quã ſubdubitãtis & per aliquas cõiecturas nõdũ ſibi omnino certas iudicãtis,

Matt. 27.
Matt. 27.
Ibidem.
Ioan. 1.

accipienda ſunt. Videbat quidẽ dæmon nũc Chriſtũ miracula faciẽtem, nũc infirmitates hominis ſuſtinentẽ: quibus neq; prorſus Deũ eſſe iudicare audebat, & de cõmuni homine dubitabat. Vnde in paſſione, ipſo illudẽte, vxor Pilati
Matth. 27. talia marito mandat, Nihil tibi & iuſto illi: multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eũ. Tunc enim diabolus trepidans per Chriſtũ ſe ſpolia amiſſurũ, ſicut primùm per
Gen. 3. mulierẽ mortẽ intulerat, ita tũ demũ nitebatur per mulierẽ Chriſtũ de manibus Iudęorũ liberare, ne per mortẽ eius, mortis amitteret imperiũ. Quod ſecretũ bene aperit Paul⁹ 1. ad Timotheũ, cap. 3. ſuper hoc ſcribẽs, Magnũ eſt pietatis ſacramentũ quod manifeſtatũ eſt in carne, apparuit angelis, prædicatũ eſt Gentibus, creditũ eſt mundo, aſſumptũ eſt in gloria. Aut redeũdo ad hiſtoriã anguſtiati Dauidis, quãuis multitudo eũ perſequentiũ non ſit prorſus in libro Regũ ſcripta, præſentia tamẽ rite pro Achitophel, ſuíſque ſequacib⁹ intelligi poſſunt. Ipſe ſiquidẽ Achitophel (Lirani teſtimonio) auunculus erat raptę à Dauid Berſabeæ. Nõ ferẽs itaq; patruus adulteriũ propriæ neptis, capitale cõtra regem concepit odium. Cuiuſce rei cauſa Abſalonem cõtra patrem rebellantẽ ſequutus eſt. Dúmque id moliretur, ſuadebat populo à ſuo rege deficere: aſſerens quòd Deo inuiſus eſſet, tum ob mortem innocentis Vriæ, tum ob raptã Berſabeã neptem. Sícque ſtatim eius ſuſurro, in vulgus tale de Dauid exiit prouerbiũ, Ei qui furatus eſt ouem, & interfecit paſtorem, quomodo erit ſalus à Domino? Hãc infamiæ notam publicabat per ciuitatẽ Hieruſalẽ Semei, ad-
2. Reg. 12. debátque cõminationem Natã prophetæ, Non recedet gladius de domo Dauid in æternum. His dolis perſuaſi Hebręi credebant iam ipſi Dauid paratum eſſe à Domino excidiũ. Sed quia pius & manſuetus Rex per Nathan prophetam intellexerat Deum tranſtuliſſe peccatum ſuum, illiúſque humilitatis rationem habuiſſe, ideo ſubdit,

Tu autem, Domine, ſuſceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.

Suſceptor quidem Dauid hîc Deus dicitur, quia conſiliũ Achitophel prudẽtia Chuſaï fidelis amici, infatuauit, ac ipſum regem

ſum regē de manibus omniū quærentiū vitā eius, eripuit. Iſtorum teſtis eſt 2. Regū cap. 17. ſacrata hiſtoria. Porro nunc etiam his de cauſis Dauid Dominū gloriam ſuam appellat: diſſoluto ſiquidem conſilio verſuti Achitophel, ſtatim præuidit abiectus rex ſe ad primam regni gloriā (vnde ceciderat) breui rediturum. Quare accidit vt per filios Sadoch & Abiathar, Ionatan ſcilicet & Achumaan, ſibi deditiſſimos, otius nuntium acciperet de diſſoluto conſilio inimici, atque cito ſurgeret & tranſiret Iordanem. Tranſnatato vero fluuio Iordanis cum omnibus ſuis, & relictis cãpeſtribus deſerti, nutu Dei venit in caſtra optima & munitiſſimam ciuitatem, ſuſceperúntque eum libentiſſime Priores prouinciç, & fugam illius temporis referentes, & honorem ei priſtinç felicitatis exhibentes. Erant enim (teſtãte Ioſepho) Berſelleus Galaadites, & Siphas potẽtiſſimus, & Amanthias, & Machir, terræ Galaaditidis primus. Hi omnium rerum copiam Dauid, & his qui cum eo erant, opulentiſſime prębuerunt: ita vt neque lecti ſtrati deeſſent, nec panes, aut vinum, ſed etiã vbertatẽ pecudum miniſtrarent: quatenus & quietem laborantibus, & ciborum vtiliũ copiam, ad ſatietatem eſurientibus exhiberent. His prçſidiis adiutus rex, tandẽ ſuis fortiter agentibus, & de ingrato filio, & de cõiuratis hoſtibus triũphauit. Cæſis enim viginti milibus de exercitu Abſalonis, victoria penes ſuos manſit. Sic exaltatum eſt caput, id eſt regnum Dauid. Nam ſtatim poſtea à tribu Iuda in Hieruſalem honorifice reductus, tum demum à reliquis tribubus magnifice exceptus eſt: quatuor bella contra Philiſtæos geſſit, nec vltra de regno pulſus, nullorum minus oblitus quàm præteritarũ iniuriarum. Memineris autem hîc eſſe ordinem præpoſterũ: nam prius fuit eleuatio iacentis, auxilio eorum qui adiuuerunt, quàm redintegratio regni. Hæc omnia etiam obiter ad Chriſtum referendo, recte Filius, ob naturam hominis aſſumptam, nunc ad Deum dicit, Suſceptor meus es tu. Verbi nãque incarnatio quid aliud ſonat niſi aſſumptionem humanæ naturæ à Verbo in vnitatẽ ſuppoſiti? In qua quidem aſſumptione ipſa natura humana per vnionẽ hypoſtaticam quodammodo ineffabili videtur ſuſcepta. Nam

Antiq. Iudaic. lib. 7 cap. 9.

2. Reg. 18

2. Re. 19.

ſicut ex radice & ramo fit vnum per inſitionem, ita natura humana primo vnita eſt ſuppoſito Verbi, per quã vnionem factus eſt vnus Chriſtus per incarnationem. Potuítque ſic vna perſona ſine altera incarnari, præſertim quũ talis vnio facta ſit non in natura, ſed in diuina perſona. Vnde Iacobi cap. 1. vocatur Chriſtus Verbũ inſitum, In manſuetudine (inquit) ſuſcipite inſitum Verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras. Hanc tamẽ analogiã in creaturis damus, non

Ioan. 1, quòd ſingula quadrent: fatemur quidẽ Verbum factum eſſe carnem, melius fide teneri, quàm per demonſtrationẽ naturalem oſtendi. Inſuper hãc humanitatem Chriſti in paſſione etiam ſuſcepit diuinitas. Nam licet tũc per mortem naturalẽ fuerit anima à corpore ſeparata, ſemper tamẽ manſit eadem diuinitas humanitati coniuncta: quia quod ſemel aſſumpſit Filius, nunquam dimiſit, tametſi gloria portionis ſuperioris hoc tempore ſuſpendebatur, ne redũdaret in portionem inferiorem: vt ſic Chriſtus infirmitatem aſſumpti hominis deguſtaret. Propter quod etiam teſtante Pau-

Philip. 2. lo ad Philipp. poſtea & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomẽ, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur, cæleſtiũ, terreſtriũ & infernorũ. Quapropter nunc hîc Meſſias Deum gloriam ſuam appellat. Et certe Dei verbum id facit ob formam ſerui hominis aſ-

1. Cor. 4. ſumptam, licet idẽ Deus eſſet. Vnde diſcãt ſuperbi, qui non lubenter audiunt quum eis dicitur, Quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Oportet igitur ſemper agnoſcat homo ſe totũ a plaſmatore pendere. Et hanc Creatoris de mortalibus curam, oſtendit verſiculus qui ſequitur,

Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte ſancto ſuo.

2. Reg. 15. Si de Dauid ſit ſermo, vere ipſe in ſua fuga à facie Abſalõ cum ſociis, nudis pedibus & lachrymis ſuffuſus incedẽs, reſtituta archa per Sadoch & Abiathar in Hieruſalem (quòd illius præſentia indignum ſe crederet) dũ in montem oliuarum ſic aſcendit, tunc voce propria non ſacerdotum ad Deum clamauit. Proinde hîc ait, Voce mea. Quid autem poſtu-

lauerit

lauerit, hanc vnam illius petitioné narrat ſacrata ſecũdi Regũ hiſtoria, cap. 15, Infatua quæſo, Domine, cõſiliũ Achitophel. Quod ſane ita vt rogauerat, accidit: & de mõte ſancto Siõ, in quo erat tabernaculũ, ad quod illi⁹ præcepto archa Dei reportata fuerat, exaudit⁹ eſt. Ibi quidẽ per Abiathar & Sadoch, reliquosq; ſacerdotes, oratio fiebat cõtinue ꝓ Dauid in eccleſia. Quare vide oratiõis puræ ſanctiſſimã efficaciã: ſicut hac voce Suſanna exaudita eſt, Daniel de lacu leonũ ereptus, tres pueri à fornace ignis Babyloniorũ liberati. De qua voce ipſe Domin⁹ præcepit vt in cubiculis clauſis, id eſt vt in ſecretis cordis ſine ſtrepitu oretur. Hîc vero, clamor dicitur magnitudo affect⁹, quẽadmodũ ſic etiã loquitur Eſaias, ca. 30. dicẽs, Ad vocẽ clamoris tui ſtatim vt audierit Deus, reſpondebit tibi. Aut Chriſto iſta ſingula coaptãdo, vtiq; in paſſione, & pro ſua reſurrectione, & pro toti⁹ mundi ſalute clamauit, quemadmodum recte declarat Paulus ad Hebræos, his verbis de eo loquẽs, Qui in diebus carnis ſuę preces ſupplicationẽſq; ad eum qui poſſet ſaluũ illũ facere à morte, cũ clamore valido & lachrymis offerẽs, exauditus eſt pro ſua reuerentia. Idq; fuit in monte ſancto eius, id eſt in cruce, quę dicitur mõs Dei, per quã videlicet eſt acceſſus ad cælũ: vnde ſibi gloriã corporis, & carnis exaltationẽ Saluator meruit. Atq; quũ circa horam nonã, clamãs voce magna, emiſit ſpiritum, oſtẽdit quomodo volẽs præuenit horã mortis, & aſſumptæ naturæ in primis parẽtib⁹ corruptæ deplorauit miſeriã. Iã vero credita hæc Domini paſſio magna ſpe fulcit fidẽ noſtrã: ita vt certi ab eo expectemus miſericordiã, conſiderantes quantus quãta pro nondũ credẽtibus paſſus ſit. Si enim, inquit Paul⁹ ad Rom. quũ inimici eſſem⁹, recõciliati ſumus Deo per mortẽ Filij eius, multo magis recõciliati ſalui erimus in vita ipſius. Memineris autẽ quomodo Hieronym⁹ hîc ad veritatẽ Hebraicã legit, Clamabo & exaudiet. Sed ſeptuaginta ob certitudinem prophetiæ poſuerunt tempus præteritum pro futuro. Subnectit interim Propheta ĩ quo ſit exaudit⁹ vterq;, Dauid ſcilicet & Chriſt⁹.

Daniel 13. Dan. 9. & 14. Dan. 3 Matth. 6. Hebr. 5. Matth. 27 Ro. 5.

Ego dormiui, & ſomnum cepi, & exurrexi, quia Dominus ſuſcepit me.

2.Reg.15. Multiplicatis cũ Abſalō cōſpiratorib⁹, ſtatim Dauid ciui tatē regiā perdidit, fugiēs. Et quia (vti ſcribitur 2, Reg. 15.) dum ſors iniqua talia moliretur, Rex abſcondit ſe in campeſtribus, dicit, Dormiui, & tanquā non ſentiēs me habui: poſtea congregata aliquāta multitudine, vtpote ſexcentorum virorũ, quaſi euigilauit, & vires priſtinas reſumpſit ad reſiſtendum Abſalon. Et hæc omnia ita contigerunt, quoniam Dominus ſuſcepit eum. Vnde quaſi ſomnus eius perſequutio fuit: ſępiuſculè enim in Sacris ſomnus pro magna triſtitia ſumitur: veluti Geñ. cap. 45. de Patriarcha Iacob, dũ à filiis audiuit Ioſeph filiũ ſuũ adhuc viuere, & dominari in omni terra AEgypti, quaſi de graui ſomno euigilās, reuixit ſpiritus eius, qui per longũ animi mœrorem prius ferme mortuus fuerat. Quapropter nunc tantũdem intellige per dormitionem Dauid, tanquam abſorptus præ mœſtitudine de afflictione ſua & populi eius peccato afflicti, hæc & ſimilia effuderit. Verũtamen nōnulli etiam exiſtimant ipſum Dauid ſua in perſecutione dormiſſe, & præ labore & anguſtia ſoporatum fuiſſe. In quoquidem ſopore, factus in extaſi, vidit in ſpiritu totum futurum paſſionis & reſurrectionis Chriſti myſterium ad inſtar ſuæ perſecutionis. Sed de hoc tacet ſacra Regum hiſtoria: quare id opinare ſi lubet. Ad Chriſtũ autem ſtylum conuertendo, nunc dicit, Ego ad ſignificandum quòd ſua voluntate mortem & crucē ſuſtinuit, prout Io. cap. 10, ipſe loquitur, Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, & iterũ ſumam eam. Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à meipſo: poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Hîc vero dormitio morientis, ſomnus autem mortui accipi poteſt: vt dormitio ſit qua trāſitur ad ſomnũ, velut eſt expergefactio qua trāſitur ad vigiliam. Dormitionē etiam pro morte naturali poſitam, innumerabiliter cōtinēt Scripturę: vt 1. ad Theſſal. ca. 4, Nolo vos ignorare de dormiētibus, &c. & Marci ca. 5, Non eſt mortua puella, ſed dormit. itidem Matth. 9. Nā quemadmodum dormit is quem certum eſt poſtea euigilaturum, ita in Sacris quum dormientes audimus, euigilaturos & reſurrecturos minimè deſperemus. Nũc igitur Chriſtus triduo

ſtus triduo mortuus, & tandem ſurrecturus, dicit, Ego dormiui, & ſomnum cepi. Huius rei figura fuit Ionas, de quo Matth. cap. 12, Qui in vtero mortis mortem vicit. Portauit ſic mors mortuum, vt tempeſtas mundi conquieſceret, & Niniue noſtra illius preconio ſaluaretur. Fugitiuus propheta, qui reliquit domum, dimiſit hæreditatem, dedit dilectã animam in manibus quærentium eum. Illius morte mors mortua eſt, illius morte nos viuimus. Gratias Saluatori agat creatura, quòd tam potentem aduerſarium dum occideretur, occidit. Regnauit enim mors ab Adã vſque ad Chriſtum etiam ſuper eos qui non peccauerunt, in ſimilitudinẽ præuaricationis Adæ. Nam ante Chriſtum, Abraham apud inferos, poſt Chriſtum Latro in Paradyſo. Vnde per Chriſtum aperta cælorum ianua eſt, quæ tanto tempore antea clauſa mortalibus fuerat. Tũc impletum eſt illud elogium, de quo ad Epheſios cap. 5, Surge qui dormis & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Iſtud idem aperte facto præmonſtrauit Nazaræus Samſon, quum meretricem (vti Chriſtus Eccleſiam ex Gentibus) adamauit: & multo plures hoſtium moriens, quàm viuus occidit. Vnde etiam hac de cauſa Num. cap. 21, Exaltauit Moyſes ſerpẽtem æneũ in deſerto, in typum, videlicet, Saluatoris. Nam ſicut is habuit ſimilitudinẽ veneni, quia dicebatur ſerpens, caruit tamẽ veneno, quia æneus. Sic Chriſtus in cruce eleuatus, habuit ſimilitudinẽ peccati, ob carnem paſſibilem, fuit tamen ſine peccato. Et ideo ſicut aſpectus illius ſerpentis ænei ſaluauit à morte corporis, ita fides Chriſti crucifixi & mortui liberat à morte ſpiritus, & reſtituit hominem vitæ æternæ. Porro hunc Chriſtum noſtrum triduo mortuũ canunt Scripturæ, Matth. cap. 12, Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Sed aduerte quòd quia vbi dies eſt, cõputatur & nox, & vbi nox eſt, computatur & dies. Propterea ſic numerando, inuenies tres dies & noctes iſtius mortis. Incipe quidẽ computare de nocte diei Veneris in qua fuit Chriſtus traditus, & à Iudæis cõprehẽſus. Qui enim ſcit ſe ad hoc captiuari vt occidatur tempus illud, in mortẽ computat. Eſt dies ſequens, qua accuſatus &

Ionas 2. Hiere. 12. Rom. 5. Luc. 16. & 23. Iudic. 16 Ioan. 3.

crucifixus eſt:noxque cepit in Sabbato:eſt & ipſum Sabbatum,eſt etiã veſper poſt Sabbatum,in quo Dominus ſurrexit,quod cõplectitur dié Dominicũ,quia nox non cõputatur ſine die,neq; dies ſine nocte. Quare patet verũ eſſe illud quod in Matthæo ſcriptũ eſt cap.27, Et poſt tres dies reſurgã.Neque propterea ibi neceſſario legendum eſt,Per tres dies reſurgam, licet aliter opinentur plurimi, omnia enim per Synecdochen intelligentes. Declarata vero ſic exinanitione hominis Chriſti, ſequitur poſtea illius exaltatio,dũ dicit,Exurrexi:Nã quéadmodũ monumẽtũ præbuit
Luc. 23. Chriſto teſtimonium,quippe ꝙ in monumento illo nullus antè nec pòſt ſepultus eſt, veluti nec in vtero Virginis quicquã mortale vel antè vel pòſt conceptũ eſt,ita hæc admirãda reſurrectio Meſſiam CHRISTVM vſq;adeo magnificat,vt ipſe propterea ſit primogenitus in multis fratribus. Ad Rom.cap.8. & hoc quidé ꝙ primus ſine peccato natus, & primus impaſſibilis reſurrexit.In qua denominatione habet fratres omnes,videlicet qui per eius primatum in Dei gratia renaſcũtur. Licet ſecundũ ꝙ vnigenitus,id eſt, Filius Dei,fratribus careat.De die auté & hora illius reſurrectionis,nos cũ Auguſtino,& concilio quarto Toletano, ſentimus Chriſtũ in aurora diei Dominicæ ſurrexiſſe. Iux-
Pſal.56. ta illud Pſalmographi,Exurgam mane,exurgam diluculo. Quapropter forſan poſtea factũ eſt vt ſicut primi dies propter futurũ hominis lapſum,à luce in noctẽ,ita iſti dies reſurrectionis & mortis propter hominis reparationẽ à te-
Matt.28. nebris ad lucé cõputẽtur.Nec obſtat quod ſcribit Matthæ⁹, Veſpere Sabbati illuceſcẽte in vna Sabbati,Dominũ ſurrexiſſe. nec id quod Marci cap.vltimo legimus,eundem valde mane orto iam ſole ſuſcitatũ,etiam pugnat.Nam aurora media eſt inter tenebras noctis & lucé perfectã diei:& ideo ab vtroq; poteſt nominari, ſicut mediũ ab extremis denominationẽ recipit. Vnde Ioannes cap.20, ſcribit Dominũ ſurrexiſſe,quũ adhuc tenebræ eſſent ſuper terrã. Aurora enim media eſt inter tenebras noctis & lucé perfectã diei.
Marc.16. Quid mirũ ergo ſi Marcus has tenebras,valde mane dicit? Nec eſt ꝙ quis propterea dicat hoc vltimum capitulum nõ eſſe Marci,& in codicibus Græcis illud nõ inueniri. Nã in

eo multa

eo multa recẽſentur, quæ approbat catholica Chriſtianorũ fides. Deinde hoc in verſiculo ſubnectitur cauſa reſurrectionis Saluatoris, his verbis, Quoniã Domin⁹ ſuſcepit me. Humana quippe natura viribus ſuis nõ potuiſſet ſurgere, niſi eam diuina omnipotẽtia ſuſcepiſſet: tametſi doctorũ ſit iudiciũ, Chriſtũ, reſurgẽdo, etiã nobis carnis reſurrectionẽ promeruiſſe. Hieronymus, autẽ hîc legit, Quoniã Domin⁹ ſuſtẽtauit me. Quæ verba clariorẽ ſenſum faciũt. Tũ demũ Chriſtus de morte ereptus, & factus impaſſibilis, intonat,

Non timebo milia populi circundantis me: exurge Domine, ſaluum me fac Deus meus.

Et Dauid poteſt hoc de Abſalon & exercitu eius dicere, & Dominus de Iudæis fremẽtibus aduerſum ſe, & clamantibus, Tolle, tolle, crucifige eum. Voluntas enim Abſalonis & ſuorũ, erat ipſum Dauid ita vndiq; vallare, vt nec eorũ manus effugere poſſet: ſicuti patet 2. Regũ cap. 17. Sed vt oſtendat fidelis Rex, ſuã victoriã fuiſſe potius à cælo q̃ virib⁹ humanis, idcirco ait, Exurge, Domine, ſaluũ me fac Deus meus. Hæc particula poteſt etiã eſſe cõſequutiua ad Chriſtũ. Nã dũ dormiuit in ſepulchro, Iudæi petierunt à Pilato iuberet cuſtodiri tumulũ vſq; in diẽ tertiũ, ne veniẽtes diſcipuli furarẽtur eũ, & dicerẽt plebi, Surrexit à mortuis. Sed Chriſtus dũ ſurrexit, nõ timuit milites Pilati, cuſtodes ſepulchri. Nã vt ſcribit Matthæus cap. 28, Chriſto reſurgente, ecce terræmotus factus eſt magnus. vti & in paſſione terra tremuerat. Angelus verò Domini deſcendit de cælo, & accedens reuoluit lapidẽ, & ſedebat ſuper eum, non quaſi præparauerit exitum de ſepulchro Domino reſurgẽti, quia Chriſtus exiit clauſo ſepulchro, ſicut intrauit ad Diſcipulos ianuis clauſis, & clauſo natus eſt Virginis vtero: ſed præ timore illius angeli, exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui. Erat enim aſpectus eius ſicut fulgur, vt in eo oſtenderet Dominus ſe futurum in iudicio terribilem reprobis. Quare nũc dicit Saluator, Exurge, Domine, effectiuè videlicet, id eſt, Fac me reſurgere. Nõ ꝙ tanquam dormienti aut iacenti Deo dicatur, Exurge: ſed moris eſt diuinarũ Scripturarũ, perſonæ Dei tribuere quod in nobis

Ioan. 19.
Matt. 27
Matt. 27.
Ioan. 20.
Matt. 28.

facit,non quidē vbique,ſed vbi cōgruenter dici poteſt. Veluti quū ipſe loqui dicitur,quādo eius dono loquūtur Prophetæ vel Apoſtoli vel quique nuntij veritatis. Paulus 2.ad Corinth.cap.13, An experimētū quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus? Sequitur, SALVVM me fac Deus meus: animā, videlicet, meā ab inferis reducēdo. Hoc quidē ſpatio quadraginta horarū quo in monumēto iacuit Chriſti corp⁹, creditur anima illius ad inferna deſcēdiſſe: iuxta illud Chri-
Epheſ. 4. ſtiani ſymboli, Deſcendit ad inferos. & ad Epheſios, Quod autē aſcēdit, quid eſt niſi quia & deſcēdit primùm in inferiores partes terræ? Nā aſcendēs in altū, captiuā duxit captiuitatē. quam inde, ſcilicet à limbo patrū, ad quē deſcenderat, traxit. An vero ſimul tūc reſurrexerit ſpoliato purgatorio: hoc ita factum fuiſſe piè crediderim, nō quidē præciſè occaſione voluntatis qua ipſe voluit mori pro redemptione totius humanæ ſobolis, ſed propter præmium extraordinarium, quod tunc factū eſt occaſione ſuppoſiti infinite acceptati, ibi præſentis. Quapropter Ioānes cap.12, ait, Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia trahā ad meipſum. A tempore autē reſurrectionis vſque ad aſcenſionē, vbi Chriſtus cum ſuis comitibus fuerit, probabiliter dixerim eum etiam Paradyſum terreſtrem penetraſſe, vt ſic illius victoria ibidem appareret. Poſtea reſtituto per reſurrectionē corpore immortali, & dum ſic mortale induit immortalitatē, oſtendit Chriſtus cur amplius nō timeat, videlicet, Quoniā, &c.

Quoniam tu percuſsiſti omnes aduerſantes mihi ſine cauſa, dentes peccatorum contriuiſti.

Iſta & Chriſto & Dauidi quadrant. Imprimis hanc Dei contra malos vindictā Dauid expertus eſt, infatuato cōſilio Achitophel. Namque diuino quodā nutu factum eſt, vt is
2. Re. 17. videns ſuū cōſilium ſpretum, recepta ſentētia Chuſaï, triſtis abierit in domum & ciuitatē ſuā, & diſpoſita domo, ſuſpendio interierit. Tantūdem poſtea vidit in victoria contra Abſalon idē Dauid. Nam (vt habetur 2. Regum, cap.18,) Ioab armiger, & dux exercitus Regis, interfecit Abſalonē, & diſſipauit cōuēticula & fautores illius. Quare ecce quomodo dentes peccantium in Dauid contriti ſunt: & per dē-

tes, vires ipſe intelligit. Trãſlatum eſt autẽ hoc à feris, quæ in dentibus ſummum habẽt robur. Ad Chriſtum inſuper hunc verſiculũ cõuertẽdo, & pro Iuda, & pro Iudæis Chriſti perſequutoribus, cõuenit. Nã vidẽs is Iudas ꝙ Saluator innocens damnatus eſſet, conſcientia remordente, ait, Peccaui tradens ſanguinem iuſtum: proiectíſque triginta argẽteis in templo, receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit: ſicuti ſcribit Matthæus, cap. 27. Hoc modo condignas ſui peccati luens pœnas, ac tanto ſceleratior & infelicior, quanto pœnitentia nũquam eum reuocauit ad Dominũ, ſed deſperatio traxit ad laqueum. Conſultius quidẽ expectaſſet propitiatorem in crimine, & donec ſanguis Chriſti pro omnibus effunderetur, immunis lethi ſuſpẽdium diſtuliſſet. Porro & alij Iudæi, qui ſanguinẽ innocẽtem perdiderunt, ſimiliter percuſſi, ablato ſcilicet ab eis regno & ſacerdotio, ac ciuitate & tẽplo per Romanos deſtructis. Quod ſibi aduerſantiũ exterminiũ Chriſtus etiam prædixit ſua in paſſione: nam, vt ſcribit Lucas, tunc conuerſus ad filias Hieruſalem, Luc. 23. dixit, Filię Hieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper voſipſas flete, & ſuper filios veſtros: quoniã ecce dies veniẽt, in quibus incipiẽt dicere mõtibus, cadite ſuper nos, & collib⁹, operite nos. Refert autem Ioſephus lib. 3. de bello Iudaico, cap. 13, Iudæos, infeſtis ſibi Romanis, cauernas montium, colliúmque certatim petiiſſe ſpeluncas, ita vt teſtetur, deſtructa vrbe Iotapata, ſe in profundo puteo cum quadraginta comitibus biduo latuiſſe: tertia verò die per quandã mulierem, quæ cum eis fuerat, proditum, & ab hoſtibus captũ. Quapropter ex his videat lector, ánne verè dẽtes Sacerdotum, Scribarum & Phariſæorum contriti ſunt: ablata ſiquidem ab eis iudicandi poteſtate, conſumptis inſuper illorum bonis fortunæ, dentes eorum perierunt. Nam nihil apud eos remanſit quo amplius aut pauperes aut pupillos aut viduas roderent. Sed vt agnoſcat quiſque fidelis ſemper ſuum auxilium à Deo pendêre. Ideo ſequitur,

Domini eſt ſalus, & ſuper populum tuum, benedictio tua:

Contra illos hæc ſententia profertur, quorum dentes ſu-

periuſ dixit eſſe contritos: & vno ſermone Propheta præcipit hominibus quid credant, & ſperent. Nam à Domino eſt ſalus. Nempe Chriſti incarnationem, à qua totum noſtrum bonum pēdet, nuſquam quis mortalium meruit. Sed(vt in-
Ioan. 1. quit Ioānes) gratia & veritas per IESVM CHRISTVM
Epheſ. 2. facta eſt. Et Paulus ad Epheſ. Gratia eſtis ſaluati, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt, non ex operibus, ne quis glorietur. Vnde prima gratia nuſquam cadit ſub merito, niſi Chriſti, qui nobis ſolus illam promeruit, teſtante Paulo ad
Rom. 8. Rom. Quomodo, nō etiam cum illo omnia nobis donauit? Et quum de beata Virgine canit Eccleſia, Quem meruiſti portare, reſurrexit, &c. iſtud accipiendum eſt non quaſi ipſa Chriſtum incarnandum promeruerit(ſic quippe redemptrix mundi diceretur) ſed id ſolū ſonat quòd à throno Dei diffinita incarnatione Chriſti cōplenda, ipſa promeruit eſſe illius mater. Quare neq; Patriarchæ, neq; prophetæ, neque alij patres veteris Inſtrumēti ſuis ſtudioſis actibus aliud impetrarunt, niſi forte iſtius incarnationis accelerationem, vti Eſaias cap. 45, his verbis, Rorate cæli deſuper, & nubes pluant iuſtum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Itē cap. 64, Vtinā diſrumperes cælos, & deſcēderes, à facie tua mōtes defluerent, &c. Sicut autem curatio, via eſt ad ſanitatem, ſic iſta curatio peccatores ſanandos, reficiendóſq; ſuſcepit. Et quemadmodum medici, quum alligāt vulnera, nō incōpoſitè ſed aptè id faciunt, vt vinculi vnitatem quædam pulchritudo etiam conſequatur: Sic medicina ſapiētiæ Dei, per hominis ſuſceptionem, noſtris eſt accōmodata vulneribus, de quibuſdam contrariis curans, & de quibuſdā ſimilibus: ſicut etiam ille qui medetur vulneri corporis, adhibet quędā contraria, ſicut frigidum calido, vel humidū ſicco, vel quid aliud huiuſmodi: adhibet etiā quędam ſimilia, ſicut linteolum vel rotundo vulneri rotundū, vel oblongū oblōgo: ligaturamq; ipſam nō eandem mēbris omnibus, ſed ſimilē ſimilibus coaptat. Sic cęleſtis Sapiētia hominē curās, ſeipſā exhibuit ad ſanādū, ipſa medicus, ipſa medicina. Quia ergo
Geñ. 3. per ſuperbiam homo lapſus eſt, humilitatem adhibuit ad
Philip. 2. ſanandum. Serpentis ſapientia decepti ſumus, Dei ſtultitia liberamur. Quemadmodum illa ſapientia vocabatur, erat

autem

autem ſtultitia contemnentibus Deum, ſic iſta quæ vocatur ſtultitia, ſapientia eſt vincentibus diabolum. Nos immortalitate malè vſi ſumus, vt moreremur: Chriſtus mortalitate bene vſus eſt vt viueremus. Corrupto animo fœminę, ingreſſus eſt morbus: integro corpore fœminæ, proceſſit ſalus. Ad eadem contraria pertinet, quod etiam exemplo virtutum eius, noſtra vitia curantur. Iam verò ſimilia quaſi ligamenta membris & vulneribus noſtris adhibita, illa ſunt, quòd per fœminam deceptos, per fœminam natus homo hominés, mortalis mortales, morte mortuos liberauit. Sed de his hactenus. Cæterum populo credentium nunc infundit Dominus benedictionem ſuam, tranſmittens eis Spiritum Sanctum, & in futuro ſimilia repromittit, vt Matthęi cap. 25, quando dicturus eſt, Venite benedicti Patris mei, poſſidete paratum vobis regnum à conſtitutione mundi. Hæc eſt paterna benedictio, qua in finem benedicit populo ſuo Altiſſimus. Benedictio quidem hæc in Sacris abundantiam & temporalium & ſpiritualium ſignificat. Proinde per benedictionem intelligere poſſumus pacem & diuina beneficia, quæ benedictionis ſunt cauſa.

Gen. 3. Luc. 2. 1. Pet. 2.

IN PSALMVM QVARTVM.

Qvum inuocarem, exaudiuit me Deus iuſtitiæ meæ, in tribulatione dilataſti mihi.

Secundum Hebræos titulus huius Pſalmi talis eſt, Victori, ſiue Ad victoriam, in organis, Pſalmus Dauid: vnde patet quis ſit author. Sunt autem diuerſæ opiniones quid nunc ſignificet hoc verbum, Ad victoriam, ſiue Victori: Alij putant ſignificare modum muſici cãtus ſeu ſoni, ſcilicet certatim, cũ ornatu mutuo ad ſuperandũ, quaſi is Pſalmus à choro Leuitarum in organis decãtaretur. Ita vt organa imprimis inciperent, choro viciſſim voce humana reſpondente: vſqueadeo olim conſona vociferatione Deo maximo ſacrificabant, quomodo & in templis in cantu alicuius hymni quotidie ſic vnus chorus incipit, & mox poſtea alius nititur alium exaltatione vocis vincere. Alij exi-

ſtimant iſta vocabula ſignificare præſidentem inſtrumento muſico, vel tali ſpeciei cantus aut ſoni, vt ſcilicet denotetur præſidens, cui aſſignabatur canticum ſic vel ſic canendum, ſeu tali ſono muſico ſupponendũ. Argumentum autem iſtius Pſalmi eſt, quòd Dauid hîc loquitur de tempore ſuę perſecutionis à Saule. Hîc in principio expreſſè meminit iuſtitiæ ſuæ. Satis excluditur ab hoc Pſalmo tempus perſequutionis Abſalon, quæ ei contigit propter ſuum peccatum: & relinquitur intelligendum de prima afflictione per
1. Reg. 12 Saulem innocenti filio Ieſſe, facta: de qua 1. Reg. cap. 23. videlicet auxiliantibus Ziphæis & repromittẽtibus, quòd dũ anguſtias eorum Dauid apprehendiſſet, non poſſet vlterius aliò aufugere. Inde tamẽ eo abeunte, adhuc Saul in deſerto Maon ita cinxit Dauid & viros eius, in modum coronæ, vt deſperarent ſe poſſe euadere. Sed tunc venit nuntius ad Saul, dicens, Feſtina, & veni, quoniam infuderunt ſe Philiſtæi ſuper terram. Reuerſus eſt ergo Saul, deſiſtens perſequi Dauid, & perrexit in occurſum Philiſtęorum. Propter hoc vocauerũt locum illum Petram diuidentẽ: nã ibat Saul & viri eius ad latus montis ex parte vna: Dauid autem, & viri eius ſeruati, in latere montis ex parte altera. Nam cognoſcẽs Dauid malitiam Ziphæorum, & Regis inuaſionẽ, anguſtias quidem illius regionis dereliquerat, & fugerat ad hanc Petram maximã in deſerto Maon conſtitutã. Sic ergo inopinabiliter declinauit periculũ: propter quod edidit hũc Pſalmũ, Deo gratias reddẽs pro ſua liberatione. Hortatúrq; ſuos vt ſciãt quòd Deus ſolus qui elegit eũ, audiet cauſam iuſtitię eius, & adimplebit promiſſionẽ ſuã, neq; interim dubitent, ſed vacẽt iuſtis operibus, & ſperẽt in Deo, à quo erit expectatum bonũ. Vocat autem hîc Deũ ſuæ iuſtitiæ, quaſi omnis iuſtitia Chriſtiani de Deo ſit: vti teſtatur Paulus ad Rom. cap. 9, Non eſt volẽtis neq; currentis, ſed miſerantis Dei. Neque ſapiamus Iudæorum ſupercilium, qui dicebãt,
Luc. 1. Nos Abrahæ genus ſumus: Abraham patri noſtro, loquutus eſt Deus, & propterea credebant operibus ſuis per ſe conſideratis, deberi ex cõdigno mercedem gloriæ ęternæ. Quorũ falſam opinionẽ rectè refellit Paulus eodem capite. Reſtat ergo vt totũ imprimis Deo detur, qui hominis volũta-

tem

tem bonam & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam:volentem præuenit vt velit,volentem ſequitur ne fruſtra velit.Sunt enim,teſte Eſaia, in conſpectu Domini omnes iuſtitiæ noſtræ quaſi pannus menſtruatæ.Niſi ergo maculas iuſtitiarum noſtrarum (quas obſcuritates & vmbras quaſdam ſicut in Luna rectè dixerim)ſplẽdor charitatis obtexerit,illuſtrauerit,aut depulerit,nihil valent apud Dominum noſtræ iuſtitiæ,vt eis de præmio æterno aliquid debeatur.Hinc Hieremias, Nouate vobis nouale,& nolite ſuper ſpinas peccatorum ſerere.Exortæ enim ſpinæ ſuffocant ſemen. Matth. 13. Sequitur, IN tribulatione dilataſti mihi: quia ab anguſtiis triſtitię,in latitudinẽ gaudiorum eum duxit, videlicet ipſum liberando à conſpiratione Saulis detecta per Ionathan, & à periculo mortis in domo Michol: de quibus 1.Regum,cap.19.tum demum à proditione ſeruorum Achis, regis Geth, coram quo furiam fingere coactus eſt:poſtremò & ab exercitu Saulis in deſerto Ziphæorum. Ad Chriſtum,illiúſque membra etiam hęc verba referendo,Chriſtus orauit Patrem pro ſua reſurrectione,quũ dixit,Clarifica me Pater,&c.& orauit pro ſuismembris,Ioannis cap.17,Salua quos dediſti mihi:& non pro iis oro tãtum, ſed pro omnibus qui crediturí ſunt in me. Hoc idem orauit & in horto,& in cruce.Et quia fuit exauditus pro ſua reuerentia,ideo hîc appellat Patrem,Deum iuſtitię ſuæ:cõtra quem iraſcentes Iudæi peccant vſque hodie,qui nõ peccarent iraſcentes,ſi verè Dei non eſſet Filius quem negant. Sequitur,IN tribulatione dilataſti mihi. Profectò tribulatio eſt,quæ maximè dilatat Eccleſiam Chriſti.Nam quanto plus vel à Tyrannis vel ab hæreticis agitata,tanto plus creuit,& more palmæ, ponderi perſecutionum reſtitit. Vnde Paulus 2.ad Corinth.cap. 4,In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur, quaſi diffidentes de auxilio Dei:aporiamur, ſed non deſtituimur: perſecutionem patimur,ſed non derelinquimur:humiliamur,ſed non confundimur:deiicimur,ſed non perimus, ſemper mortificationẽ IESV in corpore noſtro circunferentes. Sic tribulatio tẽporalis membris Chriſti,eſt quædam pręparatio ſeu eleuatio ad coronam æternam, quando eodem tempore confeſ-

Eſa.64. Hiere. 4. 1.Reg. 21 1.Reg.26 Matth.26 Luc.23. Hebr.5.

ſores fiunt, martyres coronantur, totáq; turba iuſtorum cõtritionibus ſemper augetur. Porro ad Deum, qui tam abundè beneficus eſt, hæc verba ſequuntur, &c.

Miſerere mei, & exaudi orationem meam.

Aduerte quòd ſic Dauid iuſtam ſuam proſequitur cauſam coram Deo, vt ſemper ad miſericordiã confugiat diuinam. Multi enim ſuorũ (vti probabile eſt) dubitabant ꝙ nunquã fieret Rex, & ob id credebant ſe fruſtra illius partes ſequi. Nam quum vidiſſent quòd noluit vti opportunitate ſibi à Deo tradita, occidendi Saulem perſequentem ipſum in ſpelunca (dicentibus illis, Ecce dies de qua Dominus locutus eſt ad te, Ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei ſicut placuerit in oculis tuis: & ſimiliter quum reſtiterit iis qui volebant Saulem occidere, vt patet. 1. Regum cap. 24,) increpabant electum Dei Dauidem, quòd noluiſſet vti beneficio præualendi ſuper inimicum. Tantũdem improperabant, dum quum Abiſaï deſcendens in caſtra, Sauli dormienti lanceam abſtulit, neque Abiſaï permiſit volentem eum trucidare, & in hoc vehementer inſtantem: ſicuti ſcribitur 1. Regum cap. 26. ſed patiens futurus Rex, Dei præſidio confiſus, prudenter diſtulit quod nondum iuſtitiæ erat. Exiſtimauit enim ordinatum à Deo Regem occidere, eſſe nimis iniquum, licet ille eſſet malus, venturámque ſibi pœnã opportuno tẽpore timebat ab eo, qui ei præberet poſtea regnũ. Quapropter vide quãdo licet ſubdito tyrannum occidere: non quidem eum qui duntaxat regnando tyrannus erat, ſed vtique eum qui per vſurpationem talis fuerit: quomodo Delbora ſanctè Siſaram interfecit. Iudicum cap. 4. Dauid autem ante mortẽ Saulis non fuit verus Rex in populo Iſrael, licet antea dixiſſet Samuel Sauli, Scidit Dominus regnum Iſrael à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. 1. Regum cap. 15. quod iuxta Auguſtinum intelligitur tantum de ſtirpe Saulis, & non de Saule. Et quum 1. Regum cap. 16. fuit ipſe Dauid à Samuele vnctus in Regem, hoc certe factum eſt, non quaſi ſtatim poſtea Dauid acceperit regnum Iſrael poſſidendum, ſed quòd ſolũ tunc illud in repromiſſione à Deo habuit. Tolerauit

ſerauit autem interim Dominus Saulem in poſſeſsionem regni, quoad vixit: vt ex iniuſta perſequutione Dauidis, magis atque magis malitia Saulis, & innocentia ſui generi innoteſceret. Ad verũ enim Regem in Iſrael olim hęc duo concurrebant: primum, erat electio Dei: alterum, acceptatio populi: vti legimus Deuteroñ. cap. 17, Ipſum ponas ſuper te Regẽ quẽ Dominus Deus tuus elegerit. Quapropter imprimis iuſſu Dei fuit ipſe Saul à Samuele vnctus 1. Regum cap. 10. tum demũ ſortibus miſſis, ſors cecidit ſuper tribum Beniamin, deinde ſuper domum patris Saul. Quare quum duntaxat poſt mortem Saulis fuerit ipſe Dauid ab Iſrael receptus Rex, & id quidẽ primum in Hebron ſuper tribum Iuda. 2. Regum cap. 2. vbi ſeptem annis & ſex menſibus regnauit: deinde poſt mortem Iſboſeth à reliquis tribubus in Hieruſalem. 2. Regum cap. 5, ſatis apparet cur ſemper Dauid (quandiu vixit) ipſum Saul dominum ſuum appellauit, & illi aſſidue hunc tantum honorem detulit, vt nunquam in eum manus iniicere auſus ſit. Non enim erat neſcius futurus Rex, diuinam eſſe traditionem in officio ordinis regalis, & quod Dei imaginem habet Rex, ſicut & Epiſcopus Chriſti. Quibus de cauſis forſan Pharaoni futuræ famis ſomnium reuelatum eſt. Et Nabuchodonoſor aliis ſecum aſſiſtentibus, ſolus filium Dei vidit in camino ignis, non vtique merito ſuo, qui in idolo ſe adorari voluit, ſed merito ordinis regalis. Quid mirũ igitur ſi nũc afflictus electus Dei, & nõdum regnum aſſequutus, ad miſericordiã Dei confugit, ſéque ſemper exaudiri poſtulat, qui ſemper clementia diuina indiget? Aut ſi ad Chriſtum, eiúsve Eccleſiam hęc omnia verba conuertere velis, nunc nũc ipſa mater Eccleſia ſeſe exauditam dicit. Adhuc tamen hîc iterum deprecatur audiri, ſignificãs perfectæ orationis hunc eſſe modum, vt licet nobis poſtulata deſideria concedantur, recta tamen ſemper ambitione audiri nos iugiter poſtulemus, ſicut dicit Paulus ad Theſſalo. cap. 5, Sine intermiſſione orate. tanquam omnis actus noſter talis ſit, vt pro nobis ſemper Deum oret. Aut ſi iterum rogat, quum iam ſe exauditam ſignificauerit: hoc forſitan propter inchoantes ſit, vt in quo non eſt perfecta,

Gene. 41.
Danie. 3.

perficiatur. Et quum ita ſit (aiunt Chriſtus & Dauid) Filij hominum, &c.

Filij hominū, uſquequo graui corde? ut quid diligitis uanitatem, & quæritis mendacium?

Quod ait vates, Filij hominū: periphraſis eſt & circūloquutio ꝑ eo quod eſt, homines. Eſtq; idioma Hebraicę linguæ. Siue ad ſuos perſequutores de Iſrael, qui fuerunt filij hominū (quia ſemē Abrahæ, Iſaac & Iacob) ratione ac fide vtentiū, nūc Dauid cōuertit ſermonē: arguitq; eos cur tam graui atq; obſtinato animo ipſum perſequi nō deſtiterint. Oſtendit quod vanè ei inſidias parauerint: nam ſicut medi-
1. Reg. 24 cina dicitur vana, quæ fruſtratur fine ſuo: ita quū toties iā ei decipulas tetēdiſſēt, ſēper tamē iuſtus Domini euaſiſſet, his ſatis ſibi perſuaſum habere debebant, quod nihil in eū præualerent: neque voluntas Dei erat vt in manus eorum aliquando incideret. Porro cōqueritur quòd quæſierint aduerſus eum mēdacium: in quo declarat cauſam ſui exilij. videlicet, quia aliqui adulatores falſo impingebant Dauidi, quod Saulem vellet occidere. Super qua re pulchram ipſe habuit ad Saulem orationem, dū ei in ſpelunca ſummitatem chlamydis duntaxat abſtulit: de qua ſic ſcribit Ioſephus Antiquitatum lib. 5. cap. 13, Quū Saul de ſpelūca fuiſſet egreſſus, accedens Dauid, exclamauit à longè, petens vt Saul audiret. Conuerſo autem rege, adorauit eum, ſecundum morem proſtratus in faciē, & ait, O Rex, non te oportet malignas & falſas derogationes cōfingentibus, aurem accōmodantē illis credere, & in ſuſpicione diligentes te viros habere, ſed magis operibus affectum conſiderare cunctorū. Derogatio nanq; multorum eſt, deuotionis vero clara probatio, actuū veritate conſiſtit. Et ſermo quidem cuiuſlibet in vtroque habet ſimilitudinem veritatis & falſitatis: opera vero nudum habēt veritatis intuitum. Conſidera igitur ex iſtis qualis ego circa te, tuámque ſim domum, & quod mihi oportet credi, & nō accuſantibus & dicētibus ea quæ neq; animo concepi, neque facere potui. Cur apponis perſequi animā meam, & nihil diu noctúque aliud cogitare niſi animæ meæ interitū, quā iniuſtè perſequeris? Quomodo enim non

non falſam opinionem de me ſumpſiſti, quaſi occidere te voluerim?aut quomodo non impiè agis in Deum me occidere concupiſcēs, & inimicum tuum credens hominē, qui poteſtatem hodie habuit punire te, & à te pœnas exigere, & noluit, quū tempore ad hæc vſus eſt opportuno? Quod ſi contra me tibi idem licuiſſet, nequaquam ſic abiens prę teriiſſes. Quando enim tuę veſtis incidi partē, potui etiam caput auferre: & ego à iuſta vltione me retinui: tu verò iniuſtum cōtra me habere odium non vereris. Sed Deus hæc iudicet, & vtriuſque noſtrum arguat voluntatem. Quibus Dauid ſatis declarat ſuam innocentiam, & ſe ſine cauſa criminis argui. Poteſt etiam hîc eſſe vox Chriſti, genus humanum alloquentis, ne in cultu dæmoniorum, grauiſſimo errore, permaneat. Et merito homines diutius graues corde fuiſſe dixit, qui poſt veritatis prædicationē, adorare adhuc elegerunt idola falſitatis. Saltē vſque ad aduentum filij Dei illorum error duraſſet. Quando habituri finem fallaciarum, ſi veritatis præſentia non mouentur? Merito autem hîc idololatria, vanitas dicitur: nam teſte Paulo ad Corinth. ca. 8, Idolum nihil eſt. Falſum autem, & non eis conuertuntur. Quare conſimili ratione & hîc vere idololatria appellatur mēdacium. Materiam enim idoli Deus formauit, ſed ſtultitia hominum formā dedit. Vnde Varro, licet agnouerit commentitium eſſe figmentum deorum, ſcripſit tamen vtile fore vt ſe viri fortes ex diis genitos fingant, vt eo modo animus humanus velut diuinæ ſtirpis fiduciā gerens, res magnas aggrediendas præſumat audacius, agat vehementius, & ob hoc impleat ipſa ſecuritate felicius. Sic Alexander apud Lucianum, magnum ſibi ad res gerēdas dicit fuiſſe, quòd filius Iouis Ammonis ſit habitus: timebatur enim, nec aliquis repugnare ipſi audebat, nempe quem crederet Deum. Sic primi in religione idiotas deceperunt, quo populis vterentur ſecūdioribus. Sed nunc ſuper his admonēs regius Propheta, ſubiungit, Et ſcitote, &c.

Et ſcitote quoniam mirificauit Dominus ſanctum ſuum, Dominus exaudiet me quum clamauero ad eum.

Hic Dauid ſe ſanctum appellat, non per iactantiam, ſed per humilitatẽ, omnia Deo tribuẽs, à quo fuit ipſius innocẽtia ſeruata. Vocabulum inſuper Hebræũ quod interpres Latinus, Græcum ſequutus, Sancti verbo exprimere ſolet, proprie in his hominibus ponitur, qui ſunt animo benefico & liberali, & ad iuuãdos omnes admodum propenſo. Talem autẽ decet imprimis eum eſſe qui regnum adminiſtrat. Sed & nunc Dauid etiam ſuæ ſanctitatis atque innocentiæ hãc vnam refricat rationem, ex præterita videlicet electio-
1.Reg.16 ne diuina, qua elegit ipſum, in fratribus iuniorem, in Regem, & per Samuelem in Bethleem vnxit: vocando de gregibus ouium ad regni iura. Sic quidẽ mirabilis fuit imprimis iuuenis repertus ſecundum cor Dei, & pulcher, qui pietate, iuſtitia ſimul & fortitudine, necnon obedientia ex omnibus vnus ſplenderet. Cæterum ob id etiam factus demirandus cunctis, quòd totiens eum Dominus de manu Saulis ac exercitus eius clementer eripuit. Vnde concludẽdo ad ſuos æmulos loquitur, dicẽs: Agnoſcãt quòd Deus audiet, & clamanti ac confugienti ad eum in periculis futuris ſicut & in præteritis, ſemper aderit. Sed quidam hîc ad veritatem Hebraïcam legunt, Mirificauit Dominus gratioſum ſuum, quod propriè ſignificat beneficum gratuitè: quæ recte Dauidi quadrant. Itaque omnia hæc, vt vera, recipiamus. Porro ſi de Chriſto noſtro ſit ſermo, quẽ verius Deus
Pſal. 109. pater mirabilem fecit, niſi eum quẽ ſuſcitauit ab inferis, &
Lucæ 1. in cælo ad dexterã ſuã collocauit, hic demirandus fuit in cõceptione: quia nõ opere Adam, ſed de Spiritu Sancto cõceptus, & ſuper naturam natus: inſuper in natiuitate iuxta
Aggæi 2. hanc Aggæi prophetiam, Ego commouebo cælum & terram, & mare & aridam, & mouebo omnes gentes, & veniet deſideratus cunctis gentibus. Dicimus enim cælum & terram miraculis ac prodigiis circa Chriſti natiuitatem commota fuiſſe, dum & in cælo & in terra plurima ac maxima viſa fuere miracula. Nam in cælo quidem (vt omittam tres ſoles qui circa Auguſti tempora, ſub quo Chriſtus natus eſt, Romæ ſimul exorti, paulatim in eundem orbem coiërunt) mox Chriſto nato noua ac mirabilis Stella illa appa-
Matth. 2. ruit, quæ ab extremis regionibus ad eius ortum, tribus regibus

gibus ducatum præbuit. De qua Calcidius ſuper Timæum Platonis, Stella illa (inquit) non fuit morbos aut mortem denuntians, ſed aduentum venerabilis Dei: quā quū Chaldæorum quidam viri profecto excellentes, & in rerum cæleſtium ſcientia admodum experti, inſpexiſſent, recentis Dei ortum quæſiiſſe dicuntur. Terra quoque tunc mota fuit, non ſolum portentis, quæ eiſdem ferme temporibus toto orbe facta ſunt (bobus ſcilicet loquentibus, ſerpentibus per aëra volantibus, pueris ex matrum vteris verba quædam proclamantibus, fœminíſque in maſculinum ſexum mutatis, ac Romæ, eodem die quo Chriſtus ipſe natus eſt, fonte olei è terra abunde manante, atque in Iudæa, (de cuius terra ſpecialiter Propheta loquitur) ingēti terræmotu facto, verum ob victoriam quoque quam Romani vbique terrarum obtinuerunt. Tunc igitur terra, tunc mare, hoc eſt maris inſulę, tunc omnes gentes commotæ ſunt, quando Chriſto naſcente, edicto à Cæſare Auguſto egreſſo vt vniuerſus deſcriberetur orbis, ſinguli in ciuitatem ſuam proficiſcebantur, & tunc Chriſtus fuit natus. Lucæ 2. Sic mirificauit Dominus Sanctū ſuū, qui eſt ſanct⁹ ſanctorū, in ſe ſanct⁹, & alios ſanctificās. Sed ſi quē mouet cōiūctio illa ſuperaddita, ET, Et ſcitote &c. facile eſt vt in Scripturis animaduertat lector huius loquutionis genus familiare eſſe illi Linguæ qua Prophetæ loquuti ſunt. Nam ſæpe inuenies ita ceptū. Et dixit Dominus ad illum &c. Sequitur, Dominus exaudiet me quū clamauero ad eum. Hîc nos admoneri credo vt magna intentione ac interno & incorporeo clamore auxilium imploremus Dei, quoniam ſicut gratulandum eſt de illuminatione in hac vita, ita orandum pro requie poſt hanc vitam. Subnectit Propheta, Iraſcimini & cætera.

Iraſcimini, & nolite peccare, qui dicitis in cordibus ueſtris & in cubilibus ueſtris, compungimini.

Hoc benè trahitur & ad Iudęos Chriſti perſequutores, & ad Dauidis æmulos, vt etſi eos iraſci contigerit, ſaltem ab illicitis auſibus abſtinerēt. Pater enim irę & cuiuſuis pec-

cati, vt plurimum eſt motus ſenſus ad illicitum: filius, cogitatio illius illiciti: nepos, exequutio exterior, pronepos, gloria in delicto. Vnde teſtante Auguſtino, quum ſenſus ingerit animæ quandam illecebram, venit ſerpens & alloquitur mulierem. Huic autem illecebræ conſentire, eſt de ligno vetito manducare. Sic peccatum inchoatur in cogitatione, manifeſtatur in loquutione, perficitur in opere. Quapropter nunc dicit, Iraſcimini & nolite peccare: innuēs vt ſi forſitā obrepit aliquis ſubitus motus animi circa illicitū, qui iam propter pœnā peccati non eſt in poteſtate noſtra, nō ei conſentiat ratio & mens quæ intus regenerata eſt ſecundum Deū, vt ſemper mente ſeruiamus legi Dei, ſi adhuc carne ſeruimus legi peccati. Paulus ad Roma. 7.

Matth. 7. Hac occaſione oramus quotidie, petentes, Et ne nōs inducas in tentationem. Induci ſiquidem in tentationem, eſt nō ſolum tentari, ſed à tentatione ſuperari, ſiue conſentire in obiectum huiuſce prauæ tentationis. Quapropter etiā peccata ſunt hi diuturni motus circa obiectum prohibitum, nō quidem diuturni à mora temporis, ſed à mora obruentis periculi peccati, cui ſic nos exponimus: nam tunc qui amat periculum, perit in eo. Eccleſiaſtici 3. Et ſicut ignis in ſinu, & mus in pera male remunerant hoſpites ſuos, ita quiſquis huiuſmodi tentationes ſtatim non reiicit, frequenter confuſionem ſuſtinet. Porro ſi quandoque ira à ſtudioſo aſſumenda eſt, oſtendit Paulus ad Epheſios ſcribens, Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Ira enim per zelum non eſt peccatum: quomodo ſic Phinees iratus dicitur, zelatus legem Dei: ſed illa prohibetur quæ vindictæ fuerit: de qua Horatius, Ira, furor breuis eſt, animum rege. Quapropter nunquā ſol ſuper hāc occidat, vt ſi fortè contingat à ratione per hanc aliquantiſper deficere, tamen cito tranſeat. Vnde legimus de Platone, qui ſeruum ſuum peccantem tradidit alteri puniendū, ne fortè modum hunc rationis iratus excederet. Qui enim ita iraſcitur furore excæcatus, ſtatim grauiora mala excogitat. Et huiuſce cæcitatis prognoſtica fuit cæcitas Lamech, qui putans occidere feram, occidit hominē. Hoc modo ſcientiæ lumen in noſtra indignatione deficit. Eiiciam igitur illam de corde, antequā occidat lux noſtra

Epheſ. 4.

Nume. 25.

Gene. 4.

ſtra

ſtra viſibilis, ne nos deſerat lux illa inuiſibilis. Quũ cepe- rit Chriſtus, ſol iuſtitię, in homine habitare per fidẽ, nõ tã- tum in eo valeat iracũdia, quæ in eo naſcitur, vt occidat ſu- per iracundiam eius: id eſt deſerat Chriſtus mentem illius, quia non vult habitare Chriſtus cum iracundia noſtra. Vi- detur enim quaſi ipſe à nobis occidere, quum nos ab ipſo occidimus. Quia ira, quũ inueterauerit, odium fit: quum fa ctum fuerit odiũ, iam homicidæ ſumus. Omnis enim qui odit fratrem ſuum, homicida eſt, inquit Ioãnes Apoſtolus. Homicidæ vero partem in regno Dei nõ habent. Poſtea hortatur Dauid Iudæos pœnitentiã agant ſuper malis quæ in cordibus & cubilibus ſuis machinati ſunt aduerſus Chri ſtum, Sanctum Domini: & monet quòd licet hæc fecerint cogitando, tamen nolint peccare exequendo. Sic oſtendẽs Deum ſecretas hominum cogitationes intueri. Agnoſcant veritatem, non effundant ſanguinem iuſti, ſed ſcrutentur Scripturas, quoniam illæ teſtimonium perhibent de eo. Iu dæi enim peccant vſque hodie, qui non tam grauiter pecca rent iraſcentes, ſi verè Dei non eſſet filius quẽ negant. De- poſito autem vetere homine, noſipſi nos in nouum ſacrifi- cium ſalubriter iubemur offerre. Sacrificate, &c.

Matth. 4. 1. Ioan. 3. Hiere. 17. & heb. 4. Ioan. 5.

Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Do mino: multi dicunt, quis oſtendit nobis bona?

Vt recte nos Deo ſacrificemus, imitemur quod Geneſis cap. 4, ſcribitur, Reſpexit dominus ad Abel & ad munera eius. ſcilicet vt imprimis nos Deo placentes faciamus, quo poſtea illi munera noſtra placeant, qui mentem offerentis, non oblationem attendit, quæ placet ex munditia mentis. Neque ſacrificemus quomodo Cain, de quo dictum eſt, Ad Cain verò & ad munera illius non reſpexit. Sed vnde hoc potuit ſcire Cain, niſi vera ſit interpretatio Theodotio- nis? Et inflammauit Dominus ſuper Abel & ſuper ſacrifi- cium eius, ſuper Cain & ſuper ſacrificium ſuum non in- flammauit. Ignem enim de cælo venire ſolitum ad ſacrifi- cium deuorandum, & in dedicatione templi ſub Salomone legimus, & quando Helias in monte Carmeli conſtruxit

Gen. 4. 2. Para. 7. 3. Re. 18.

altare. Non abſurde igitur nunc inſinuat Propheta tranſitum de vita veteri ad vitam nouam, vt extincto vel infirmato per pœnitentiam vetere homine Adæ, ſacrificium iuſtitiæ ſecundum regenerationem noui hominis offeratur Deo: quod fiet, ſi renouemur ſpiritu mentis noſtræ, & in-
Epheſ. 4. duamus nouum hominem, Chriſtum videlicet, per ipſius imitationem. Inſuper, hoc eſt deponere veterem hominem, & induere nouum, dum deponimus mendacium, & loquimur veritatem ad proximum. Proximus autem omnis ille eſt qui nobiſcum natus eſt ex Adam & Eua. Omnes proximi ſumus non ſolum conditione terrenæ natiuitatis, qua in hanc terram eadem ſorte deuenimus, ſed etiam ſpe æternæ hæreditatis. Qui ſic ſemel ita ſacrificauerit, ſperet à Domino vtique & ſuorum peccatorum remiſſionem, & pro ſancto ſacrificio, vitam æternam. Nam (vt in-
1. Ioan. 1. quit Ioannes) ille iuſtus & fidelis eſt: fidelis quidem in reddendo promiſſa, iuſtus etiam, quia promiſſum ſeruat. Nam quum promiſſum ſit aliquo modo debitum ipſum reddere, eſt iuſtum. Ad Chriſtum itaque merito fiducia noſtra, à quo ſic certiſſime & mundari & ſaluari expectamus. Quare teſtatur Paulus ad Romanos capite 8, Spe ſalui facti ſumus. Hæc enim adiuuat infirmitatem noſtræ operationis, qua redemptionem corporis noſtri præſtolamur, facitque de hoc certi ſimus, quaſi iam ſalui ſimus. Quibus fit vt nunc regius Dauid arguat incredulos, qui hanc futuram immortalitatem non recipiunt, his verbis, MVLTI dicunt, quis oſtendit nobis bona? Taliter loquuntur hi qui
Iob. 14. ridentes dicunt, Putáſne mortuus homo rurſum viuat? Et quum nullum exiſtiment ab inferis reuerſum, qui quæ repromittuntur in futura patria ſe vidiſſe aſſeueret, hæc
2. Cor. 12. omnia fabulas eſſe dicunt. Sed heu miſeri! agnoſcant Paulum vſque in tertium cælum raptum, vbi vidit arcana quæ non licet homini loqui. Intueantur etiam Dominum IESVM CHRISTVM è cælo ad nos deſcendiſſe, vt no-
2. Petr. 1. bis cæleſtia patefaceret. Fateantur inſuper non ſpiritu humano allatam fuiſſe Prophetiam, ſed Spiritu Sancto inſpirante, loquutos fuiſſe homines Dei & Prophetas. Porro
Matt. 22. cur Dominus ſuo in Euangelio dixit, Deus Abraham,

Deus Iſaac, Deus Iacob, non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium, niſi tunc verè adhuc viuerent Abraham, Iſaac & Iacob, & hoc quidem non vita corporali? Quare ſupereſt id tantum de vita animæ intelligamus. Quapropter ſtultæ iſtorum interrogationi nunc reſpondens Propheta, ſubnectit, Signatum eſt ſuper nos, &c.

Signatum eſt ſuper nos lumen uultus tui, Domine, *dediſti lætitiam in corde meo.*

Quidam ſentiunt quòd diuina beneuolentia erga Dauidem & ſuos, nunc aſſimilatur luci diuini vultus, ſicut è conuerſo voluntas puniendi, aſſimilatur iræ ſeu indignationi diuinæ. Quandoquidem lucida facies, beneuola, gratioſaque eſt, ſicut iratus ſeu indignatus vultus vindictam præ ſe fert. Hoc vero frequentius de vnoquoque homine intelligitur, vt totum & verum hominis bonum ſit, hoc lumen, quod non oculis, ſed mente conſpicitur. Nam in 2.Cor.3.
cuius facie hoc lumen ſignatum eſt, iſte reuelata facie gloriam Domini contemplatur. Tale ſignum in gementibus frontibus Ezechielis cap.9, notari Dominus præcepit. De quo Paulus ad Epheſ. Nolite contriſtare Spiritum Sanctum Dei, in quo ſignati eſtis in die Redemptionis. Ephef. 4.
Signatum autem dixit in nobis, tanquam denarius ſignatur Regis imagine, & cera ſigillo eius. Homo enim factus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei. Geneſ.cap.1. quam tametſi peccando corrupit, non tamen deperdidit: ſed hæc imago reſultat in anima, per has proprietates homini naturâ inditas, memoriam videlicet, intelligentiam & voluntatem. Nunc autem illa imago dicitur lumen vultus Dei. Nam ſcientia gloriæ Dei eſt, qua ſcimus lumen eſſe, quo tenebræ noſtræ illuminantur. Vti loquitur Paulus 2. ad Corinthios, ita ſcribens, Deus, qui dicit de tenebris lucem 2.Cor. 4.
ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei. Et ad hoc credo pertinere quod quidam prudenter intelligunt, illud quod Dominus viſo Cæſaris nummo, ait, Matthæi cap. 22, Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Tanquã ſi diceret, Quemadmodũ Cæſar à vobis exigit impreſſionem

imaginis ſuæ, ſic & Deus:vt quemadmodum illi redditur nummus, ſic Deo anima lumine vultus illius illuſtrata atque ſignata. Iſtud verò lumen in nobis duplex eſt: vnum naturale, ad cognitionem agendorum: alterum fidei & gratiæ, ad cognitionem ſupernaturalium & ſperandorum. De
Rom. 2. quo Paulus ad Romanos, Quum Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis ſunt, faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum. Per quā quidem conſcientiam ſibi ipſi quiſque teſtis eſt boni vel mali, inde ſciens ſe merito damnari vel ſaluari. Nam natura agit legem in corde, per conſcientiæ teſtimonium, ſiue conſcientia teſtatur legem habere, timendo dum peccat, & victis gratulando peccatis, etiam ſi nullum hominum vereatur ipſe qui peccat. Vnde, doctorum ſententia, hæc lex naturæ eſt in homine immutabilis & ſemper vera, quantum ad ſua prima principia communia, vniuerſalia, & immediata: ex quibus impreſſis intellectui practico deriuantur leges, quaſi quędam concluſiones: ſicut ex primis principiis ſpeculabilibus intellectui ſpeculatiuo inditis, deriuantur ſcientiæ, tanquam quædam veritates concluſæ. Vnde fit, vt quum, teſtante
2. Cor. 4. Paulo, habeamus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, ob hæc tanta bona humanæ naturæ & membris Chriſti collata, nunc ipſe Chriſtus gratias Deo patri referens, dicat, Dediſti lætitiam in corde meo. Hîc videat Chriſtianus primum quærendam eſſe ſuam lætitiam in interiore homine, vbi habitat Chriſtus, & non in exteriore, qui mundo, carni, & diabolo ſeruit. Sed quia mortales temporalia ſectantes, nihil aliud nouerunt niſi dicere, Quis oſtendit nobis bona? idcirco de his rectiſſime intelligitur quod ſequitur, A fructu, &c.

A *fructu frumenti, uini, & olei ſui multiplicati ſunt.*

Memineris imprimis quomodo Hieronymus hîc non legit OLEI, & dicit quòd apud vetuſtum exemplar manu propria Origenis ſcriptum, ſimiliter & in Hebræo illud non

Iud non inuenitur, tamen hæc tria tanquam vſibus humanis maximè accommoda, poni poſſunt pro omnibus diuitiis, quibus inhiant ſeculo dediti, de vita futura quærentes, Quis oſtendit nobis bona? Nec vacat quod additum eſt, SVI: nam iſta Dei non habent peccatores, qui non vident intra ſe eſſe regnum cælorum, & quomodo de mammona iniquitatis, id eſt diuitiis (ſic dictis quòd vix ſine peccato acquirantur: vel quia frequenter ad iniquitatem inducunt & implicant) debeant ſibi facere amicos, eos videlicet, qui ſuis precibus poſſunt ipſos quum defecerint, & mortui fuerint, in æterna tabernacula recipere: quales ſunt pauperes pro eis Dominum deprecantes. Nam tunc, ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna peccatum. Sed contrà, hi perituris ſeruientes, tantum ſua terrena curant, vnde corpus fruatur: & animæ vitam negligunt. Quare dicit Dominus ad diſcipulos, Quàm difficile, qui diuites ſunt, intrare poſſunt in regna cælorũ. Non dixit impoſſibile, ſed difficile: licet exemplum poſuerit impoſſibilitatis, ſubnectens, Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnũ Dei. Hoc autem nõ tam difficile eſt quàm impoſſibile. Nunquam enim fieri poteſt vt camelus trãſeat per foramẽ acus. Nunquam igitur ſic diues intrare poterit regna cælorum. Sed aduerte quomodo camelus tortuoſus & curuus eſt, atque graui ſarcina prægrauatur. Et nos ergo quando prauas ingredimur ſemitas, & rectam Domini viam dimittimus, & oneramur mundi diuitiis, ſiue pondere delictorum, regnum Dei ingredi non valemus. Sed multiplicati, id eſt multipliciter afflicti, ſemper animo cruciamur. Improbitas enim auarorum inſatiabilis eſt, & primo quidem ſufficere dicunt pauca, vt duo æra minuta ſolum: mox vero vbi illa ſunt conſequuti, plura appetunt ſemper, quouſque in infinitum procedant. Infinita eſt enim cupiditatis natura, ad cuius expletionem iſti viuunt, & mundanis inſatiabili deſiderio inhiant: ac quum amittunt, dolent: pro his ne amittant, timent: horum in amore quieſcunt. Sed iſtis relictis vir fidelis exultat & dicit, In pace in idipſum, &c.

Luc. 17.
Luc. 16.
Eccle. 3.
Mat. 19. & Marc. 10. & Luc. 18.

In pace, in idipſum dormiam & requieſcam.

Hoc poteſt ad Dauid referri, quando fuit ad tempus liber à perſequutione Saul: qua in tempeſtate ſecurè dormiuit & quieuit. Similiter & ad populum Iſrael, qui liberatus à gladiis Philiſtæorum, potuit tutò dormire & quieſcere. Vnde ipſe Dauid lugens ſuper morte Saul, & Ionathæ, ac fortium Iſrael, 2. Regum cap. 1, dicit, Filiæ Iſrael ſuper Saul flete, qui veſtiebat vos coccino in deliciis, qui præbebat ornamenta aurea cultui veſtro. Quibus deſignatur magna tranquillitas, quæ aliquando fuit in Iudæa regnante Saul. Conuenit inſuper iſtud quibuſlibet veris Chriſtianis. Nam rectè ſperatur à talibus omni modo mentis alienatio à mortalibus rebus, & miſeriarum ſeculi huius obliuio: quæ nomine obdormitionis & ſomni decenter propheticè ſignificatur. Namque declaratur ſic omnimoda quies, per Iacere ſimul & dormire in pace. Sed quòd illam non habeat quis in hac vita, oſtendunt ſtatim hæc ſubſequentia verba futuri temporis, DORMIAM & requieſcam: vti
1. Cor. 15. loquitur Paulus ad Corinth. Nouiſſimè inimica deſtruetur mors, quando videlicet mortale induerit immortalitatem, & abſorpta mors fuerit in victoria CHRISTI. Et propterea nunc dicitur, IN idipſum pace fruendum: de Deo intelligendo, quem ob id affirmat Propheta ſemper idipſum eſſe quod ſemper eſt, in ſe manens, ac incommutabili perennitate cõſiſtit. In quo dormiet iuſtus per mortem naturalem, & requieſcet per gloriam, in futura vita. Sequitur autem cauſa quare requieſcat.

Quoniam tu, Domine, ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.

Et bene ait, Singulariter. Poteſt enim referri aduerſus illos multos, qui dicunt, Quis oſtendit nobis bona? quaſi ſingulares & ſimplices, id eſt ſecreti à multitudine ac turba naſcentium rerum, ac morientium, amatores æternitatis & vnitatis eſſe debeamus: ſi vni Deo & Domino noſtro cupimus inhærere, neque per multa diſtrahamur, aut vagemur. Et quum habet litera, Conſtituiſti me: ſignificat

ficat dignã, deliberatámque ſentẽtiam, quam hîc habet iuſtus in ſpe: in patria autem poſſidet in re. Nam verè illud munus quietis meretur, ſi hoc fieri Domini iuuamine confidat.

IN PSALMVM QVINTVM.

VErba mea auribus percipe, Domine, intellige clamorem meum.

Huic Pſalmo præmittitur titulus talis, ſecundum Hebræos, Ad victoriam ſuper Hanechiloch, Pſalmus Dauid. Nechiloch autem (teſte Lirano) dictio Hebraica eſt, æquiuoca, nonnunquam ſignificans quoddam inſtrumentum muſicum: & ſic tunc eſt ſenſus, Pſalmus Dauid aptus decantari in tali muſico inſtrumento ad victoriam, id eſt cum conatu vocis Leuitarum, ſeu cantorum: prout declaratum eſt in titulo Pſalmi præcedentis. Si verò Nechiloch ſit nomen plurale, tunc ſignificat hæreditates, quia eſt plurale huius nominis Nechilah quod ſignificat hæreditatem. Propterea taliter forte vertit hunc titulum Hieronymus, In finem pro ea quæ hæreditatem conſequitur, Pſalmus Dauid.

Quare de argumento huius Pſalmi ſi inquiritur, poteſt interpretari tanquam referat hiſtoriam deiectionis Saulis 1.Reg. 15
à regno, propter iniquitates eius: & ſit defenſio, directio, atque benedictio Dauidis iuſti ad regnum, ob diuini cultus curam. Intelligitur etiam de Eccleſia militante in ſuis membris, quæ in fine & conſummatione mundi hæreditatem conſequutura eſt, vniuerſis nationibus CHRISTO credentibus: quaſi totus hic Pſalmus ſit de ea quæ accepit hæreditatem, vitam æternã, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, vt poſſideat ipſum Deum: cui adhęrens, beata ſit. Quapropter ſic vox Eccleſiæ eſt in hoc Pſalmo, Vocate ad hæreditatẽ, vt ipſa fiat hęreditas Domini. Si primũ ſenſum interpretemur, quantum ad vim humani moris petit Dauid vt ſua audiantur verba, & vt intelligatur quod dicit, & vt

patienter auſcultetur ardens deſiderium ſuum, explicando per clamorē, quòd loquitur ex magno animi affectu. Clamorem enim ideo addidit, vt cum tono atq; intentione ſpiritus preces ſe fudiſſe oſtenderet: & poſthac clamori etiam vocē coniungit, forſan ea ratione, vt clarè atq; aperte ſe loquutum fuiſſe ſignificaret, quum alioquin clamor ignotam ſoleat vocē efficere. Si verò in his omnibus pro membris militantis Eccleſiæ, ſtylum vertamus, accipiamus hæc omnia tanquam ex perſona eius quæ hæreditatem aſſequitur: oratio ad Dominum dirigatur. Hæreditas verò de morte parentis naſcitur filijs. Hac ratione, niſi Chriſtus mortuus eſſet, hęc hęreditas nō patebat. Ipſo ergo moriēte nata, ipſo reſurgente confirmata eſt, ipſo aſcēdēte in cælis, permanet hęc hęreditas in ęternū. In capite Pſalmi tria ſunt ab hęrede compoſita, verba, clamor, oratio: ipſa verba rogat auribus percipi, clamorē intelligi, orationem audiri: dicēdo, Verba mea auribus percipe, Domine, oſtēdit orationē etiā vocalē eſſe debere, & quòd obligato vocaliter orare, nō ſufficit ſēſum verborū animo reuoluere, niſi ſimul & verba integrè proferat: prout notatur in cap. Dolētes. extra de celebratione miſſarū. Vnde Paulus 1. ad Corinth. 14, orationem vocalem cōmendat per pſalmodiā, quæ niſi voce fieri nō poteſt. cui hoc vnum addit, Pſallam ſpiritu, pſallam & mente. quaſi dum ſic oramus, nō ſit aliud quod magis cogitare debeamus, quàm quòd cū Deo loquimur. Quomodo enim nos à Deo audiri poſtulamus, quū nosipſos nō audiamus? volum⁹ Deū eſſe memorē noſtri dum rogamus, quando noſipſi memores noſtri nō ſumus? hoc eſt vigilare oculis, & corde dormire, quū debeat Chriſticola & quū dormit oculis, corde vigilare. Aures autē Dei quib⁹ noſtra verba percipit, ſunt potētia & miſericordia: per potentiā poteſt, per miſericordiam vult exaudire. Niſi enim eſſet illius clemētia, nullius preces reciperet. Qua de re fit, miſericordia Domini plena ſit terra

Cant. 5.

Pſal. 118.

Sequitur, INTELLIGE clamorē meū. ſed bene oſtendit quis iſte ſit clamor qui īterior de cordis cubili, ſine ſtrepitu corporis, perueniat ad Deū: quādoquidē vox corporalis auditur, ſpiritualis autē intelligitur. Vnde hìc aliqui legunt, Intellige cogitationem meam: quaſi oratio debeat ſimul

eſſe &

eſſe & vocalis & mentalis. Quando enim gemitus noſter & cõſcientia deprecãtur, iſtum clamorẽ intelligit Deus: quomodo dixit Hieremias Threnorũ cap. 2, Deduc quaſi torrẽtem lachrymas per diem & noctem, non des requiẽ tibi, neq; taceat pupilla oculi tui. Torrẽs verò non ſemper vno eodémq; impetu effluit: ſed ſicut inundatio de cælo cõfluit, ſic & lachrymæ, prout diuina inſpiratione & compunctione cordis generantur. Quapropter, ſicut dixit Apoſtolus ad Galat. cap. 4, Clamamus in cordibus noſtris, dum cum gemitu Dominum deprecamur. Ita quãdo pœnitẽtes lachrymas ad Deum fundimus, eo tempore pupilla oculi noſtri clamat ad Dominum. Quid verius enim per hunc clamorẽ, niſi feruorem affectus concipere poſſimus? quiquidem feruor in oratione vſqueadeo pernece ſſarius eſt, vt Epiſcopus Epheſinus, angelus in Apocalypſi nũcupatus, ob eius deffectum arguatur, dicente Scriptura, Apoca. cap. 2, Noui opera tua, & patientiam tuam, & quia non potes ſuſtinere malos, & ſuſtinuiſti propter nomen meum, nec defeciſti. Sed habeo aduerſum te pauca, quia charitatẽ tuam primã reliquiſti, memento vnde excideris. Quam igitur damnationem accepturos credimus indeuotos, quum tantam reprobationem deuotus acceperit? Tepidum diſcipulum nõ amat Chriſtus. Vnde Paulus ad Rom. Sollicitudine, nõ pigri. Et quia ore & corde ad Deũ clamat fidelis, Sequitur, Rom. 12.

Intende uoci orationis meæ, Rex meus & Deus meus.

Non ſufficit Dauidi proponere hæc Domino, ſed multiplicat adiectiua, petendo à Rege & Deo ſuo, dicens, Rex meus, & Deus meus. Rex quidem me⁹, per ſpecialem protectionem & tutelam: Deus meus, per ſpecialem fidem & ſpẽ in eo repoſitam. Te enim ſolum (inquit) habeo in Regem, veluti qui mei ſolus prouidentiam & procurationem habes. Te ſolum pari modo vt Deum colo, tanquam verum omnium creatorem: cætera enim idola omnia ſemper abieci. Et commemoratur ingens beneficium per hoc quod De⁹ dignatur eſſe & vocari Deus me⁹, ſicut pluries in ſacra Leuit. 18. Scriptura iſtud pro magno munere repromittit, Ero Deus & 26.

Exod.3.5. & 7. veſter.hoc modo dictus eſt Deus Hebræorum,ob veram illorum fidem,gentibus aliis ad idololatriam deditis. Et hîc eſt repetitio eiuſdem ſententiæ cum verſiculo præcedenti, ſicut frequenter accidit in his quæ petimus ex magno affectu. Tantundem vide etiam ſi de militante Eccleſia loquaris, quæ modo dicit, INTENDE voci orationis meæ, vt declaret orationem hanc eſſe perfectam,quã affectus mentis inflammat. Vocat autem Chriſtum, Regem ſuũ, quia eſt Epheſ.1. caput illius:teſte Paulo ad Epheſ. Ipſum dedit caput ſuper omnẽ Eccleſiam,quæ eſt corpus ipſius. Chriſtus verò dicitur caput Eccleſiæ,per ſimilitudinem humani capitis, ſicut Eccleſia dicitur corpus myſticũ ſeu ſacrũ vel occultum,per ſimilitudinem humani corporis. Nam quemadmodũ caput in microcoſmo excellit in altitudine ſit*, in nobilitate propriæ virtutis,ac perfectione aliorum ſenſuum:quia in capite congregantur omnes ſenſus, quum in aliis membris ſit ſolus ſenſus tactus:& à capite alij ſenſus,& omnis motus in corpus deriuantur: ſic à CHRISTO omnis gratia & omnia ſacramenta in Eccleſiã fluunt. Proinde etiam ſecundum naturam humanam verè dicitur eſſe ſuæ Eccleſiæ caput, videlicet ob excellentiſſimum actum,quem in eadem aſſumpta natura exercuit,redimendo genus humanum.vnde Auguſtinus tractans illud Ioannis cap.19,Vnus militum lancea latus eius aperuit,& cõtinuò exiuit ſanguis & aqua: dicit quòd ſicut de latere Adam dormientis formata eſt Gen.2. Eua,ſic de latere CHRISTI in cruce morientis,formata eſt Eccleſia: quia inde fluxerunt Eccleſiæ ſacramenta efficaciora quidem & vberiora nobis quàm olim patribus veteris Legis. Nam hæc paſſio CHRISTI exhibita, nũc plus impetrat, quàm ſub Moyſe duntaxat præuiſa valuit. Propterea nunc Eccleſia vocat etiam CHRISTVM, Deũ ſuum,qui effectiuè eam ſanctificat in quantum Deus,meritoriè in quantum homo. Sed hîc addit vnde meritò audiatur, dicens,Quoniam,&c.

Quoniam ad te orabo, Domine, mane exaudies uocem meam.

Iuxta Auguſtini ſententiam, ſicut ſol per ſuam præſentiam

ſentiam cauſat diem & lucem in noſtro hemiſphærio, in qua luce omnia videntur & diſcernuntur à nobis: & per ſuam abſentiam cauſat noctẽ & tenebras, in quibus, de rebus non poſſumus iudicare: ita Chriſtus, qui eſt ſol iuſtitię, per ſuam præſentiam fecit, & attulit in aduentu mortalibus lucem, legem videlicet Euangelicam, per quam agnoſcimus & diiudicamus veritatem omnium quæ latebant in ceremoniis legis veteris: vnde lex vetus ab Adam vſque ad Chriſtum appellatur nox. ad Roma. cap. 13. Nox pręceſſit, dies autem appropinquauit. Et tempus Meſſiæ, Ioan. cap. 8, dicitur dies, ſiue mane. Abraham (inquit Chriſtus) pater veſter, exultauit vt videret diem meum. Quapropter forſan nunc Dauid adhuc circundatus hac nocte legis veteris, expectans diem Chriſti, in illius fide, ait, Mane exaudies vocem meam. Poteſt etiam intelligi ipſa Eccleſia quæ ad ſponſum clamans, dicat, Orabo ad te, Domine, non ad ſimulachra, ſicut Gentes. Mane exaudies, ſcilicet quum abiecero opera tenebrarum, & induero arma lucis. Non enim ille es qui poſſit videri ab eis, quorum ab oculis nox peccatorum nondum receſſit. Peracta ergo erroris mei nocte, & diſcedentibus tenebris, quas mihi peccatis meis feci, exaudies vocem meam. Tũc te orabo, quaſi in matutino poſita: & dum profligatis erroris tenebris ſol iuſtitiæ venerit in corde meo, me exaudies. Memineris autem duplicem poſſe afferri rationem cur ſe mane exaudiendam dicat. Prima eſt quòd illa hora ſcribitur conueniens pro vindicta ſumenda de peccatoribus. Pſalm. 100, In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. Sic hac hora ſubuerſi ſunt in mari Rubro AEgyptij perſequentes Iſrael in egreſſu de AEgypto, Exodi cap. 14. Altera, quia illa hora ſurgebant Sacerdotes ac Leuitæ, & præparabant ſe ad offerendum ſacrificium matutinum, quod cum diuinis laudibus offerebatur. Numeri cap. 28. Sed attende etiam quod dicit Mane, ſtatim vt tenebræ peccati fugere ceperint. Audit tunc nos Dominus in principio boni operis, & exaudit, nec expectat finẽ, ſed is primus bonus animi motus, ſi non de condigno, ſaltem de congruo tunc gratiam meretur, & cum

Malach. 4

Roma. 13.

Zacha. 1. gratia fit, vt inquit Deus per Zachariam, Conuertimini ad
Iaco. 4. me, & ego conuertar ad vos. Et Iacobus, Appropinquate
2. Cor. 3. Deo, & appropinquabit vobis. Non quaſi ex nobis ſufficiẽtes ſumus, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt: teſtante Paulo ad Rom. cap. 9, Non eſt volẽtis, neque currẽtis, ſed miſerãtis Dei. Et id quidem fit per inſtinctum & influxum ſpecialẽ, quo mouet Deus naturam humanam ad bonum: neque pro hac vita facienti quod debet iſtud auxilium ſpe-
Pſal. 144. ciale aliquando denegatur, ſed ſemper prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum. Si tamen ſic prius ſit Deũ excitare ſuã rationalem creaturã, quàm ipſam excitari à Deo. Nos modo dicemus iſta relatiuè ſeſe habere, & relatiua eſſe ſimul natura, ſicut nõ prius eſt patrem eſſe patrem, quàm filium eſſe filium, licet pater ſit cauſa filij. Quando verò hoc primo bono motu, Deo ſpecialiter adiuuãte, bene vtimur, Altiſſimus gratiã elargitur, à qua alij boni noſtri actus profluentes fiunt de cõdigno meritorij & acceptati tanquã ſignati vero ſignaculo iuſtitię. Proinde ſequitur, Mane, &c.

Mane aſtabo tibi, & uidebo quoniã non Deus uolens iniquitatem tu es.

Vide ordinem: Mane, non veſpere, non in tenebris, aſtabo tibi, inquit Dauid, paratus ad tuũ obſequiũ. Aſtare enim, rectitudinẽ ſignificat & perſeuerantiam. ET videbo, peccatorum nebulis diſcedentibus, gratia quoq; infuſa. QVONIAM non Deus volens iniquitatem tu es: vti à ſuis cultoribus & idololatris tunc exigebant dæmones pro dijs à populo habiti. De quibus refert Auguſtinus lib. 2. de Ciuitate Dei, cap. 4, ſuper execratione ludorum ſcænicorum, ac turpitudine ſacrificiorum idololatriæ, ita ſcribens, Pertinebat ad conſultores deos vitæ bonę precepta non occultare populis cultoribus ſuis: ſed clara prædicatione præbere, per vates etiam conuenire, atque arguere peccãtes, palam minari pœnas malè agentibus, præmia rectè viuẽtibus polliceri. Quid vnquã tale in deorũ illorum templis prompta & eminẽti voce concrepuit? Veniebamus nos etiam aliquãdo adoleſcentes ad ſpectacula, ludibriáque ſacrilegiorum: ſpectabam' arreptitios, audiebamus ſymphoniacos ludis turpiſſimis

piſſimis, qui diis, deabúſque exhibebantur. Oblectabantur cæleſti virgini, & Berecynthiæ matri deorum omnium. Ante cuius lecticam, die ſolenni lauationis eius, talia per publicum cantitabâtur à nequiſsimis ſcęnicis, qualia nec matrem ipſorũ ſcænicorum deceret audire. Habet enim quiddam erga parentes humana verecundia, quod nec ipſa nequitia poſſit auferre. Cæterum in ludis ſcænicis non offendebantur dij editione ſuarũ turpitudinum: quare Plato poetas in ſua ciuitate noluit, quòd de diis ſunt cõmenti, præbentia legentibus peſſimum exemplum, puta bella, rapinas, ſeditiones, furta, & cętera huiuſmodi nefanda referendo. Hîc etiam ſi Eccleſiã cum dilecto ſuo loquentem audias, ipſa reddit cauſam cur mane aſtabit & videbit, quia ſcilicet Deus non vult iniquitatem: quam ſi vellet, poſſet ab iniquis videri ſine mane. Sed illa quæ ſe cognoſcit habuiſſe tenebras peccatorũ de nocte mundi iſtius congregatas, tunc exaudiri merito credit, quum in lucem cæleſtis conuerſationis eruperit. Nõ ergo inhærendũ terrenis, ſi volumus Deum videre, qui non niſi à mundis corde conſpicitur. Et intuere quare MANE dictũ eſt. Peccatum eſt nox, quo recedẽte, fit mane, vt videatur Deus: neque diutius expectãdum eſt, ſed vti repromittit Dominus, Ezechie. cap. 18, In quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor. Vnde Auguſtinus Sermone 11, ad fratres in Heremo, O cõpunctio quàm ſacra & mirabilis prædicaris. Tu ſpirituale lauachrum, tu ſtimulus per quem Deus ad homines inclinatur: tu ligamẽ per quod Deus fortiter aſtringitur. O lachryma, mentem purgans, intentionem ſecundans, confeſſionem irrigãs, animam ſanctificans: tu felix tabula, & vitæ nauicula poſt naufragium. Animaduerte autem interea quàm ſubtiliter Propheta deſcribit diuinam voluntatem, reſpectu iniquitatis: quia non per poſitiuum actum nolẽdi, ſed per negationem actus volendi depingit ipſam. Nõ enim ait, Deus, nolens iniquitatem tu es: ſed non volens iniquitatem tu es. Nam ſi Deus nollet iniquitatem fieri, hoc eſt ſi vellet nullã iniquitatem fieri, nulla iniquitas fieret: quoniam voluntati eius nullus reſiſtere poteſt, & omnia quæcunque voluit,

Matth. 5.

fecit & facit. Sed Deus non vult iniquitaté, cũ quo non velle ſtat quòd velit permittere iniquitates: quemadmodum teſtatur Auguſtinus, dicens, Non eſſe malũ in ciuitate quod non fecerit Dominus. Memineris interim, quem Latinus interpres aſſidue iniquum appellat, ex legem potius quàm iniquum, ad veritatem Græcam ſignificare, ſed vocabuli inopia, ἀνομίαν, iniquitatem appellamus.

Amos 3.

Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos.

Quando aliquis recedit à nobis qui malus eſt, gratulemur: hoc in nobis fit quod factum eſt in Domino. Videte enim quid dicat Spiritus Sanctus, Neque habitabit iuxta te malignus. Quæ ſane communicatio luci & tenebris? quis conſenſus Chriſto & Belial? Quando ergo recedunt tales ex nobis, dicamus & nos, Exierunt ex nobis, ſed non fuerunt ex nobis: ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum. Vel hîc accipe prophetiam Dauid dicentis ad Deum, Non habitabit iuxta te, id eſt in templo ſancto tuo in Hieruſalem idololatra malo igne ignitus. Nam 2. Paralipo. cap. 6. dicit Dominus, Elegi Hieruſalem vt ſit nomen meum in ea. Si autem Deus ignis eſt conſumens, quicunque ſtipula, quicunque lignum fuerit, recedit ab igne, ne ardeat: & quadrat voluntati non volenti iniquitatem, quòd non patiatur ſecum habitationem perſonæ malæ. Sed quando dicitur, NEQVE permanebunt iniuſti, &c. oſtẽditur quòd aliquãdo maneant peccatores ante oculos Dei, Domino expectante pœnitentiam eorum. Sic benigniſſimus eſt Deus qui tantas tolerat iniurias à malis, relinquẽs eis tempus in quo reſipiſcant. Sed hoc nouerint procraſtinantes emẽdationem, quia ſicut miſericors eſt tolerando, ita iuſtus eſt puniendo. Vnde Valerius, Lento gradu procedit ira Dei ad vindictam, ſed tarditatem grauitate ſupplicij compenſat. Quare concedit nõnunquàm Deus hominibus certum tempus ad pœnitentiam, quod poſtea contemnentibus, & relicto tempore abutentibus, abbreuiat: vti voluit Hieronymus libro Hebraicarum quæſtionum, interpretãs illud Geneſis cap. 6, Non permanebit ſpiritus meus in homini-

2. Cor. 6.
1. Ioan. 2.
Deut. 4. & Hiere. 12.
Valer. lib. 1. cap. 25.

hominibus iſtis in æternum, quia caro ſunt: ſed erunt dies eorum anni centum & viginti, &c. Nēpe quia pœnitentiā agere contempſerunt, noluit Deus tempus expectare decretū, ſed viginti annorū ſpatiis amputatis, induxit diluuiū anno centeſimo agendæ pœnitētiæ deſtinato. Quapropter qui permanent iniuſti, non pmanēt ante oculos Dei. Gerunt enim ſecum ſuam noctem, quæ eſt mala conſuetudo peccandi, quæ in Sacris frequenter appellatur clamor, vt Geneſis cap. 18, Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus eſt, & peccatum eorum aggrauatum eſt nimis. Nam peccata, quanuis magna & horrenda, quum in cōſuetudinē venerint, aut parua aut nulla eſſe creduntur: vſque adeo vt non ſolum non occultanda, verumetiam iam prædicanda ac diffamanda videantur. Sicut habes apud Eſaiam prophetam de vinea mala, Expectaui (inquit) vt faceret iudicium, fecit autem iniquitatem & non iuſtitiam, ſed clamorem. Et non ſolum tunc peccata publica non puniuntur, ſed publicè velut lege frequentantur, & laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur &c. Sed ideo, Domine, non permanebunt, Quia odiſti &c.

Eſaiæ 5.

Pſal. 9.

Odiſti omnes qui operantur iniquitatem, perdes omnes qui loquuntur mendacium.

Non dixit qui operāti ſunt, ſed qui operantur iniquitatem, quaſi ſic, Qui perſeuerant in peccato, illi odio habentur à Domino, fitque in eis lex peccati violentia malæ conſuetudinis, qua trahitur & tenetur animus. Quippe, teſte Auguſtino, 8. Confeſſionum, ex voluntate peruerſa fit libido, & dum ſeruitur libidini, fit conſuetudo, & dum cōſuetudini non reſiſtitur, oritur neceſsitas. Ecce quomodo peccatum quod ſtatim per pœnitentiam non deletur, mox ſuo pondere ad aliud trahit. Vnde narrat Gregorius lib. 4. Moraliū, ca. 19. quòd Chriſtus tres mortuos ſuſcitauit: Puellam in domo, iuuenem in porta, Lazarum in ſepulchro. quartum vero mortuum, diſcipulo nuntiante, cognoſcit, ſed tamen non ſuſcitat, quia difficile eſt vt is qui ſemel mala conſuetudine peccandi inueteratus eſt, à mentis ſuę morte poſtea reſurgat. Quare recte dicit Sapien. cap. 1, Nolite

Matth. 9.
Lucæ 7.
Ioan. 11.
Matth. 8.

zelare ſeu diligere mortem,id eſt peccatum, quod eſt cauſa mortis. Iacobi cap. 1, Peccatum quum conſummatũ fuerit, generat mortem. Et vere peccatum mors dicitur, quia ſicut mors reddit corp⁹ rigidũ, frigidũ, fœtidũ, putridũ, horridum & terreum, ita peccatum facit animam rigidam, per ſuperbiam: frigidam, per inuidiam (quam vocat Propheta malitiã. Hiere. ca. 6, Sicut frigidã facit ciſterna aquam ſuã, ſic frigidam fecit malitia animam ſuam) fœtidam, per luxuriam: putridam, per gulę voracitatem: horridam, per iracundiam: terream, per auaritiam. vt dicatur tunc animæ, ſicut talpæ dixit natura, & Deus ſerpenti, Gene. cap. 3, Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Sed quia etiam Deus

Rom. 3. verax eſt, proinde ſubiungit Propheta, Perdes omnes qui loquuntur mẽdacium. Quodquidem dicitur ab Auguſtino eſſe falſa ſignificatio vocis cum intentione falſum dicendi. Ratio autem cur ipſum ſit peccatum, hæc potiſſima eſt. Nã quum loquela data ſit homini ad exprimendum conceptũ cordis, quandocunque aliquis loquitur quod in corde non habet, abutitur ſermone, & loquitur quod nõ debet, & quũ omnis abuſus rei ſit peccatum, propterea ſic abutendo dono Dei, peccat. Quare Sapiẽ. primo, ſcribitur, Os quod mẽtitur occidit animam. Mirabile autem, & contra naturam eſt, dum os quod datur ad nutritionem & vitam hominis, ſic mortem affert. Quapropter Prouerb. cap. 21, ſcribitur, Qui os & linguam cuſtodit, ſeruat ab anguſtiis animã ſuã. Si vero credimus Auguſtino, ſunt mendacia quædam pro ſalute vel commodo alicuius, non malitia ſed benignitate: vt obſtetrices AEgyptiorum, quæ dixerunt Pharaoni falſum pro filiis Hebræorum. Exodi cap. 1. & hæc mendacia in eis non laudantur: ſed duntaxat bonus dolus, ſeu pietas naturalis, qua voluerunt ſeruare hos paruulos. Eſt etiam mendacium iocoſum, quod non fallit. Scit enim is cui dicitur, cauſa ioci dici: & hoc adhuc non eſt ſine culpa, tametſi modica ſit. Perfectis autem non conuenit mentiri nec pro temporali vita ſua vel alterius, quanuis liceat aliquando verum tacere, ſi tamen non ſtemus coram eo, in cuius foro interrogati teneamur veritatem occultam, de qua tunc reuelanda agitur, detegere. Semper tamen adhuc caueamus

ne vſquam

ne vſquam veritatem negemus, quandoquidem eam negãdo falſum dicimus. Memineris inſuper mendacium eſſe in geſtu, ſicut in verbis: ſi hoc potiſſimum geſtu vtimur qui ex ſui natura ad certò aliquid repræſentandum inſtitutus eſt. Sic hypocriſis, peccatum dicitur. Quemadmodũ vero quędam ſunt verba æquiuoca, ita & geſtus, & his poſſumus vti quando ſanctè veritatem cęlamus. Sic licuit Dauid ſimulare furiam coram Achis: ſic probe inſidias poſuit Ioſue contra vrbem Hay: ſic Chriſtus coram duobus diſcipulis finxit ſe longius ire. Lucæ vltimo. Rem autem nouam hîc video, Qui malũ operatur, odio habetur: qui mentitur, perit. Perpẽdamus quid ſit plus, odio haberi à Domino, an perire. Infelix quidem eſt qui odio habetur à Deo, ſed adhuc viuit: qui autem loquitur mendacium, & perit, iam eſſe deſiſtit. Vtique ergo (vt videtur) infelicior eſt qui mendacium loquitur, quàm qui operatur iniquitatẽ: tametſi hoc quod hîc dicit, Perdes omnes qui loquuntur mendaciũ, & ex conſequentibus Pſalmi, & ex ipſo ordine, intelligere poſſumus quia de hæreticis dicat. Qui enim operatur iniquitatẽ ſuã, tantum animam occidit, qui autem hæreticus eſt, & loquitur mendacium, tot occidit homines quot ad errorem induxerit. Siue per hoc verbũ PERDES, grauiſſima mẽdacium tormẽta denotauit Propheta. Deinde mutat ipſe perſonam, ſubnectens, Virum ſanguinum, &c. 1.Re.21. Ioſue 8.

Virum ſanguinum & doloſum abominabitur Dominus.

Nunc reuertitur ad Saulem, quem propterea appellat virum ſanguinum, quòd Achimelech cum tota eius domo, odio Dauid, iniuſta morte perdidit, & octogintaquinq; viros veſtitos Ephot lineo, ac Nobe ciuitatẽ ſacerdotum, viros & mulieres, paruulos & lactãtes, bouemque & aſinum & ouem in ore gladij percuſſit. vt patet 1. Regum cap. 22. Cæterum ipſum etiam virum doloſum nominat, tum propter dolos quibus vſus eſt in Dauidem, vt quum lancea voluit eum transfigere in parietem, & ſatellites ſuos nocte in domũ Michol miſit vt cuſtodirẽt eũ, & interficeretur mane. 1. Regum cap. 19. & quia promiſit ei filiam in ſcanda-

lum, atque petiit centum præputia Philiſtinorum: cogitans ſic tradere Dauid in manus eorum, 1.Regum cap.18. Tum inſuper ob fraudẽ quam in Deum commiſit in percuſſione Amalech, parcendo optimis gregibus ouium & armentorum, & vniuerſis quæ pulchra erant, ſimulans ea immolanda Domino, 1.Regum cap.15. Sed huius futurum excidium indicat verbũ quod ſequitur, Abominabitur Do-
1.Reg.15. minus. Quemadmodum etiam ei tunc aſſeuerauit Samuel, dicens, Scidit Dominus regnum Iſrael à te hodie, &c. Inſuper vir ſanguinũ omnis hæreticus eſt, qui quotidie animarum ſanguinẽ fundit, & rectè eum dixit doloſum. Tales habet aduerſarios Eccleſia: Mercurios, propter nummorum cupiditatem: nocturnos Plauti Amphitriones, ob ſolutam in omnẽ licentiam luxuriã, & Liberũ Patrẽ, ebrietate ac effrænatis conuitiis, referentes. Et frequenter licet venena pectoris non amiſerint, tamen os impietatis ad tempus nõ
Pſal.57. aperiũt, ſed ſunt ſicut aſpides ſurdæ, & obturãtes aures ſuas:
Ioan.19. & pedetentim indiſciſſam Domini tunicã & deſuper textã,
Cãtic..2. minutatim per fruſta diſcerpunt, ac Chriſti vineam exter-
Hiere.2. minant vulpes, vt inter lacus contritos, qui aquam non ha
Cãtic. 4. bent, difficile, vbi fons ſignatus & hortus ille concluſus ſit, poſſit intelligi. Aut ſi mauis hæc generalius cum præcedentibus connectere, quum mendaciũ & lites & detractiones ac dolos ſeu fraudes pariat, memineris hîc ſingula iſtiuſmodi monſtra prohiberi. Detractio contra famam pugnat, cõtumelia honori derogat: his dolis læditur nomen proximi: & lingua (quæ ad conciliandas amicitias, litéſque reſarciendas homini cõceſſa eſt) hoc pacto fit diſcordiæ principium. Is dolus pręſignatus eſt per beſtiam quam vidit Daniel, quę ſimilis erat vrſo, & tres ordines dentium erant in ore eius, cui dictum eſt: Surge, comede carnes plurimas, Danielis cap. 7. In his tribus ordinibus dentium deſignati ſunt tres doli detractoris: Primus eſt, bona opera proximi minuere, ſeu perperam interpretari: ſecũdus, defectus veros, ſed occultos fratris, animo diffamandi, non ſeruato ordine charitatis propalare: tertius eſt, falſo crimina innocenti impingere. Super quibus fugiendis nos admonens Petrus, 1. ſua
1.Pet.2. Canonica ait, Deponẽtes omnẽ malitiã & omnem dolũ, &

ſimu-

ſimulationes & inuidias, & omnes detractiones, ſicut modo geniti infantes lac manſuetudinis & beneuolentiæ ad omnes concupiſcite. Ita vt iure poſtea de vnoquoque noſtrũ dici poſſit illud Cãticorum, Fauus diſtillans labia tua, mel & lac ſub lingua tua. At de his hactenus. Iterum nunc Propheta mutat perſonam, dicens, Cãtic. 4.

Ego autem in multitudine miſericordiæ tuæ introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum, in timore tuo.

Reprobato Saule, vtrũque horum intelligitur, quãtum ad affectum & diſpoſitionem Dauidis: habebat enim voluntatem ædificandi domum Domini, & ſic ingredi illam, & curuus adorare in templo (etſi Deus noluerit ꝙ per ſeipſum ſed per filiũ id exequeretur, vt patet 2. Regum cap. 7.) Aut de vnoquoq; fideli iſtud interpretando, peruerſi in iniquitate ſua egrediũtur de domo Dei: iuſtus autẽ diuina miſericordia fretus, ingreditur domũ Domini, quæ eſt Eccleſia. Ingreditur autẽ tanquã lapis in ædificiũ, cuius angularis cuneus ille eſt, quẽ ſuſcepit coæterna Patri virtus & ſapientia. Sic igitur Eccleſia de ſuis membris loquens, nunc dicit, Ego videlicet adhuc militans, & quæ nondum ſtadiũ meũ percurri, repulſis his vitiis (de quibus ſupra ſermo factus eſt) in multitudine miſericordiæ tuæ, vel in multa ſpe concepta de tua miſericordia, non in meis meritis aut viribus cõfidens, introibo in domum tuam cæleſtem, ſcilicet Hieruſalem, quaſi petra in cæleſte ædificiũ. Homines autẽ multos regeneratos atq; perfectos recte dici multitudinẽ miſericordiæ Dei quis negat? quum veriſſimè dictum ſit, Quid eſt homo, quia memor es eius, aut filius hominis, quia viſitas eum? Ex his ſuperna illa ciuitas cõſtabit, quos nũc parturit, & paulatim parit Eccleſia. Interim vero ipſa hîc dicit, Adorabo ad templũ ſanctũ tuũ, in timore tuo. Cõſiderandum quòd nõ dixit in templo, ſed ad templum. Nã Iudæi etiam extra Hieruſalem exeuntes, cõuerſa facie verſus illam, adorabant: vti ſcribitur. 2. Parali. cap. 6. Et Danielis cap. 6, quãdo ſub Dario captiuus Daniel, feneſtris apertis in cœnaculo ſuo cõtra Hieruſalẽ, tribus tẽporibus, ſcili-

Epheſ. 2.

Pſal. 8.

cet, mane, meridie, & veſpere in die flectebat genua ſua, & adorabat, & cōfitebatur coram Deo ſuo, ſicut & antè facere conſueuerat. Quotieſcunque vero ad templum ſanctum Dei conuenimus, id faciamus in timore ſancto, ne cadamus. Nam is timor adhuc proficientibus magno eſt adiu-
1.Ioan.4. mento, quanuis dum peruenerimus, tunc perfecta charitas foras mittet eum. Nam vbi erit prorſus ſecuritas, nullus amplius reſtabit timor labendi. Et iure etiam noſtræ baſilicæ, templa ſancta dicuntur: partim quòd ibi conueniunt Chriſticolæ ad audiendam ſanctam fidei doctrinam: Lucæ 19, Et erat quotidie docens in templo: Partim quòd is locus maxime deſtinatus ſit, in quo congregetur credentes ad orandum & impetrandum à Deo. Iudich cap. 6, Conuocatus omnis populus per totam noctem intra Eccleſiam orauerunt, petentes auxiliū à deo: Partim etiam quòd in eum locum veniunt fideles ad offerenda Deo ſacrificia, & ſuſcipienda diuina ſacramēta, quibus ipſa adornatur Eccleſia. Deuterono. cap. 12, Ad locum quem elegerit Dominus Deus noſter venietis, & offeretis in loco illo holocauſta & victimas veſtras, decimas, & primitias manuum veſtrarum, & vota atque donaria. Poſtea ſubiungit mater Eccleſia, Sed, ô Domine, deduc me, &c.

Domine, deduc me in iuſtitia tua propter inimicos meos, dirige in conſpectu tuo uiam meam.

Imprimis deſcribit Dauid ſeipſum poſitum in periculo inſidiantium ſibi hoſtium: aperit etiam deſiderium ſuum ad gradiendum in via Dei: & propterea petit dirigi & deduci in illius iuſtitia. Et hoc fuit ad literam impletum in mon
2.Reg.1. te Gelboe, quando ſtatim audito nuntio de morte Saulis & profligatione illius exercitus, ipſe reuerſus à cæde Amalech, conſilio Domini, cum duabus ſuis vxoribus & viris qui cum eo erant, aſcendit in Hebron, & ibi regnauit ſeptē annis, & ſex menſibus ſuper domum Iuda, 2. Regum cap. 2. & 5. Inſuper hæc de militante Eccleſia intelligendo, deductio conuenit proficiſcenti: & propterea ſatis hîc declarat ſe adhuc in profectu ad perfectionem eſſe, & nondum ipſam attigiſſe: quando vt ad eam deducatur, exoptat.

Ego

Ego cupio(inquit)intrare in domum tuam,& volo ingredi per viam tuam rectam:ſed quoniam continuata ſemitis ſcandala ponunt inimici mei,& mihi in domum tuam ire cupienti laqueos tendunt in itinere, propterea te deprecor vt tu dirigas pedes meos vſque in finem.Meum eſt ambulare in via tua,tuum eſt ſeruare greſſus meos:& quia hîc diuerſis anguſtiis fatigor, deduc me in iuſtitia tua: non in ea quæ videtur hominibus: nam & malum pro malo reddere,iuſtitia videtur:ſed non eſt eius de quo ſcribitur, Qui facit oriri ſolem ſuum ſuper bonos & malos. Et quum punit Deus peccatores,non malum ſuum eis infert, qui nullum habet,ſed malis eorum eos dimittit: quo pacto vere peccatum ſui pœna eſt. Et tu(ait ad Deum Eccleſia,)qui abiicis rebelles,iuſtum eſt vt velis recipere ſupplicantes. Quamobrem propter inimicos dirige in conſpectu tuo viã meam,propter viſibiles atque inuiſibiles inimicos meos, qui in ſemitis meis ſcandala ſeminant,& laqueos tendunt. Explana quæſo, Domine, viam tuam: (ita enim Symmachus reddidit)nam inimici alteram viam oſtendunt, quæ ducit ad mortem, & viribus meis ad te Deum peruenire non valeo,qui tortuoſis ſemper ſemitis ambulo. Dirige igitur & eſto dux & author meus, inquit Eccleſia pro ſuis membris deprecans.Iſta etiam via, lectio ſacrarum Scripturarum dici poteſt,per quam certo aliquid de Deo cognoſcimus, & ad eum appropinquamus: ſed facto ſimiliter opus eſt in ea dirigamur. Sacratæ quidem hæ Scripturæ primum per hominem diſcendæ ſunt, vt ſic ſine ſuperbia diſcamus, & per quem docetur alius, ſine inuidia tradat quod accepit.Neque tentemus eum cui credimus,ne talibus inimici verſutiis & peruerſitatibus decepti,ad ipſum quoque Euangelium audiendum atque diſcendum nolimus ire in eccleſias,aut codicem legere,aut legentem prædicantemque hominem audire: & expectemus rapi vſque in tertium cælum ſiue in corpore, ſiue extra corpus, ſicut dixit Apoſtolus,& ibi audire ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui: aut ibi videre Dominum Ieſum Chriſtum,& ab illo potius quàm ab hominibus audire Euangelium.Caueamus tales tentationes ſuperbiſſimas & pericu-

Matth. 5.

2. Cor. 12.

Gala. 1.

Act.9. loſiſſimas, magiſque cogitemus ipſum Apoſtolum Paulum, licet diuina & cæleſti voce proſtratum & inſtructum, ad hominem tamen miſſum eſſe, vt ſacramenta perciperet,
Act.10. & copularetur Eccleſiæ. Et centurionem Cornelium, quanuis exauditas orationes eius, eleemoſináſque ſuſceptas ei angelus nuntiauerit, Petro tamen traditum imbuendum: per quem non ſolum ſacramenta perciperet, ſed etiam quid credendum, quid ſperandum, quid diligen-
Act.8. dum eſſet, audiret. Et certè Spadonem illum qui Eſaiam Prophetam legens non intelligebat, neque Apoſtolus ad angelum miſit, nec per angelum ei quod non intelligebat expoſitum, aut diuinitus in mente, ſine hominis miniſterio reuelatum eſt, ſed potius ſuggeſtione diuina miſſus eſt ad eum, ſeditque cum eo Philippus, qui nouerat Eſaiam prophetam, eique humanis verbis & lingua quod in ſcri-
Exod. 18. ptura illa tectum erat, aperuit. Nónne cum Moyſe Deus loquebatur, & tamen conſilium regendi atque adminiſtrandi tam magni populi à ſocero ſuo alienigena ſcilicet homine, & maximè prouidus & minime ſuperbus accepit? Proinde & noui & iam triti auditores in Sacris hanc viam ſuam ſemper ita faciant, vt nullum niſi bene redolentem magiſtrum habeant: & ſemper caueant à fermento hæreticorum. Omnis enim qui male intelligit Scripturas, in via Dei corruit. Et ad hoc allegat Propheta cauſam quæ ſequitur, Quoniam, &c.

Quoniam non eſt in ore eorum ueritas, cor eorum uanum eſt.

Proſequitur Dauid primam petitionem, afferendo rationem iuſtitiæ petitæ à Rege ſuo contra inſidiatores ſuos ex multis eorum criminibus. Et inchoat à peccato oris, & ſubiungit peccatum cordis intimum eorum prauitatum. Hîc ſimiliter Eccleſia, quum ſuperius petiuerit ad conſpectum Domini per eius iuſtitiam ſe deduci, vt partem illam beatorum eius munere poſſit adipiſci, nunc humanas increpat fallacias, oſtendens pertinaces hæreticos non poſſe ad talia præmia peruenire, quæ ſuis fidelibus Dominus præparauit. Et mire eos depingit, quum dicit, Non eſt in

ore

ore eorum veritas, quòd ſcilicet nec CHRISTVM, veritatem, habent in ore, & propterea ſemper parati ſunt bonis inſidiari, & ipſos ſeducere. Mentiuntur aſſiduè vt fallaces, & inutilia ſemper ac vana cogitant, vt maligni: quibus vtique iudicantibus, non eſt credendum, ſed intro ad conſcientiam & ad Dei conſpectum confugiẽdum eſt. Et recte dicitur, in ore ipſorum non eſſe veritatem, quorum cor vanitas poſſidet. Lingua enim ſequitur mentis arbitrium, imperióque cordis eius nobilitas naturali ordine famulatur. Sic verè inſidiatur cor hæretici omnibus quos decipit. hoc pacto ſerpens lubricus & Protheus in variarum ſe mutat portenta formarum: qualiter egit Iouinianus, qui in coitu & ſaturitate Epicureus erat, ſubito in retributione meritorum Stoicus factus: antè nudo erat pede, poſtea non ſolum calceato, ſed & ornato: antè pexa tunica, & nigra ſubucula veſtiebatur, ſordidatus & pallidus, & calloſam opere geſtitans manum: poſtea lineis & ſericis veſtibus ornatus inceſſit. Tunc rubebant buccæ, nitebat cutis, comæ in occipitiũ frontémque tornabantur: inſurgebant humeri, turgebat guttur, & de obeſis faucibus vix ſuffocata verba promebantur. Certe in tanta diuerſitate doctrinæ, victus & veſtitus, ecce quomodo in ore hæreticorum non eſt veritas, & cor eorum vanum eſt, quaſi ſepulchrum, &c.

Sepulchrum patens eſt guttur eorum: linguis ſuis doloſe agebant: iudica illos Deus.

Per aſſimilationem gutturis ad ſepulchrum patens ſeu apertum, licet poſſit accipi fœtor egrediens ex corde inimicorũ Dauid, aptius tamẽ intelligitur parata voracitas ad deglutiendum ipſum. Et vt vno verbo dicatur, ſignificatur per hanc ſimilitudinem, quòd ſola exequutio occiſionis Dauidis deeſſet. Aut mendaces & detractores intelligendo, recte guttur mentientis, ſepulchrum eſt mortui, quod recipit indifferẽter quẽcunq; fœtorẽ, & exitialẽ odorẽ faucibus euoluit. Bene Propheta addidit PATENS, quòd ſi clauſum eſſet, nõ vſq; adeo male oleret. Sed quia ſemper apertũ eſt, ideo omnes prope accedẽtes inficit & corrumpit. Vnde bi-

lingues,quia carent operculo(quemadmodum vas diſcoopertum)nil poſſunt celare,ſed ſtatim defectus etiam occultos fratrum propalant:quoſcunque inflammant, & panem vna manu oſtentantes,altera lapidem porrigentes,audientium aures inficiunt, & animas perdunt. Proinde dentes
Pſal.56. eorum,arma & ſagittę, & lingua eorũ gladius acutus.Con-
1.Pet. 4. trà verò charitas (vt inquit Petrus) operit multitudinem peccatorum,nulli detrahit, nec in eo quis ſe ſanctum putat, ſi cæteros latet. Accuſamus ſæpe quod facimus,& cõtra noſmetipſos diſtricti,in vitia noſtra inuehimur, muti de eloquentibus iudicantes.Hæretici etiam verè ſepulchra patentia dicuntur,quia ipſi quodammodo exanimes ſunt,vitã non habentes veritatis,& mortuos in ſe recipiũt,quos verbis mendacibus & vano corde interemptos in ſe conuertunt, & ſemper patent. Nam quandocunque vult aliquis deceptus intrare portã hæreſis, paratus eſt hæreticus, ac ſuſcipit ipſum·imo & ad hoc impellit lingua ſua doloſè agens, & venena,more ſerpentis ad mulierem,ita ſimplicibus diffundens, Cur præcepit vobis ſuperior? Hoc modo verba Dei de cordibus hominum nititur euellere,etiam timorem Domini tollere,atq; ad credendum quod falſo promittit,inuitat: inuitat enim ad temporalia, vt leniat quòd Deus minetur æterna ſupplicia. Spondens ſiquidem gloriam præſentis vitæ,dicit quomodo antiquus coluber, Gu-
Gen.3. ſtate,& eritis ſicut dij,& temporalem concupiſcentiam tãgite,& in hoc mũdo ſublimes apparete. Et quum timorem diuinæ ſententiæ conatur amouere, ſtatim ſuggerit, Cur
Ibi. præcepit vobis De⁹?Ecce,quomodo coluber tortuoſus fortitudinẽ crucis molitur ſubuertere, & ſi quandoq; Chriſtũ loquitur,interim Antichriſtum occultat: dulcia pollicetur, & ad modicum durant, frequentérque maiori procacitate defendit voluptatem quàm exerceat, ſed habet in præſidio ſuo craſſos,comptos, nitidos clamatores, qui eum pugnis
Eſa.3. calcibúſq; defendant. Vnde per Eſaiam dicit Deus, Popule meus,qui te beatum dicunt,ipſi te decipiunt,& viam greſ-
Hiere.2. ſuum tuorum diſſipant. & per Hieremiam, Prophetæ tui viderunt tibi falſa & ſtulta,nec aperiebant iniquitatem tuã vt te ad pœnitentiam prouocarent.Amara profectò eſt veritas &

ritas, & qui eam prædicant, replentur amaritudine. Sed in azimis veritatis & ſinceritatis Domini paſcha celebratur, & cum amaritudinibus comeditur. De iſtiuſmodi malorum ſemitis, ſequitur in textu, IVDICA illos Deus, aut (vt legit Hieronymus) Condemna illos Deus. Et hîc prophetia eſt, non maledictio. Non enim optat Pſalmographus vt eueniat, ſed cernit quod venturum eſt. Contingit autem ita illis, non quia videtur Propheta optaſſe, ſed quia tales ſunt, vt meritò eis taliter contingat. Qua de cauſa ſequitur, Decidant, &c. 1. Cor. 5. Exod. 12.

Decidant à cogitationibus ſuis, ſecundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritauerunt te, Domine.

Conſtat ex hiſtoria libri Regum, fuiſſe plena fallaciis conſilia Saulis & ſuorum, contra Dauidem: ideo nunc ait, Decidant à cogitationibus ſuis, quibus cogitant me perdere. Sequitur, Expelle eos: & cauſa redditur ablationis regni à Domo Saul, his verbis, Quoniam irritauerunt te, Domine. Hæc prouocatio fuit fraus in cæde Amalech, & quia Saul Phitoniſſam conſuluit, nec ſperauit in Domino, propterea (vti ſcribitur 1. Paralip. cap. 10) Dominus interfecit eum, & tranſtulit regnum eius ad Dauid filium Iſai. De hæreticis etiam iſta interpretando, rectè dixit, Decidant à cogitationibus ſuis. Quotidie enim hæretici immutāt dogmata ſua: & ſi vir Eccleſiaſticus de Scripturis eruditus, contenderit, & teſtimoniis ſanctis eos coarguerit, ſtatim requirunt quomodo aliud dogma reperiant. Non quærunt quomodo ſaluentur, ſed quomodo ſuperent: & perfricta fronte Sacratos libros negare non verentur, aut ad ſuum ſenſum diuinas peruertere Scripturas, vti Manichæus partem Bibliorum non recipiens, & Arrius pleraque in Sacris confundens. Quid mirum ergo ſi nūc de his dixit regius Pſaltes, Decidant à cogitationibus ſuis, & te Deum verum habeant vnam cogitationem? Nam (vt inquit Auguſtinus lib. octoginta trium quæſtionum, queſtione 69,) Nō poteſt error oriri palliatus nomine Chriſtiano niſi de ſcripturis nō 1. Reg. 18 & 19. 1. Reg. 15 1. Reg. 28

intellectis, & hoc ideo, quia præcedentia & ſequentia non contulerunt lectores. Vnde hæreſes exortæ ſunt ſeorſum legendo, quæ conferendo repulſæ: quia conferentes diuerſas ſententias adduxerunt quæ ex ſe inuicem mutuo videri poterant quomodo & qualiter eſſent intelligēdæ. Sequitur, SECVNDVM multitudinem impietatum eorum expelle eos. Per hanc ſentētiam diſcimus quod tantum vnuſquiſque à diuinitate repellitur, quantum eius peccata cumulantur. Quantitas enim delicti, menſura repudij eſt:
Deute. 25 iuxta quoque quantitatem peccati, eſt plagarum modus, Expelluntur ergo impij ac hæretici ab illa hæreditate, quæ intelligendo & videndo Deum, poſſidetur. Sicut expelluntur lippi morbidis oculis, fulgore lucis, quum ipſis illa pœna eſt, quæ aliis fit lætitia: ſicut palato non ſano, pœna eſt panis, qui aliis eſt ſuauis: & tam magnum tormentum eſt iſta expulſio, quàm magnum præmium eſt illud quod dici-
Pſal. 72. tur, Mihi adhærere Deo bonum. Frequēter quoque hoc demerito peccatorum ita diffinita eſt ab arce ſumma contra peccantes pœna temporalis, vt neceſſe eis poſtea ſit illam pati, vti dixit Gregorius, Quum ſuperna (inquit) indignatio ſeſe medullitus mouet, hanc oppoſitio humana nō prohibet: nec vtiliter ſe cuiuſquam deprecatio obiicit, quum Deus ſemel aliquid ab intimis iraſcendo, diſponit. Illa eſt
Deut. 3. cauſa quare Moyſes Deum de diffidentia ad petram Oreb placare non potuit, vt terram promiſſionis ingrederetur. Idem exemplo apparere videtur 1. Regum cap. 3, dum dicitur, Iuraui domui Hely, quòd non expietur iniquitas domus eius, victimis & muneribus vſque in ęternū. & Hiere. cap. 7, inquit Dominus, Tu ergo noli orare pro populo hoc, nec aſſumas pro eis laudem & orationem, & non obſiſtas mihi, quia non exaudiam te. Eadem ſententia habetur Hiere. cap. 14, vbi gloſſa aſſeuerat quòd Prophetæ pręcipitur ne pro eis oret in quos eſt iam conſummata ſentētia, ne videatur oratio eius infirma, & meritò non exaudita. Sic e-
1. Reg. 15 tiam ſumenda ſunt hæc verba Samuelis, Porro triumphator in Iſrael non parcet, & pœnitudine non flectetur: neque enim homo eſt vt agat pœnitentiam. Et iſtorum ratio redditur, hoc, qui ſequitur, contextu, QVONIAM irritauerunt

runt(ſeu exacerbauerunt)te Domine. Exacerbauerũt enim ægroti mali medicum bonum, qui remedia ſalutis ſuæ inſenſibili duritia reſpuerunt. Tu, Domine, per naturam dulcis es, ſed quicunque peccatoresſunt & hæretici, naturam tui dulcoris, vitio ſuo vertunt in amaritudinem. Ex quibus ſatis conſtat quàm horrẽdum & tremẽdum eſt peccata peccatis addere, & interim patiẽtia ac miſericordia Dei abuti. Subnectit Propheta,

Et lætentur omnes qui ſperant in te inæternum: exultabunt, & habitabis in eis.

Poſtquam impiorum debitas retributiones aſſeruit, nunc Eccleſia redit ad ſanctos, quorũ cõgregatione beata dignoſcitur, ne ſileret bonorũ præmia quæ nouerat eſſe ventura: vt ſicut pœna terret, ita præmia incitent. Memineris autem iuxta Apoſtoli ſentẽtiã 1. ad Corinth. quomodo merces ſanctorũ in cæleſti Hieruſalem erit, quia Deus habitauit in hominibus per gloriã: ita vt ipſe ſit omnia in omnib⁹: per quẽ perpetuò beati ſatientur, & præmiũ virtutis ipſe ſit, qui dederit virtutẽ. Tũc, vti ſcribitur Apocalipſis cap. 21, Tabernaculũ Dei erit cũ hominibus, & habitabit cũ eis, & ipſi populus eius erũt. Tunc quũ Chriſto ſubiecta fuerint omnia, & ipſe filius ſubiectus erit illi qui ſubiecit ſibi omnia, vt ſit hominis caput Chriſtus, Chriſti autem caput Deus. Neque mirandũ ſi pro nobis Mediator ſubiectus ſit, vt nos Patri faciat eſſe ſubiectos. Nam Chriſtus in his qui fideles ſunt ſubiectus eſt Patri, quia omnes credẽtes, immo omne hominũ genus, corporis ipſius mẽbra. In his autẽ qui increduli ſunt, inſubiect⁹ eſſe dicitur, quia pars mẽbrorũ eius nõ eſt ſubiecta fidei. In fine autẽ mũdi quãdo omnia mẽbra regnãtẽ viderint Chriſtũ, id eſt corpus ſuũ, etiam ipſa ſubiicieturChriſto, id eſt corpori ſuo, vt omne Chriſti corp⁹ ſubiiciaturDeo & Patri, vt ſit Deus omnia in omnibus. Non dicit autẽ Apoſtolus vt ſit Pater omnia in omnibus, ſed vt ſit Deus: quod proprium nomen eſt Trinitatis, & tam ad Patrem, quàm ad Filium, & Spiritum Sanctum referri poteſt, vt humanitas ſubiiciatur diuinitati. Porro quod ait, Vt ſit omnia in omnibus, hoc ſenſu accipiendum eſt, Dominus atque Saluator

1. Cor. 15.
1. Cor. 15.
1. Cor. 11.
1. Cor. 15.
Ibi.

3. Reg. 3. noſter, nunc omnia non eſt in omnibus, ſed pars in ſingu-
& 10. lis: verbi gratia, in Salomone ſapientia, in Iob patiētia, in
Iacob. 5. Daniele, cognitio futurorum, in Petro fides, in Phinees &
Dan. 2. 4. Paulo zelus, in Ioanne virginitas, in cæteris cætera. Quum
7. 8. 9. 10. autem rerum finis aduenerit, tunc omnia in omnibus erit,
11. & 12. vt ſinguli ſanctorum omnes virtutes habeant ſuæ beatitu-
Matth. 16 dini non repugnantes, vt ſit Chriſtus totus in cunctis, &
Nume. 25 per Chriſtum electi perfecte fruantur. quandoquidem per
Rom. 9. partem rationalem fruentur diuinitate, & per ſenſus cor-
2. Cor. 11. poreos delectabuntur humanitate, & ita exultans erit intus & foris. O magna & ineffabilis liberalitas, quid plus poteſt donari, quàm vbi cognoſcitur rerũ Domin' ipſe cõcedi? Felices erunt qui Chriſtum hoſpitem habere merebuntur: felices qui tabernaculum Chriſti fient. Ipſa ergo erit æterna iuſtorũ iubilatio, quũ templũ Dei penes eos fuerit: & erit gaudium eorum ipſe Dei incolatus. Poſtea proſequitur Dauid quomodo etiam lætabuntur omnes ſperantes in Deo.

Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen, quoniam tu benedices iuſto.

Hîc tractatur futura noſtra beatitudo. Nam totum quod promittit, futurum dicitur. Eſt autem fructus, gloriari in Deo, quod plus eſt quàm lætari, laudare & cantare. Vnde poteſt quis intelligere hos fructus ad literam dici de viris probis expectantibus regnum Dauidis à Deo, & omniũ ratio ſubdatur, Quoniã tu benedices iuſto. Iſta etiam quadrant pro futura beatitudine vniuſcuiuſque iuſti. Nã quicunque diligit Deum, gloriabitur in domino, habens ad fruendum quod diligit. & id eſt hæreditas æterna. In cæleſti enim patria ineffabili diſpenſatione pro meritorũ qualitate vnicuique ſe maieſtas ſancta cõcedit ſeu cõmunicat: & per hoc ſunt diuerſæ beatitudines, ſicut diuerſa merita.
1. Cor. 15. Quemadmodum aſſerit Paulus 1. ad Corinth. Stella (inquit) à ſtella differt in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum. vnde Ioãnis ca. 14. dicit Chriſtus, In domo Patris mei
Matth. 20 manſiones multæ ſunt. & ſi idem denarius, id eſt vita æterna omnibus. Vna eſt enim beatitudo quam iuſti percipiũt, & diſpar retributionis qualitas pro diuerſitate gradus virtutum

tum in gloria: alij regnent, alij poſſideant, alij glorientur hoc in ſeculo, nos hîc maneamus propter Chriſtum abiecti, vt poſtea cũ eo felices ſimus: ſequamur Ieſum Dominum noſtrum. Qui dicit ſe in Chriſtum credere, debet quo modo & ille ambulauit, ambulare. Chriſtus Dei filius non venit vt imperaret, ſed vt ſeruiret. Non venit miniſtrari, ſed miniſtrare: non dedit alapam, ſed accepit: non crucifixit, ſed crucifixus: pauper fuit, vt nos diuites faceret: ille accepit pro nobis plagam, vt nos anguſtiati patienter ſuſtineamus, interim credentes quòd non ſunt condignæ paſſiones huius ſęculi ad futuram gloriam, quę reuelabitur in nobis. Sic benedicet Dominus iuſto. Vt autem iuſtificetur quis, præcedit vocatio, quæ non eſt meritorum, ſed gratiæ Dei. Omnes enim peccauerunt, & egent gloria Dei. ad Rom. cap. 3. Quare concludit, Iuſtificati gratis, per gratiam ipſius ſcilicet Chriſti, non tamen quod omnino ſine noſtra voluntate fiat, ſed voluntas noſtra oſtenditur infirma per legem, vt ſanet gratia voluntatem, & ſanata voluntas impleat legem. Et huius primæ gratiæ percipiẽdæ nulla pręcedunt merita noſtra, ſed ſolius Chriſti, alioquin ſi foret ex meritis, iam non eſſet ex gratia. Quapropter iam aperte videmus qualiter etiã iuſto benedicit Dominus, nequis forte aſcribat duntaxat ſuis meritis, quod tributum benedictione conſtat authoris. Et hanc vocationem eſſe ſolius beneuolentiæ & miſericordiæ Dei oſtẽdunt etiam verba quæ ſequuntur, Domine, vt ſcuto, & cæte.

1. Ioan. 2. Matth. 20. Ioan. 8. 2. Cor. 8. Rom. 8. Rom. 11.

Domine, ut ſcuto bonæ uoluntatis tuæ coronaſti nos.

Conſideremus præſentem Pſalmum quàm ſuaui ac decoro fine concluſus eſt, vno verbo indicans beneficia Domini, quæ nullis poſſunt voluminibus explicari. Bona ſiquidem voluntas Creatoris, quæ nos ineffabilibus muneribus locupletat, dicta eſt corona & ſcutum quod re vera nos protegit, & præmia decora concedit. Clypeus enim impoſitus capiti, corona eſt: aptatus cordi, defenſio: munimen quod nullus ictus irrumpat, arma per quæ nullum intret exitium, per quæ mors potius victa ſuccubuit, & ſalus ho-

minis deſperata, ſurrexit. Corona circularis formæ eſt: & munitiones etiam per circulũ atque in circuitu fieri ſolēt. Sic vno eodémque officio & ab inimicis defenderis dum credideris, & à Domino coronaris dum in finē vſque profectus fueris. Apud ſeculum autem, aliud eſt ſcutum, aliud corona: apud Deũ vero, ipſe eſt ſcutũ, ipſe eſt corona: quaſi ſcutum protegit, quaſi Deus coronat. Sed quoniam vocatio Domini, vt ſupradictum eſt, omne meritum præcedit, nec inuenit dignum, ſed facit. Idcirco nunc hæc dicitur ſcutum ſeu corona bonæ voluntatis diuinæ, & ideo gratuita appellatur, alioquin iuſta diceretur. Corona vero etiã victoria interpretatur, vti meminit Aulus Gellius lib. 5. noctiũ Atticarum, cap. 6, de multifariis militaribus coronis: quarum quæ nobiliſſimæ erant, has ferme eſſe dicit, triumphalem, obſidionalem, ciuicam, muralem, caſtrenſem, naualem. Gratias igitur agamus Deo, & deprecemur illum, vt in bona voluntate ſua ipſe ſit ſcutum & corona noſtra, vt nũquam recedamus ab eo, vt ſequamur illũ, & dicamus quum Hieremia Thren. cap. 3, Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei. Cæterum quieſcat Pelagiana dementia: nam quum ſibi ex ſe aliquid boni falſò applicare nitatur, vero potius donatore fraudatur.

IN PSALMVM SEXTVM.

Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.

Titulus huius Pſalmi ſecundum Hebræos, eſt, Ad victoriam in organis, ſuper octauam, Pſalmus Dauid. Vbi ſcito quòd octaua nomen eſt inſtrumenti muſici octo chordarũ, ſicut dicitur monochordon, vnius chordæ. Longum autem
Gen. 7. & eſſet de ſacramento huius numeri plura exempla reuoca-
1. Petr. 2. re: Octo animæ ingreſſę ſunt in archam Noe, quæ in dilu-
1. Reg. 16 uio ſaluatæ ſunt: Octauus filius Ieſſe, Dauid fuit, qui & de-
Ge. 17. & ſperatur à patre, & à Deo ſalus eligitur: Octauo die ſub
Leuit. 12. Moyſe circunciditur infans, & immundus eſſe deſiſtit: Zacharias quoque, pater Ioannis, octaua die circunciſionis

filii ſui, loquitur: Et poſt dies octo transformatur Dominus in mōte. Vnde Pſalmus iſte per octonariū numerum ſalutis noſtræ perfectè myſteria præſignat. Et potes arbitrari preces hîc fundere Dauid pro octaua, hoc eſt pro futuro ſeculo. Præſens enim ſeculum reuolutū ac completum & quaſi hebdomade commēſuratum, ſeptenario ſignatur numero, & ſeptimum dicitur. Futurum vero ſeculum octauum appellatur, veluti quod ſeptimum ſequitur. Senſus etiā iſtius tituli talis eſſe poteſt, Pſalmus Dauid ſuper octauam, id eſt aptus decantari in tali muſico inſtrumento. Advictoriam in organis, hoc eſt in cantib⁹, eo modo quo inter cantores conatur vnus chorus aliū ſuperarevocis exaltatione. Neq; hîc organum, nomen eſt inſtrumenti, ſed modulationis duntaxat ſeu cantus. Vnde hoc loco Hieronymus pro organis legit (in Pſalmis) titulum ſic vertens. Victori in Pſalmis, Pſalmus Dauid ſuper octauā. De argumento autem iſtius Pſalmi, ad literam loquitur de Dauide afflicto: ſed legimus ipſum quater afflictum: ſcilicet in perſequutione à Saule, in reprehenſione à Nathan, ſimul quum morte filij, in cōiuratione Abſalon, & in percuſſione populi ab angelo, ob offenſam qua ſuperbè & contra legem iuſſit populum numerari abſque datione argenti, quod in tali numeratione præcipiebatur æqualiter dari, Exodi ca. 30. videlicet dimidiū ſicli, ne diuites ob id ſanctiores ſe pauperib⁹ reputarēt, ſi plura dediſſent. Et quāuis, plurimorum ſentētia, hūc Pſalmum editum recipiat pro expiatione iſtiuſmodi ſceleris, in hac dinumeratione populi, nos nūc aliter ſentiemus. Nā quia hîc explicantur pluries inimici Dauidis, & Dauid petit non mori, ſatis excluditur eius afflictio in hac deuaſtatione ſui populi, in qua petiit etiam pro eo mori. Nanque primi Paralip. cap. 21. quū Dauid leuās oculos, vidit angelū Domini ſtātē inter cælū & terrā, & euaginatū gladiū in manu ei⁹, & verſum cōtra Hieruſalē, dixit Dauid ad Deū, Nōne ego ſum qui iuſſi vt numeraretur populus? Ego qui peccaui, ego qui malum feci, iſte grex quid cōmeruit? Domine Deus meus, obſecro vertatur manus tua in me, & in domū patris mei, populus autē tuus nō percutiatur. Ecce quomodo tūc voluit mori, vt plebs Iſrael ſaluaretur, tamē obſtitit,

Luc. 1.
Luc. 9.
1. Reg. 18
19. 23. 24
& 26.
2. Reg. 12
2. Reg. 15
2. Reg. 24

quòd ſæpe pro malo gregis delinquit vita paſtoris, & prō
demeritis ſubditorum, diſponuntur acta regentium. Supereſt
igitur alio diuertamus argumentum iſtius Pſalmi, quærentes.
2.Reg.15. In afflictione quam paſſus eſt Dauid à filio Abſalon,
Deus inuenitur iratus, & ipſe Dauid territus, qui tunc multā
humilitatē demōſtrauit nudis pedib⁹ & operto capite incedendo,
petens ab inimicis liberari. Quapropter non erit à vero diſſonum,
ſi nunc hunc Pſalmum interpretemur de Dauid ad Dei auxilium
confugiente in hac fuga ſua à facie Abſalō. Et more humano rogat
vt neque verbo arguat, neque opere caſtiget ipſum Deus, tanquam
indignatus. Et vere ſic fuit, quoniam ſicut pater & arguit &
caſtigauit eum. Neque enim ſi pater filium virgis cedit, eum
propterea non diligit, ſed emendato filio, ſæpe virgas in ignē
proiicit. Quomodo Deus, vbi Dauid de adulterio quū Berſabea,
1.Reg.11. & morte Vriæ correptū vidit, ſtatim omnia eius flagella
diſsipauit. Et certe frequenter multa miſeratione hîc pœnas
infert Dominus, vt nos à peccato deterreat & reuocet.
2.Mach.6 Iuxta illud. 2. Machabæorum, Etenim multo tempore non
ſinere peccatoribus ex ſententia agere, ſed ſtatim vltionis
remedium adhibere magni beneficij indicium eſt: quando (vt inquit
Gregorius) mala quæ nos hîc premunt, ad Deum ire compellūt. Et
profecto diuinam maledictionē incurrimus, ſi Dei medicina
ægrotamus. Nam maledictum ferrum quod ex lima contrahit
rubiginem. Memento etiam quòd hic pœnitentium primus eſt
Pſalmus: conſiderandum quoque, quàm ſit verborum iſtorum
congrua, ſalutaríſque poſitio. Nam furor in præſenti, ira in
futuro eſſe dici poteſt. Non autem ſupplicat Dauid Deo patri
(ſicut & aliis viſum eſt) vt non arguatur, ſed ne in iudicij
ſeueritate culpetur. Quapropter vere pœnitentiam agens, clamat
ad Dominum, veniam de commiſſis poſtulans, ærūnáſque quibus
afflictus, ingemiſcit, atque narrans dicit, Ne puniasme, Domine,
ſecundum rigorem iuſtitiæ tuæ, vt iudex iratus, ſed ſecundum
dulcorem miſericordiæ tuæ, vt pater benignus. Conſequenter
etiam poſt redargutionem, correptionem ſubiunxit: & quāquam Deus
à furore & ira, & ab omni prorſus paſſione liber ſit, prophetæ
tamen ſæpenumero

penumero huiuſmodi affectionem ei tribuerũt, perſuadere ſtudentes lectoribus, quòd omnium hominum Deus curam habet, quòd omnia videt & audit, quòd lætatur & triſtatur, & iudicat, & furit, & iraſcitur, & quæcũque alia huiuſmodi eum facere dicũt, vt ſaltem hoc pacto timore correpti homines, deſiſtant à vitiis: ſiue aliter ab humanis operationibus Prophetæ diuina declarant. Et quia qui loquũtur & qui audiunt, homines ſunt, humana lingua exprimũt quod loquuntur: neque enim poſſibile eſt vt alio modo loquantur qui in corpore ſunt, quàm corporaliter. Nam & quoties Barbaros alloquimur, illorũ lingua vtimur, & quũ pueris aliquid dicere volumus, eorum more balbutimus: & quanquam valde ſapientes ſimus, ad illorum tamen humilitatem condeſcendimus. Hæc igitur tibi ſit norma vniuerſalis pro affectibus quos Deo tribuimus. Nunc ſubdit Propheta, Miſerere, &c.

Miſerere mei, Domine, quoniam infirmus ſum; ſana me, Domine, quoniã conturbata ſunt oſſa mea.

In miſeria conſtitutus Dauid propter ſcelera ſua, miſericordiam petit nõ rerum ſuarum, ſed ſui. Et quantũ apparet, deſcriptio ſui ipſius eſt ad ſimilitudinem ægri, qui fatetur quòd ſine Deo medico & auxiliãte, nõ poteſt ſeipſum, à cõiuratoribus ſuis cum Abſalone, ſeruare. Oſtẽdit etiã quàm infirma & læſa eſt in primo parẽte natura humana, quaſi victoria & corona victoriæ, Dei protectione & clypeo paretur. Infirmitas ſiquidem, ignorantia, concupiſcentia, & malitia, quibus ægri laboramus, veniunt de damnatione peccati. Nam donũ iuſtitiæ originalis id faciebat in microcoſmo ſemper portio inferior plene portioni ſuperiori obediret, ipſa vero portio ſuperior immediate Deo coniungeretur. Sed perdita hac iuſtitia originali, remanſerunt vires inferiores ſine ordine, ſicut equus fracto fræno, & nauis rupto gubernaculo, vagatur. Proinde nunc contra veritatem, habemus in intellectu ignorantiam: contra bonum, malitiam in voluntate: contra arduum, infirmitatem in iraſcibili: contra ordinem circa delectabilia, concupi-

ſcentiam inordinatam in concupiſcibili: & dum homo fuit
Rom. 7. inobediens legi Dei, ſtatim ſenſit carnem repugnantem legi mentis ſuæ. Error vero & dolor ſunt vulnera hæc mala conſequentia. Vnde dicit Auguſtinus, Adam, antequã peccaſſet, habuiſſe corpus non quale nunc habemus, fragile atque mortale, ſed quale congruebat tali animæ quæ nondum in ſe Dei ſimilitudinem praua voluntate corruperat: quale nos quoque poſt reſurrectionem habituri ſumus, quum eadem anima eandem ſimilitudinem Dei perfecta ſanctitate perceperit. Poſtea vero quàm peccauit, facta eſt anima rationalis cupiditate corrupta, corpus habens quale in nobis nunc cernimus. Quapropter quum miſericordia debeatur miſeris, idcirco nunc miſeriam ſuam explicat Dauid, Domino dicens, Infirmus ſum, quia natura & vitio fragilis, ac pronus ad peccandum: ſed hæc infirmitatis confeſſio, cæleſtis medici miſericordiam mouet: à quo facile impetrantur remedia, quum oſtenduntur vulnera manifeſta. Proinde in deprecatione eadem perſeuerat, pio medico ſubiungens, SANA me Domine, ac ſi dicat, infirmus ſum peccato, ſana me, quia medicus es. Ego habeo infirmitatem, tu habes ſanitatem: ego ſum infirmus per peccatum, tu ſana per miſericordiam, &c. Samaritanus enim vul-
Luc. 10. nerato appropians, curationi eius ſacramentorum alligamenta adhibuit, quia contra originalis peccati & actualis vulnera, ſacramentorum remedia Deus inſtituit. Oſtendit autem ægritudinem tabidam vſque ad interiora veniſſe, ne differat Dominus auxilium, cui imminere agnoſcit exitium. Oſſa vero hîc per allegoriam fortitudinem mentis debemus aduertere, quæ quum defecit, vigor omnis elabitur, ſicut & oſſibus quaſſis corpus minime continetur. Nam ne oſſa carnis intelligeres, exponit, quum ſubiungit, Et anima mea, &c.

Et anima mea turbata eſt ualde, ſed tu, Domine, uſquequo?

2. Reg. 15 Anima plus territa dicitur addendo VALDE, quia Dauid multum timebat mori in fuga ſua à poteſtate Abſalon.

Sed quis etiam hîc non intelligat ſignificari animam luctantem cum moribus ſuis?De qua pugna ita ſcribít Paulus, Video (inquit) aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Vſqueadeo exterior homo interiori homini refragatur. Et quomodo qui aduerſo flumine lembum trahit, ſi remiſerit manus, ſtatim retro labitur, & fluentibus aquis, quò non vult ducitur: ſic humana conditio, ſi paululum ſe remiſerit, diſcit fragilitatem ſuam, agnoſcítque quantum hoc corruptibile corpus aggrauat animam, & deprimit terrena habitatio ſenſum multa cogitantem. Nam naturali appetitu nunc coniungitur anima corpori corrupto: proinde fit iuſte ab eo promptitudinem ad peccandum recipiat. Ob hanc cauſam ne exprobremus homini reuertenti à peccatis ſuis, & ne abominemur AEgyptium, quia & ipſi quondam in AEgypto, & de luto ac lateribus, Pharaoni ciuitates extruximus, & quia captiui ducti fuimus in Babylonem. Veruntamen diu dilata eſt à medico quæ nunc petitur gratia, vt homini perſuaderetur in quæ mala ſe, peccando præcipitauerit: quod enim facile ſanatur, non multum cauetur: ex difficultate autem ſanationis, erit diligentior cuſtodia receptæ ſanitatis. Non ergo tanquam crudelis Deus æſtimandus eſt; cui dicitur, Et tu, Domine, vſquequo animam meam, quæ eſt conturbata, non eripis? non corripis? non emendas? Sed tanquam bonus perſuaſor, animæ quid male ſibi ipſi pepererit, oſtendis: nondum enim tam perfectè orat hæc anima, vt ei dici poſſit, Adhuc loquente te, dicam, Ecce adſum. Simul vt etiam illud agnoſcat quanta pœna impiis præparetur, qui ſe nolunt conuertere ad Deum, ſi tantam difficultatem conuertentes patiuntur. Et bene additum eſt VALDE, ne clemens auditor pateretur diutius differendum, ſi nimis ægrum non cognoſceret fuiſſe turbatum. Supplicatio quoque iſta magnis commendatur anguſtiis, vt recepta ſanitas pretioſior poſſit agnoſci. Et intuere quia iuſtitiam Domini ſemper pœnitens iſte refugit, & conſuetudinem eius benignitatis expoſcit. Attamen quia differt, ideo adiungit,

Rom. 7.
Sap. 9.
Eſa. 52.

Conuertere, Domine, & eripe animam meam: ſaluum me fac propter miſericordiam tuam.

Quum Domino dicitur, Conuertere, quaſi vindictæ relaxatio poſtulatur: vt debitas de nobis iuſtitia ipſius nõ exigat vltiones. Cõgrue vero (conuertere) in pœnitentis prece ponitur, quod ſatisfacientibus Dominus pollicetur, dicens Zachariæ cap. 1, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. In quo ſentit laborem: vnde addit, Eripe animã meam: quaſi in conuerſione multis impeditam: nam ſeculi perplexitatibus, carnis concupiſcentiis, & iugo malæ conſuetudinis, veluti quibuſdam vinculis, ligatur. Quàm diu ſiquidẽ hoc fragili corpore detinemur, quàm diu habemus
2.Cor. 4. theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, & concupiſcit ſpiritus
Gala. 5. aduerſus carnem, & caro aduerſus ſpiritum, nulla eſt certa victoria. Interim ſtadium eſt hæc vita: hîc contendimus, vt alibi coronemur. Nemo inter ſerpentes & ſcorpiones ſecurus ingreditur: magnis inimicorum circundamur agminibus, hoſtium plena ſunt omnia: caro fragilis & cinis futura poſt modicum pugnat ſola cum pluribus. Quando autẽ fuerit diſſoluta, & venerit princeps mundi huius, & inuenerit in ea nihil, tunc ſecura audiet per Prophetam, Non time-
Pſal. 90. bis à timore nocturno, à ſagitta volante per diem, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano. Quid mirum ergo ſi nunc etiam ſaluum ſe petit fieri, non ſecundum merita ſua, ſed propter diuinam miſericordiam: in qua dum fixa ſpes ponitur, venia facilius impetratur. Quoniam, vt Deum amittamus, non eius abſentia (qui vbique eſt) ſed noſtra facit auerſio. In mundo erat
Ioan. 1. (inquit Ioannes) & mundus per eum factus eſt, & mundus eum non cognouit. Dum autem reſipiſcimus, ſtatim quot-
Ibidem. quot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri: vſqueadeo miſericordia eius ſubſequitur nos. Si de Dauid etiam ad literam iſta exponamus, intellige hîc Dauid cum Domino dicẽtem, Reuertere quæſo beneficus, & erue animam meam, vitam meam à periculo mortis: Saluum me fac à perſequutione iſta filij mei, non propter merita mea, ſed propter miſericordiam tuam. Sequitur,

Quoniam

Quoniam non eſt in morte qui memor ſit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?

Hic Dauid oſtendit quàm appoſitè ſua pœnitentia fuerit rationis & intentionis: rationis quidem, quia non diſtulit agere pœnitentiam vſque ad mortē: intētionis autem, quia pœnituit ad offerendum Deo ſacrificiū memoriæ & laudis in reliquá vita ſua. Veruntamen monere poteſt quare dicat in morte nullum eſſe memorem Dei, dum vicina poſſit amplius ira iudicis timeri. Seb bene perfidos dicimus, immemores Dei, de quibus Eſaias loquitur, Non enim qui in inferno ſunt, laudabunt te, neque qui mortui ſunt, benedicēt te. Nunc enim eſt tempus conuerſionis, & pôſt erit retributionis: quia quum iſta vita tranſierit, non reſtat niſi retributio meritorū. Propterea ſubiungit, IN inferno quis confitebitur tibi? ſupple, vtiliter & ad veniam. Nam Diues cōfeſſus eſt peccata ſua in inferno, vſqueadeo vt & fratres roget ſuper his tormentis Tartari fugiendis præmoneri. Id tamen non profuit, quia poſt iudicium impij in profundioribus tenebris, nullam lucem Dei videbunt cui confiteantur. Quapropter ſtultus eſt qui hîc non quærit in luce ſanari quum poteſt. Et videant quantum hallucinentur qui peccātibus veniam facile pollicentur: quibus bene per Prophetam dicitur, Hiere. cap. 6, Curabant contritionem filię populi mei, cum ignominia dicentes, Pax, & non erat pax. Sequitur, Confuſi ſunt qui abominationem fecerunt. Quare, quamuis per pœnitentiam propitiatio peccatorum ſit, ſine timore tamē homo eſſe non debet: nā pœnitentis ſatiſfactio diuino tantum penſatur iudicio, nō humano: proinde quia miſeratio Dei occulta eſt, ſine intermiſſione flere neceſſe eſt. Illud etiam ſcire oportet, confeſſionem in Literis ſanctis ſæpenumero pro laudatione appellari: & vocabulum Hebræum, quod interpres Latinus, Græcum ſequutus, vertit Infernum, propriè Sepulchrum ſignificare: tametſi eodē nomine ſtatum quoque mortuorum appellant, tam eorum qui iuſtè ſanctéque vixerunt, quàm eorum qui vitiis & ſceleribus cōtaminati, è vita diſceſſerunt. Dauid autem diuinæ

Eſa. 38. Luc. 16.

miſericordiæ hærens, cæleſti Patri acclamat, Tu, Domine, meritò ſanabis, quia ego plorando pro peccatis, laboraui in gemitu meo, &c.

Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectũ meũ, lachrymis meis ſtratum meũ rigabo.

Nũc Dauid cõmemorat inchoatã iamſuã pœnitentiã, qua diuturnus gemitus ſimul & ſpes ſignificatur. Gemitus enim cũ ſpe in ſuſpirio, diuturnitas autẽ in fatigatione inuenitur. Beneuolentia igitur in exordio diligentiſſimè comparata, venit ad narrationem actuũ ſuorũ, aſſerens pœnitẽtiam ſuã magnis cruciatibus fuiſſe completã. Gemit⁹ autem, dicitur geminatus luctus: ſed hæc amaritudo dulcis, felices hæ lachrymæ, ſalutaris iſta afflictio. Quæ peccata fletus iſte non purget? quas inueteratas maculas hæc lamẽta non abluant?
Matth. 26 Petrus trinam negationem trina cõfeſſione deleuit: Aaron
Ioan. 21. ſacrilegiũ, & cõflatũ ex auro vituli caput, fraternæ correxẽ-
Exod. 32. re amaritudines. Quid tã impiũ legimus inter reges quàm
3. Reg. 21 Achab, de quo Scriptura dicit, Nõ fuit alius talis vt Achab, qui venundatus eſt vt faceret malum in cõſpectu Domini. Hic quum propter ſanguinẽ Nabuthæ correptus fuiſſet ab
Ibidem. Helia, & audiſſet iram Domini per Prophetam, Occidiſti, & inſuper poſſediſti: & ecce ego inducã ſuper te malũ, & demetam poſteriora tua, &c. ſcidit veſtimẽta ſua & operuit cilicio carnẽ ſuã, ieiunabátq; in ſacco, & ambulabat demiſſo capite. Tunc factus eſt ſermo Dei ad Heliã Theſbitem, dicẽs, Nõne vidiſti Achab humiliatũ corã me? Quia ergo humiliatus eſt mei cauſa, nõ inducã malũ in diebus eius. O fe-
2. Parali. lix pœnitẽtia, quæ ad ſe Dei traxit oculos, quæ furentẽ ſen-
33. tẽtiã Dei, cõfeſſo errore mutauit! Hoc idẽ & Manaſſem lib.
Ionæ 3. 2. Paralipomenon, & Niniuẽ feciſſe legimus in Prophetat
Luc. 18. Publicanũ quoq; in Euangelio. E quibus primus nõ ſolum indulgentiã, ſed & regnũ recipere meruit: alter impendentem Dei fregit iram: tertius, pectus verberans pugnis, oculos non leuabat ad cælum. Et multo iuſtificatior receſſit Publicanus humili hoc gemitu vitiorum, quàm Phariſæus ſuperba iactatione virtutum. Is ergo gemitus Chriſtianis quærẽdus eſt, qui cordis compũctione peragitur, quũ & ma-

lorum

lorũ noſtrorum reminiſcimur, & futuræ pœnę cõſideratione tenemur. Quapropter ſatis durus eſt, cuius mẽtis dolorẽ oculi carnis nequeũt declarare: &(vt inquit Auguſtinus lib. de pœnitentia,) Sciat ſe culpabiliter durum, qui deflet damna temporis, vel mortem amici, & dolorem peccati non oſtendit in lachrymis: neq; eſt vt quis ſe excuſet non habere fontem lachrymarũ, qui vnquam oſtẽderit lachrymis dolorem temporalium: potiſſimum quando ſiccitas hæc lachrymarum venit ob non ſatis feruentem contritionem ac deuotionem. Et debet pœnitens imitari adoleſcentem, quem fabulę ferunt poſt amores meretricios peregre profectũ, & abolito amore regreſſum, poſtea veteri occurriſſe dilectæ: quæ vbi non interpellata, putauerit ſe nõ recognitã, rurſus occurrẽs dixerit, Ego ſum: reſponderit ille, Sed ego nõſum ego. vt iã videlicet omnẽ peccati occaſionẽ vere vitet, neq; pœnitentiæ lamẽta interim deſerat. Lectum verò (de quo hîc ſermo) meritò Dauid eum quem noctibus in adulterio Berſabeę polluerat, lachrymis abluebat. Aut melius lectum conſcientiam intelligamus, quæ mundis corde, eſt requies, ſed immundis, tormentum: ſicut lectus gratus eſt ſanis, & grauis infirmis. Vel per lectum, delectationem corporis accipiamus, in qua velut in cubili noſtro marcenti voluptate remittimur. Quòd autẽ ait PER ſingulas noctes: hoc fortaſſe accipi voluit, quòd ille qui ſpiritu promptus ſentit aliquam lucem veritatis, & tamen in delectatione huius ſeculi per carnis infirmitatem aliquando requieſcit, tanquam dies & noctes alterno affectu cogitur pati, vt quum dicit, Mente ſeruio legi Dei: tãquam diem ſentiat. Rurſus quum dicit, Carne autem legi peccati inclinetur in noctem, donec omnis nox tranſeat, veniat vnus dies. De quo ſuprà dicitur, Mane aſtabo tibi, &c. Sequitur, LACHRYMIS meis ſtratum meum rigabo. Hoc in loco nonnulli dicunt eſſe hyperbolen, vti hîc, Super niuem dealbabor. Aduerte etiã quòd Rigare, vberius aliquid ſignificat quàm lauare: & Stratũ denotat cumulũ peccatorũ: quod ideo lachrymis rigat, vt eodẽ ſaluberrimo imbre reſoluto, homo in nouã meſſem virtutis adoleſcat, fiátq; ex peccatore iuſtus, ex lugente lætus, ex ægroto ſaniſſimus. Temporũ verò varietas: quòd

2.Reg. 11

Rom. 7.

Pſal. 5.

Pſal. 50.

pręteritum poſuit, quum diceret, Laboraui in gemitu meo: & futurum, quum diceret, Lauabo per ſingulas noctes lectum meum: rurſus futurum, In lachrymis ſtratum meum rigabo: illud oſtendit quid ſibi dicere debeat quum quiſque in gemitu fruſtra laborauerit: tanquam diceret, Non profuit quum hoc feci, ergo illud faciam. Inde autem gemitus, Quia turbatus eſt à furore oculus meus, &c.

Turbatus eſt à furore oculus meus, inueteraui inter omnes inimicos meos.

Ad prouocandum magis Dei miſericordiã, apponit regius Propheta cõditionem ſuorũ oculorũ, ſcilicet quòd inter anguſtias inueterauerũt. Dauid ſiquidem ab adoleſcẽtia ſua profugus à facie Saulis, multas paſſus eſt moleſtias, propter quas venit præmatura ſenectus. Sed quũ ſuperius & gemuiſſe ſe aſſerat, & ploraſſe confirmet, ineptum tamen eſt vt inde ſubito indignatione propria putetur eſſe confuſus: verũ turbatur à furore ſentẽtiæ datæ in Adam, omnib⁹ mortalibus. de qua Eccleſiaſtici cap. 40, Iugũ graue ſuper filios Adam, à die exitus de ventre matris eorũ, vſq; in diẽ ſepul-
Iob. 5. turæ in matrem omniũ. Nam ſicut auis ad volatum, equi ad curſum, & ad ſæuitiã feræ gignũtur, ſic homo ad laborẽ na-
Gen. 3. ſcitur: qui ſemper in ſudore vultus veſcitur pane ſuo, donec reuertatur in terrã de qua ſumptus eſt. Et interim quancũq; miſeriã videris, hominẽ ſcias: quid enim in ſe habet forti-
Iob. 1. tudinis, qui naſcitur ex infirmitate, qui & anguſtiatur ad vitam, & dilatatur ad inopiam? nudus venit, nudus recedit:
Iob. 14. quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, quæ cito tranſit, & nunquã in eodem ſtatu permanet, ſic per omnes ætates ſemper in mortẽ currens. Si de ira iudicij etiã
Ro. 1. intelligas, eſt cæcitas mentis, de qua ad Rom. Dedit illos Deus in reprobum ſenſum, in paſſiones contumeliæ. & 2. ad Theſſalon. cap. 2, Quia non receperunt veritatem charitatis, vt ſalui fierent, ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, vt iudicentur omnes qui cõſenſerint iniquitati. Interdum in vltionem peccati abſcondit Deus veritatem ab his quos perſeuerantes in peccato

conſuluit, adeo vt ſi velint omnino reſpondere, neceſſe eſt vt falſa reſpondeant. Ezechielis cap. 14, Qui poſuerit immundicias in corde ſuo, & venerit ad Prophetam vt interroget per eum, me, ego Dominus reſpondebo ei in multitudine immundiciarum ſuarum. & ſequitur, Propheta vero quum errauerit, & loquutus fuerit verbum, ego Dominus decipiam illum, & portabũt (ſupple) vterque iniquitatem ſuam: iuxta iniquitatẽ interrogãtis, iniquitas Prophetæ erit. Aliquando tamen cõſultos errare non permittit Deus, falſa docendo, ſed tantum veritatis ſermonem eis ſubſtrahẽdo propter interrogantis indignitatẽ, ſicut electo Prophetę ſuo prenuntiat, Linguam tuam faciam adhęrere palato tuo, & eris mutus, non quaſi vir obiurgans, quia domus exaſperans eſt. Similiter quandoque in demeritum peccati non permittit Dominus indignos rectè reſponſa intelligere. Iuxta illud Eſaiæ cap. 29, Et erit viſio omnium Prophetarum ſicut verba libri ſignati, quem nec ſciens neque ignorãs literas legere poterit. Quid igitur formidoloſius quàm illũ iraſci, qui ſi nõ miſereatur, extinguitur peccator? Poſtea antiquos ex Adam hoſtes enumerat Dauid, dicens, Inueteraui inter omnes inimicos meos. Non noua aduerſum me inimici bella gerunt, meus hoſtis antiquus eſt, quia veterem hominem cum vitiis & concupiſcentiis eius, inimicis meis, aduerſum me porto pugnantibus. Sed cupiens iſto veteri homine exui, & induere nouum, addit, Diſcedite à me omnes, &c. Ezech. 3.

Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus uocem fletus mei.

Enumeratis afflictionibus, emẽdationis ingreditur partem, vt qui malorũ collegio peccauerat, fugatis à ſe talibus, mandatis Domini deuotiſſimus appareret. Poſtquam igitur ipſe miſericordiam conſequutus eſt, malos docet vel cohortatur vt à ſe abeant. Non enim vult iniquorum habere conſortium. Simul tamen & illud notandum eſt, quòd non eos qui operati ſunt iniquitatẽ, ſed qui operãtur à ſe iubeat recedere. Nunc itaque moribus malis & ſpiritibus immundis

renuntians, ait, Diſcedite à me omnes qui operamini iniquitatẽ. Quia is qui dimiſit peccata, is inquã qui exaudiuit vocẽ fletus mei, & orationẽ meã ſuſcepit, dixit mihi, Ecce
Ioan. 5. ſaluus factus es, iam amplius noli peccare. Neque inſuper incongruũ eſt hîc intelligere vt Dauid pœnitens cacodæmonibus cõminetur, dicens, Diſcedite. Nam ſicut mali angeli ingerunt ſe peccatoribus, vt faciant eos ruere de peccato in peccatũ: ſic refugiunt, quando vident peccatorem à Deo exauditũ & liberatũ: quia quũ ſuperbiſſimi ſint, abhorrent ab hominibus ſuperari. Id præterea præſtat bonitas
1. Cor. 10 Dei, ſic ſemper cũ tentatione faciens prouentũ. Vnde Origenes, Puto (inquit) ſane quia ſancti repugnantes aduerſus iſtos incentores, & vincentes, minuant exercitũ dæmonũ: vel vt quàmplurimos eorũ ligent, nec vltra fas ſit illi ſpiritui, qui ab aliquo ſancto caſte & pudice viuendo victus eſt, impugnare iterũ alium hominẽ. Quod quãplurimi putant intelligendũ tantũ de illo vitio in quo ſuperatus eſt: vt ſi de ſuperbia aliquẽ virum ſanctum tentat, & vincitur, vlterius non liceat ipſi dæmoni illum vel aliũ de ſuperbia tentare. Ita de Lucifero quidam opinantur, ipſum imprimis Adam tentaſſe & viciſſe, & tum demũ Chriſtum, ſed ab eo victum
Apoc. 20. eſſe: & ideo in inferno religatũ: vti in Apocalypſi legitur, Quum conſummati fuerint mille anni, ſoluetur Sathanas de carcere ſuo, & exibit. Vel in prophetia ſeu increpatione prophetica dictũ accipiamus, DISCEDITE: quoniam diſceſſuri ſunt, id eſt ſeparabuntur à iuſtis impij, quũ iudicij dies aduenerit: vel nunc, quia etiam ſi pariter atque iiſdem conuenticulis continentur, tamen in area nuda iam grana ſeparata ſunt à paleis: quanuis inter paleas lateant, & ſimul verſari poſſunt, ſed ſimul vento auferri non poſſunt. Sequitur,

Exaudiuit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam ſuſcepit.

Diſcrimen eſt inter orationem & deprecationem. Nam per orationẽ vt plurimũ petimus nobis gratiã elargiri: per deprecationẽ vero, peccata dimitti poſtulamus. Hoc modo Chriſtus ſuſcepit orationẽ Prophetarum, quãdo factus eſt homo.

homo. Sed audiuit deprecationem, quum omnium peccata diſſoluit, & diabolum foras eiecit. Nunc verò intuere magnum exultationis arcanum, vt Dauid orationem ſuam & auribus dicat auditam, & quaſi oblationem aliquam referat fuiſſe ſuſceptam. Iſtius rei repetitio crebra eſt, ſed ex affectu: quia gaudenti non ſufficit ſemel dicere, quod gaudet. En vides quàm beati ſunt qui per pœnitentiam lugent, quoniam ipſi tandem conſolabuntur: & qui ſic ſeminant in lachrymis, in gaudio metunt. Sed quia Deus regium Prophetam pœnitentem exaudiuit, vates iam liber à peccatis, optat & orat pro inimicis, vt conuertantur exemplo ſuo, dicens: Ergo iam erubeſcant & conturbentur, & cætera. Ioan. 12. Matth. 5. Pſal. 125.

Erubeſcant & conturbentur uehementer omnes inimici mei, conuertantur & erubeſcant ualde uelociter.

Hîc quædam formula pœnitentium eſt, vt incipiant à lachrymis, & finiant in lætitia: quatenus hoc modo poſſit agnoſci verum eſſe quod legimus, Triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Et intuere quàm ſancta eſt conſcientia pœnitentis à peccatis facta libera, quæ mox pro inimicis ſuis, vt conuertantur, exorat: vt ſicut ille aſſequutus eſt veniam, ita & inimicos ſuos ad Dei gratiam reducat. Bis dicit, Erubeſcant: quia non ſolum ante conuerſionem eſt erubeſcendum, ſed etiam poſt, ex memoria & recordatione peccatorum, quod eſt quædam cuſtodia virtutum. Et ne forte procraſtinēt aut tardent impij conuerti ad Dominū, addidit, Erubeſcant valde velociter. O deſiderium ſanctæ mentis eximiū! Quid enim amplius iſte in cauſa ſua petere potuit, quàm quod pro capitalib⁹ inimicis ſuis poſtulauit? Taliū itaq; Dominus miſeretur, qui miſericordię vicē repēdunt, dimittētes peccata vti & ſibi dimitti volūt: ſua atq; aliorū contagia plorātes, & bona cupiētes. Timētibus de falſa iuſtitia conſilium correctionis dat, vt ſcilicet per opera miſericordiæ, miſericordiā quęrāt, & nō contēptis pauperū curis, per ſacrificia Deum placare confidant. Inſuper ſi præſentia de ſpiritibus immundis intelligere velis, quum Ioan. 16. Matth. 6.

ait, Conuertantur & erubeſcant, quis nō iudicet eſſe iuſtiſſimam pœnam, vt conuerſionem ad confuſionem habeant, qui ad ſalutem habere noluerunt? Sic dæmones à pœnitentibus victi, conuertuntur conuerſione erubeſcentiæ, quæ
Lucæ 15. eos afficit. Contrà vero tunc gaudium fit in cælo ſuper illo peccatore pœnitentiam agente: vti dux in prçlio: plus enim militem diligit, qui poſt fugam reuerſus, hoſtem fortiter premit, quàm eum qui nunquam fugit, nec vnquam fortiter egit. Tunc boni angeli (quia rationales) gaudent de reconciliato ſibi homine: quç res nos maxime monet vt ſemper agamus quod illis gratum ſit, quorum & deſiderare patrocinium, & timere odium debemus.

IN PSALMVM SEPTIMVM.

Domine, Deus meus, in te ſperaui, ſaluũ me fac ex omnibus perſequẽtibus me, & libera me.

Huic Pſalmo in Hebræo præponitur talis titulus, Pſalmus Dauid quem cantauit Domino pro verbis Chuſi filij Gemini. Sententia vero Hieronymi plerique, & maximè hi qui Hebræi ſermonis ſcientiam non habent, hunc Pſalmum arbitrantur eo tẽpore eſſe cantatum, quo Chuſi filius
2.Reg.17 Arachi, amicus Dauid, deſtruxit conſilium Achitofel, & ad eum nuntios miſit ne in Heremo vltra ſederet, ſed procul fugeret, ne opprimeretur à filio. Verum ſciẽdum eſt eos errare: primum quòd nomen Chuſi per ס Samech literã ſcriptum eſt, hîc vero per ש Sin: deinde quòd nunquam Dauid qui Ioab & cæteris ducibus exercitus ſui præceperat, dicens: Parcite puero Abſalon, de morte filij ita loqueretur,
2.Reg.18 Concepit dolorem, & peperit iniquitatem, lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foueam quã fecit: maxime qui morte eius audita operuit caput ſuum, & eiulans clamauit,
Ibidem. Fili mi Abſalon, Fili mi Abſalon: quis mihi tribuat vt ego moriar pro te? ad extremum, quòd illic Chuſi, amicus Dauid, filius Arachi ſcriptus eſt, hîc vero filius Gemini: de qua tribu fuit ipſe Saul. Sciendum itaque Chus hîc eſſe nomen appellatiuum, & interpretari AEthiopem: & totum Pſalmũ

contra

contra Saul eſſe conſcriptum, qui iniuſte perſequebatur Dauid, & in foueam quam foderat, incidit. Quem regius Propheta AEthiopem vocat, more Iudæorum, qui omnem rem malam & peruerſam, nigram appellant: atque in perditis hominibus nomen nigri apud veteres poni ſolitum, indicant etiam Poetæ Latini: vnde extat illud Horatianũ, Hic niger eſt, hunc tu Romane caueto. Propterea etiã Saul AEthiops dictus eſt, quòd ſanguinariis & tetris ac crudelibus moribus fuerit, atque ſuper his vehementer diffamatus maxime in deuaſtatione vrbis Nobe, & perditione Achimelech, reliquorũmq; Sacerdotum, in odium Dauid: vt habetur 1. Regum cap. 22. Præterea quòd nunquam potuerit mutare ſuam nigredinem, quam conceperat aduerſus Dauidem: licet pluribus vicibus expertus fuerit & confeſſus innocentiam Dauidis. 1. Re. 24. & 26. Aquilla autẽ huic titulo addit, Pro ignorantia Pſalmus Dauid &c. tanquam Dauid fuerit cauſa mortis Achimelech, reliquorũmque Sacerdotũ, petens ab eis præſente Doech Idumæo & Saulis delatore, gladium Goliath. 1. Reg. 22 Et in hoc Pſalmo dolet Dauid quaſi huius calamitatis author extiterit. 1. Reg. 21. Non enim ignorauit futurum vt Doech præſens ſtatim amicitiã Sacerdotũ ad ipſum, Sauli denuntiaret. Vnde Abiathar fugienti, & tam triſte fatum nuntianti, dixit Dauid, Sciebam (inquit) quod quũ ibi eſſet Doech Idumęus, proculdubio annuntiaret Sauli: ego ſum reus omnium animarum patris tui. 1. Reg. 22 Quapropter præſens Pſalmus editus eſt pro expiatione huiuſmodi ſupinæ ignorantiæ: & ne propterea tradatur ipſe filius Iſai in manus Saulis ac ſuorum inimicorum. Et hic Pſalmus eſt primus eorum in quibus per actus Dauid, ſignificantur Domini futura myſteria. Cauſam ſuam Propheta trahit in futurum myſterium Saluatoris Domini, cui etiam nomen ipſum Dauid myſticis interpretationibus congruenter aſcribitur. Quapropter de vniuerſis inimicis petens liberari regius Propheta, acclamat, DOMINE per omniũ generalẽ gubernationem, Deus per creationem, Meus, per ſpecialem cultum & deuotionem, in te ſperaui, nõ in gladio aut viribus propriis: plus de tua bonitate quàm de mea iuſtitia expectans, ſaluum me fac à Saule & ipſius complicibus, ini-

micis meis: & libera me, de ipſis aſſecurando. Non enim mihi ſufficit vt te defendente ſim ſaluus, niſi & te liberante ſim ſecurus. Hæc ſimiliter Chriſto à Iudæis iniuſte dānato optimè quadrant: quaſi contra eos auxilium Patris ef-
1.Reg.22. flagitet. Nam vt Dauid falſo à Saule accuſatus, ita Iudæi Meſſię impingebant, quòd contra Cæſarem coniuraſſet, vt
Luc.23. ſe regem faceret: inſuper quòd populum cōmouiſſet à Galilæa vſque in Hieruſalē: & quòd dixerit, Poſſum deſtruere
Matth.26. templum Dei, & in triduo reædificare illud. Pro his igitur iniuſtè appetitus, ſe excuſat apud Patrem, petítque liberari in capite, per reſurrectionem, & in membris, ſuam ſemper ſeruando à tyrannis Eccleſiam. Sequitur,

Nequando rapiat ut leo animam meam, dum nō eſt qui redimat, neque qui ſaluum faciat.

1.Reg.26 Saul tanta ſæuitia in ſacerdotes Nobe (reputans eos amicos Dauidis) vſus eſt, vt meritò Dauid timeret eum tanquam leonem rapientem & vorantē. Nam crudele ſic opus
Ibidem. efficiens, & totam generationem ſacerdotalem interimēs, & neque infantibus miſericordiam, nec ſenibus reuerentiā habēs, ſed ciuitatem diſperdēs, quam patriam ſacerdotum,
1. Reg.2. Prophetarūq; nutricē, diuinitas elegerat. Quāuis forſan hęc cōtigerint ſicut Deus ſacerdoti Eli prædixerat, propter iniquitates duorū filiorum eius, dicens, prolem eius radicitus euellendam: tamen etiam hoc eſt neceſſitatis periculū, quare petit liberari & ſaluari regius Propheta, ne incidat in manus tam impij principis. Nam certus erat ſi quandoque in manu inimici daretur, nullo pretio, nullo fauore, nec vlla potentia humana inde liberari poſſet, quum nihil magisquàm illius iugulum quæreret Saul. Si de Chirſto verò nunc ſit ſermo, dum præcedenti verſiculo pro ſuis membris per pluralem numerū diceret, Saluum me fac ex omnibus perſequētibus me, hîc ſingularem intulit: non enim ait, Nequando rapiant: ſciens quis reſtet inimicus perfectæ
1.Petr.5. animæ vehemēter aduerſus. de quo 1. Petri, Vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret. Et conuenienter dæmon leoni cōparatur: quia ſicut leoni os ac fauces male olent, ita etiam

os dæmonis

os dæmonis eructans blaſphemias, male olet: atque quemadmodum rugitus leonis impedit aures, ne alium ſonum excipiant: ſic diabolus fidelium mentes terrendo, & illicita ſuggerendo, à via veritatis, ne vocem Chriſti audiant, auertit. Deniq; velut hoſtis obſidens muros clauſos, explorat an ſit pars aliqua murorũ minus ſtabilis, cuius fractura in caſtra erũpat: ita animæ noſtræ exterius inſidiatur, vt mors per ſenſus exteriores, quaſi per quaſdam feneſtras intret in animam. Offert oculis formas illicitas & faciles voluptates, vt viſu deſtruat caſtitatem: aures per canora allicit, vt emoliat Chriſtianum rigorem: linguam conuitio prouocat: manum, iniuriis laceſſentibus, ad cædem inſtigat: honores terrenos promittit, vt cæleſtes adimat: & quũ latenter non poteſt fallere, addit apertos terrores: in pace ſubdolus, in perſequutione violẽtus. Contra quẽ Chriſtianus animus ſemper debet tantum eſſe paratus ad reſiſtendum, quantum paratus eſt ille ad impugnandum. Cautè igitur hîc ſemper ambulandum eſt, atque interim magna vtilitas ſeruo Dei propriam infirmitatem recognoſcere, nec ſuis viribus aut meritis inniti. Tunc enim incipit adeſſe virtus diuina, quum deficere incipit præſumptio humana. Quapropter nunc dicit Propheta, Si tu Deus non redimis, neque ſaluum facis, ille inimicus rapit. Non enim ab alio poteſt ſalus venire niſi à ſalutis authore. Et vt manifeſtum ſit iam perfectam animam hoc dicere, cui ſolius diaboli fraudulentiſſimæ inſidiæ cauendæ ſunt, vide quid ſequatur, Domine Deus meus, & cætera. Hiere. 9.

Domine Deus meus, ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis.

Imprimis pro iuſtificatione petitionis ſuæ proponit Dauid Deo vnã cõditionalem, dicẽs, Si feci hoc, ſcilicet quòd machinatus ſim ad deiiciendũ domũ Saulis à regno (quod ei falſo impingebant & Saul & eius complices) & ſi eſt iniquitas in manibus, id eſt operib⁹ meis, quib⁹ inique egerim cõtra domũ Saulis, perſequatur inimicus animã meã. Quare (teſte Philone) dum Saul Dauidi inuideret, & quæreret 1. Reg. 22.

eum interficere, manſit ſpiritus in Saul & prophetauit, dicens: Quid ſeduceris Saul, aut quem iuſtum perſequeris in vanum? Completum eſt tempus regni tui: perge in locum tuum: tu enim morieris, & Dauid regnabit. Nõne tu & filius tuus ſimul moriemini, & tunc apparebit Dauid regnũ? Abiit tamen Saul ſemper iniuſte conturbans filium Iſai, &
1.Reg.20 non ſciuit quæ prophetauit. Quapropter dum Dauid Ionathæ vale dixit, hæc ſimilia intulit, Cur anima mea perſequutionem patitur? minimus enim inter fratres meos fui, paſcens oues: & quare morte periclitor? Iuſtus enim ſum, & iniquitatem nõ habeo: & quare pater tuus odit me? quum ego reddiderim illi bona, ille retribuit mihi mala:
1.Reg.17 & quum ego Goliam occiderim, in verbo fortiſſimi, vide finem quem tribuit mihi, quia determinauit domum patris mei vt diſperderet eam: poſui manus meas in lancea, & benedixi eum in hymnis, at ille cogitauit interficere me, & tanquam paſſer qui fugit ante faciẽ accipitris, ſic fugi ante faciem eius. Quibus verbis Dauid ſatis ſuam innocentiam explicat, & quia nihil in Saulem machinatus: vnde etiam (teſte eodem Philone) Saul moriens hæc per Edab filium Agag Regis Amalechitarũ, Dauidi mandat, hęc dicit Saul, Non memor ſis odij mei, neque iniuſtitiæ meæ. Ad Chriſtum inſuper iſta referendo, nunc Deo patri oſtendit quòd falſa ſit Iudæorum contra ipſum accuſatio. Hîc quidem dicit, Si feci iſtud: ſed ſtatim quid ſit iſtud exponit, quum ait, Si eſt iniquitas in manibus meis. Sic enim manifeſtum eſt de omni peccato dici, de quo propterea Eſaias ſcripſit, Qui
Eſaiæ 53. peccatũ nõ fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Quod de nullo alio poteſt dici: nemo enim mundus à ſordibus, neque id ratione vacat. Nam quemadmodum (ait Auguſtinus contra Arrium) ſi verbum diuinum eſſet factũ & creatum, non potuiſſent omnia fieri per ipſum, quod eſt contra
Ioan.1. illud, Omnia per ipſum facta ſunt. Ita pari ratione ſi Chriſtus fuiſſet peccato obnoxius, non potuiſſet alios liberare, qui primò fuiſſet victus & ſeruus diaboli per peccatum. Quare puto hanc veram eſſe rationem cur ſolus potuit pro mortalibus ſatisfacere: id enim iuſtitia exigebat tantũ Deo patri redderetur, quantum per peccatum ablatum: quod

morte filij peractũ eſt. Sic enim & Deus oblatus, qui prius per peccatum ablatus. Quæ de re modo Propheta per modum adiurationis prædicit hanc puritatem & innocentiam Chriſti, per quã meruit deſtruere noſtra peccata. Hîc præterea, ſi Perfectum loquentem facias, cui ſolius cacodæmonis decipulæ vitandæ ſunt, in his verbis non eſt ſuperbia elati, ſed humilis confeſſio non ingrati. Et quod perfectius eſt (inquit) Si reddidi, &c.

Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis.

Saul bis in manus Dauidis traditus eſt: ſemel in locis tutiſſimis Engaddi, quando ſilenter præſcidit ſummitatem chlamydis ipſius ventrem purgantis in ſpelunca, vbi Dauid cum ſuis latebat, de quo 1. Regum cap. 24. Iterum in Gabaa Achille, dum Saule dormiẽte tulit haſtam & cyphũ aquæ qui erat ad caput illius, nec Abiſai filium ſororis ſuæ Saruiæ permiſit volentem eum occidere, & in hoc vehemẽter inſtantem, vt patet 1. Regum cap. 26. Sic igitur ſatis patet quantum Dauid abſtinuit ab interfectione Saulis, & ꝙ nõ malũ pro malo reddidit, ſed vicit in bono malũ. Et quia cumulus perfectionis eſt diligere inimicos, & orare pro illis (ſicut Chriſtus & fecit & docuit Matthæi cap. 5. & Lucę, 23, Pater ignoſce illis quod enim faciunt neſciunt.) hîc patet Perfectũ Chriſto dicere, Si te non ſum imitatus in iuſto ſilentio, id eſt, patientia qua pro me operatus es, & ſi inimico non fui beneficus exemplo tuo, qui ſolem oriri facis ſuper bonos & malos, & pluis ſuper iuſtos & iniuſtos, decidã merito, &c. Et bene non ait, Si reddidi tribuentibus mihi mala, ſed retribuentibus: qui enim retribuit, iam aliquid acceperat. Maioris autem patientiæ eſt nec ei mala rependere qui acceptis beneficiis reddit mala pro bonis, quàm ſi nullo antè accepto beneficio nocere voluiſſet. Vnde aduerte tres eſſe gradus patientiæ: Primus eſt quando quis æquanimiter ſuſtinet mala quæ meruit: ſecundus, quando patitur quod nõ demeruit: tertius, quãdo mala accipit pro bonis: & iſtud eſt nobile vincẽdi genus. Contra autẽ ille inaniter ſe iactat, qui quũ & ipſe homo ſit, cupit ſe de homine

Rom. 12.

Matth. 5.

vindicare: & quum ſuperare hominem palam quærit, occulte à diabolo ſuperatur. Is in his eſt conatus, ea vana & Rom. 12. ſuperba eſt præſumptio. Quare ad Romanos ſcribit Pau- Deut. 32. lus, Chariſſimi, date locum iræ: ſcriptum eſt enim, Mihi vindictam, & ego retribuam. Sanctus enim delectatur in pœnis, non inquantum pœnæ ſunt, ſed inquantum iuſtè Pſal. 57. à Deo vel ab homine inflictæ. Iuxta illud, Lætabitur iuſtus quum viderit vindictã, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris. & hoc modo Apocalypſis cap. 6, petunt beati, Vindica ſanguinem ſanctorum qui effuſus eſt. Sequitur,

Perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat & conculcet in terra uitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.

Ex tota præcedenti conditionali clarè apparet quòd Dauid iuſtificat petitionẽ ſuã corã Deo, proponẽdo tãquã per execrationẽ, quòd ſi malè ſe habuit erga Saulẽ, incidat in manus eius, perdat honorẽ regni ſibi à Deo promiſſi, perdat vitã: & vltimo in loco metaphorica eſt loquutio, ſignificans quòd honorẽ ſuum ad nihilũ redigat Saul: ad ſimilitudinem eorum quæ in pulueribus iacent, quæ pro nihilo habentur, vtpote quæ ab omnibus calcari poſſunt. Si de Perfecto etiam ſit ſermo, iterum inimicũ, ſingulari numero nominans, illum magis magiſque manifeſtat quem ſuprà velut leonem appellauit. Ipſe enim diabolus animam perſequitur, ſuggerẽdo: & ſi deceperit, comprehendet, ad conſenſum peccati trahens: conculcat in terra, in actum pec- Gen. 3. cati inducens. Sic enim anima peccatoris (de quo ſcriptum eſt, Terra es, & in terram reuerteris) fit cibus ſerpẽtis, cui- Ibidem. quidẽ ſerpenti etiam & propterea forſan hæc ſancita ſententia, Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Cæterum gloriam in puluerem deducit, dum hominem mala conſuetudine irretitum detinet. Superior ſiquidem factus, dat interitum non ſalutem. Et pulchre hîc congruus eſt poſitus ordo verborum: prius enim fuit vt comprehẽderet, poſtea vt conculcaret. Ita dum ſibi conditionem ponit Propheta, peccantium ruinã mirabili narratione deſcripſit. Gloria

vero

verò quæ nunc in puluerem deducenda dicitur, poteſt intelligi illa ſuperborum vana & inepta iactantia, quæ ſicut vento elatus pulueris globus citiſſime deperit, & qui bene didicit vel expertus eſt vitiorum ſuperandorum gradus, intelligit hoc vitium inanis gloriæ vel ſolum vel maxime cauendum eſſe perfectis: quo primo enim vitio lapſa eſt anima, hoc vltimum vincit. Quapropter doctorũ ſententia periculoſius eſt per inſenſibilitatem quàm per intemperantiam peccare, quòd inſenſibilitas inhumana eſt quæ hominem elõgat à conditionibus & moribus ſuis: & quum omnia vicerimus, difficillime noſmetipſos vincimus, ac facilius auro & argento quàm arrogantia caremus. Sic teſte Caſſiano, eos quos non potuit ſuperare gaſtrimargia & ſomnus, illos immoderatio vigiliæ & ieiuniorum frequẽter ſuperauit per falſam ſuaſionem ſanctitatis: vti probat exemplo Heronis, qui quum tenuiſſet quinquaginta annis continentiam & ſolitudinem cum ſummo rigore, ita vt nec die paſchali voluerit fratribus aggregari, nec quãtulocunque parui leguminis vſu recreari, tandem à Sathana ſe in angelum lucis transferente ſuaſus eſt, quòd nulli amplius diſcrimini eſſet ſubiectus, propter magnitudinem ſuæ virtutis. Quod vt experimento probaret, ſe in profundum puteum præcipitem dedit, à quo extractus, vitam in labore ſuæ deceptionis finiuit: à qua nec experimento mortis reuocari potuit. Tantundem fecit monachus Meſopotamenus, qui quum diu obſeruaſſet continentiam paucis imitabilem, diabolicis tamen reuelationibus ſic deluſus eſt, vt ad Iudaiſmum & circunciſionem carnis lapſu miſerabili volueretur. Oſtendit enim illi dæmon populũ Chriſtianum cum Apoſtolis & martyribus tenebroſum, tetrum, omníque macie deformẽ: contrà vero Iudæorũ plebẽ cum Moyſe, Patriarchis & Prophetis ſumma tripudiantẽ lætitia, & ſplendidiſſimo lumine coruſcantẽ: ſuaſitq́, vt ſi vellet horũ beatitudinis particeps fieri, circũcideretur, quòd & fecit. Ecce quantũ pernitioſius ſupplantat falſo perſuaſa ſanctitas, q̃ non bene ſeruata temperantia: ac quanta diligẽtia Perfecto vitanda eſt hæc ſubrepens gloriola. Sed quoniam ſuper his nihil demeruerit Dauid, ſubiungit,

2. Cor. 11.

Exurge, Domine, in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum tuorum.

Recurrit Propheta ad Deum pro iuſtitia, tum pro ſeipſo tũ contra Saulẽ & ſuos: & per verbũ EXALTARE, Deo dixit, Appare excelſus. Puniendo enim magnates, eleuatur non in ſeipſo, ſed in conſpectu & laude hominũ Dominus. Vel hîc precatur Dauid Chriſti reſurrectionẽ, vti & in pręcedenti eius incarnationem efflagitauit, talia dicens, Quia humilitatem præcipis prior, eam imple, humilis appare, vt à te diſcant alij ſuperbiam vincere. Vnde aduerte iuxta Auguſtinum & Hilarium quòd Chriſtus filius Dei, omnia quæ facit per ſe, attribuit Patri, eo quòd non ſolùm inquan

Matth. 11. tum homo, ſed inquantũ Deus quicquid habet, habet à Pa-

& Ioã. 17. tre, à quo ſemper natus eſt, & cui eſt coæternus, ſicut ſplendor qui gignitur ab igne, atque diffunditur, coæuus eſt illi: atque eſſet coæternus, ſi ignis eſſet æternus: Filius enim inquantum Deus, ab æterno quicquid habet naſcendo accepit: & inquantum homo, ex tempore in incarnatione habuit omnem virtutem à Patre. Qua de re quicquid facit, attribuit Patri, & hac de cauſa Ioannis cap. 7. inquit, Doctrina mea non eſt mea, ſed eius qui miſit me, Patris. Ipſe enim quum ſit Verbum Patris, & quia verbum alicuius idem eſt quòd doctrina ſua, ideo ſequitur quòd Filius ſit doctrina Patris. Doctrina quidem per identitatem, non tamen per originẽ, quia non eſt à ſe, ſed à Patre. In diuinis enim eſt ordo non durationis, quo alter eſt altero prior, ſed originis, quo alter eſt ab altero. Sed quum Chriſtus hîc loquitur inquantum homo, & reſurrexit in virtute diuinitatis, idcirco hanc ſuam reſurrectionem & virtutem attribuit Patri. Quapropter ei dicit, Exurge, id eſt, Fac me reſurgere in ira contra peruicaces Iudæos. Nam Chriſti reſurrectio, gaudium & gloria fuit fidelibus, ſed apellis infidelibus, ira & mors. Et quoniam (inquit) te non ſenſerunt per beneficia, ſentiãt per iracundiam. Nam expectaſti eos per quadraginta duos annos poſt paſſionem meam, vt conuerterentur: quo in tempore cum honore ſepulta fuit Synagoga, & ceſſauerunt legalia. Verum quia contemptores indignos ſe præſtiterunt

tanti

tanti beneficij, Exaltare in finibus iſtorum inimicorum, ipſos per Vaſpaſianum & Titum diſpergendo ac peſſundando. Cuiuſce rei figura præceſſit, 4. Regum cap. 2, in duobus vrſis egreſſis de ſaltu, qui lacerauerunt quadraginta duos pueros de Hiericho, Heliſæũ irridentes. Aut ſi Perfectum hîc loqui intelligas, nõ aduerſus homines iſta precatur, ſed aduerſus diabolum & angelos eius, quorum poſſeſſio peccatores atq; impij homines ſunt. Et hęc vindicta, quæ dicitur ira, in cacodæmonem debet aduerti, qui toties punitur, quoties ab eo peccator ſubiugatus eripitur. In ipſis etiã exaltatur Dominus, quando à cõuertẽtibus confeſſio laudis offertur. Non ergo ſæuiens ſed miſericors Perfectus aduerſus diabolũ orat, quoties rogat vt ei auferatur iſta poſſeſſio ab illo Domino qui iuſtificat impiũ. Sequitur,

Et exurge, Domine, Deus meus, in præcepto quod mandaſti, & Synagoga populorum circundabit te.

Petit humano more Dauid quòd quaſi à ſomno ſurgat Deus ad faciendũ ſibi iudiciũ quod mãdauit fieri per alios. Præcepit quippe iudicibus Dominus faciant iudicium omnibus iniuriam patientibus, maxime autem quærit vindicari de ſuis inimicis, quum & Deus puniens propterea circundatur cultu à mortalibus. Nam Deus quieſcens à punitione, frequenter à ſoporatis & veterno peccati inuolutis non æſtimatur excelſus: ſed quàm primum punit, quaſi reuertitur in celſitudinẽ, vſqueadeo ſignis præcipue ducitur hæc infirma mortalitas. Sæpe inſuper vbi ſenſerunt ingrati Dominum iraſcentẽ, dant finem impietatibus ſuis, & finitis inimicitiis exaltatur Deus in finibus inimicorũ ſuorum. Iſta etiam poteſt eſſe vox Eccleſiæ Sponſo dicẽtis, Exurge Domine IESV CHRISTE in præcepto humilitatis quod mandaſti, vt qui humilitatẽ præcepiſti, humilis appareas. Aut ſuam reſurrectionẽ mandauit Dominus in præcepto, quando in Euãgelio dixit Diſcipulis, Tertia die reſurgam, præcedã vos in Galilæam. Hîc vero ob certitudinem Prophetiæ ponitur tempus præteritũ pro futuro. Duplex autem eſt intellectus in his verbis, Synagoga populorum circundabit te. Congregatio enim populorum ſiue cre-

Leuit. 19. & 2. Parali. 19. Eſaiæ 1.

Matth. 20 & 26.

dentium ſiue perſequentium poteſt accipi:quorum vtrunq; eadem Domini noſtri humilitate factum eſt:quam contemnens perſequẽtium multitudo circundedit eũ.De qua re di-
Pſal.2. ctum eſt, Quare fremuerunt gentes &c. Aſtiterũt reges terræ & principes conuenerũt,&c. Credentiũ autem per eius humilitatem multitudo, etiã ita eum quaſi corona quædam circundedit ſeu cinxit, vt veriſſimè diceretur, Cæcitas ex
Ro.11. parte in Iſrael facta eſt, vt plenitudo Gentium intraret: intantum ſiquidem Iſrael & delicta & perfidia occuparunt, vt veniret tempus quo Gentes omnes admitterentur ad vitã, & ita omnis Iſrael per fidem ſaluaretur. Hæc dum facta ſunt, exaltatus eſt Dominus in toto orbe terrarũ, quem poteſtas diaboli poſſidebat: & vindicauit Meſſias in dæmonẽ, quando ab eo abſtulit quod tenebat. Chriſti nempe aduen-
Zacha, 13 tu idololatria deſtructa: vti prædixerat Zacharias, In die illa diſperdam nomina idolorum de terra, & non erit vltrà eorum memoria: ita vt nulla ſit alia modo vera religio niſi tantum nominis Chriſtiani. Sed quum Dominus exurrexerit, quid aliud ſupereſt deprecemur, niſi reuertatur ad Patrem? Propterea nunc ſequitur, Et propter hanc in altum regredere, &c.

Et propter hanc in altum regredere, Dominus iudicat populos.

Explicans Dauid quæ ſit illa vindicta quam petit de coniuratoribus ſuis, Deo dicit, Propter hanc iuſtitiam faciendam de ſupernis procede. Dicitur enim Deus quodammodo progredi in altum, quando effectum ſuæ potentiæ oſtendit, qui prius non apparebat: & in multitudine prodigiorum verè ſe Dominum oſtendit, vti etiam aſſeruit Moyſi & Aaron, Exodi cap. 7, Scient AEgyptij, quòd ego ſum Dominus qui extenderim manum meam ſuper AEgyptum, & eduxerim filios Iſrael de medio eorũ. Et homines videntes Deum iſtam exercere iuſtitiam, credunt hanc de eo celſitudinem, quòd Dominus iudicat populos. Si verò Chriſtianæ animæ ſit interpellatio, talia dilecto loquitur, Quòd mortuus es, pro nobis mortuus es: quòd reſurrexiſti, nobis reſurrexiſti: idcirco & pro nobis aſcende, ac propter

propter hanc tuã Eccleſiam regredere in cęlũ vnde deſcẽdiſti. Regredi enim, eſt vnde veneris iterata via reuerti. Hoc modo enim Chriſtus glorificatus dedit Spiritum Sanctum Eccleſiæ, qui ante glorificationem eius, dari non poſſet: Ioannis cap. 7, Nõdum erat Spiritus datus, quia Ieſus nondũ erat glorificatus. Etſi enim Prophetæ acceperunt eundem Spiritũ, & Ioannes & alij ante reſurrectionẽ Chriſti, tamen erat alius modus donationis futur⁹ apertior & plenior. Poſt reſurrectionẽ enim quàm primũ apparuit Apoſtolis, inſufflauit in faciem eorum, qui flatu primo homini animã indidit, & de limo erexit. Significans ergo ſe eſſe eũdem, inſufflauit Spiritũ Apoſtolis, vt de luto exurgerent. Deinde poſt Aſcẽſionem plenius Spiritum miſit in igneis linguis, vt omnes Gentes docerent, ſicut omnium linguis loquebantur. Et quando aperte hæc humanitas Chriſti in cęlum recepta, firmatur ſpes nobis de noſtra futura beatitudine, dum iam portionẽ noſtræ carnis in cælis glorificatam cernimus. Propter igitur iſta tanta dona quæ Eccleſiæ ſucceſſerunt, Chriſto in cælum eleuato, nunc ei dicitur, Propter hãc in altum regredere. Tum demum Propheta mutãs perſonam, ſubiungit, Dominus iudicat populos: & hoc quidem fit iudicio diſcretionis & retributionis, nunc pios protegens, & malos ordinans, & poſtea vnicuique ſecundũ opera ſua reddens. Pœnitens vero ſuprà aiebat, Saluum me fac propter miſericordiam tuam. qua vocat ad pœnitentiam: Iam autem vocatus, quia præcepta ſeruauit ſecundum iuſtitiam, petit iudicari, dicens, Iudica me, &c.

Ioan. 20. Geñ. 2. Ibidem. Act. 2. Pſal. 6.

Iudica me, Domine, ſecũdum iuſtitiam meam, & ſecundum innocentiam meam ſuper me.

In ſuperiori Pſalmo, vti ſupra dictum eſt, infirmus deprecabatur, miſericordiam potius implorans Dei, quàm cõmememorãs vllum ſuũ meritũ. Nũc autẽ quoniã vocat⁹ tenuit & ſeruauit pręcepta, audet dicere, Iudica me, &c. Felix iſta anima & cõſcientia quæ hæc poteſt loqui, Iuſtitia & innocẽtia ſunt ſuper me, quia à Deo ſunt, & de ſupernis habemus, non à nobis. Ita ergo dicitur ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundũ innocẽtiã meã ſuper me. Tanquã ſi lucerna ardens

Pſal. 6.

& lucens diceret, Iudica me ſecundũ flammã quæ ſuper me eſt, id eſt, non qua ſum ego, ſed qua fulgeo accenſa de te. Atque iterum ante iudicium retributionis, ait Propheta, Conſumetur nequitia peccatorum, &c.

Conſumetur nequitia peccatorum, & diriges iuſtum, ſcrutans corda & renes Deus.

Loquitur Dauid more expectantiũ cũ deſiderio ſẽtẽtiã iudicis, & cõfidentium in bono iure cauſæ ſuę. Soliti quippe ſunt dicere, dignoſcentur innocentes atque punientur iniuſtitiam fouentes. Maxime autem bene ſperat pro ſua iu-
Pſal. 93. ſtitia, quòd Dominus ſcit cogitationes hominum, & quando vanæ ſunt. Nunc verò petit cito terminari nequitiã Saulis: quod impletũ fuit, 1. Regum cap. 27, quando Dauid timens incidere in manus eius, fugit ad terram Philiſtinorũ, & nuntiatum eſt Saul quòd Dauid fugiſſet in Geth, & non addidit vltrà vt quæreret, deſperans ſe poſſe capere eum.

Inſuper hæc omnia de Chriſto intelligendo, non potuit illius iuſtitia dirigi, niſi Iudęorum iniquitas impleta fuerit, vti eis prædixit Matthæi cap. 23, Quia filij eſtis eorum qui Prophetas occiderunt, & vos implete menſuram patrum veſtrorum. Illi Prophetas, vos Dominum Prophetarum occidite: illi interfecerunt ſeruos, vos Dominum crucifigite. Statim tamen ſequitur pœna decreta, quia venit ſuper eos
Matth. 23. omnis ſanguis iuſtus qui effuſus eſt ſuper terram à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachię &c. Hinc horrendum eſt peccatis alia peccata addere, & ita ſuã menſuram implere: quia incertum eſt pro qua culpa, aut quanto ſcelere, occulto iudicio ſuo ſit nos in præſenti vita iudicaturus Deus, vt ſeducamur, & ſeducti tandem perpetuis cruciatibus condemnemur. Sic enim pœna temporalis decreta, patienter & neceſſe ferenda eſt. Propterea 2. Machab. cap. 9, de Anthioco ſcriptum eſt, Orabat ſceleſtus Dominum, à quo non erat miſericordiam conſequuturus. &
1. Reg. 15 Samuel in libro Regum, Porro triumphator in Iſrael non parcet, & pœnitudine non flectetur, neque enim homo eſt vt agat pœnitentiã. Hîc autem petit Chriſtus accelerari mortis ſuæ aduentum, vt cito ſuus clarificetur aſcenſus.

Completa

Completa verò eſt nequitia Iudæorum quando crucifixus eſt. quod verbum & ipſe poſitus in cruce dixit, Conſummatum eſt. Directus eſt autem iuſtus, quando reſurrexit & in cælos aſcendit. Sic pietatis ſtudio id videtur expeti, per quod vita omniũ probatur impleri. Aut iſtud nũc non optat Propheta, ſed tantum quod facturi erant Hebræi, prædicit. Et quoniam non ſolum dictum eſt Apoca. cap. 22, Qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: ſed etiam dictum eſt, Iuſtus iuſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc: annectit, Dirige iuſtum, ſcrutans corda & renes Deus. Semper Eccleſia in occulto directa eſt. Id quidem tempore martyrum, quum adhuc odioſum eſſet nomen Chriſti: & propterea vſque adhuc multa ſanctè ſolum traditione Apoſtolorũ obſeruam⁹, quæ nuſquam ab eis literis mandata reperimus. Sed iſta primitiua in Eccleſia duntaxat ore ad os dabant, ne vileſcerent aut peſſundarẽtur apud Ethnicos & infideles, quorũ tunc erat maior numerus quàm Chriſticolarum. At poſtquã magno in culmine cœpit eſſe nomẽ Chriſti, creuit hypocriſis, id eſt, ſimulatio eorũ ſcilicet qui nomine Chriſtiano malunt hominibus placere, quàm Deo. Quomodo ergo dirigetur iuſtus in tãta cõfuſione ſimulationis, niſi dũ ſcrutatur corda & renes Deus, videns omnium cogitationes, quę nomine cordis ſignificatæ ſunt, & delectationes, quę nomine renum intelliguntur? Rectè temporalium & terrenarũ rerum delectatio renibus tribuitur, quia & ipſa pars eſt inferior hominis, & ea regio eſt vbi carnalis generationis voluptas habitat, per quam in hanc ærumnoſam & fallacis lætitiæ vitam per ſucceſſionem prolis natura humana trãſfunditur. Sed quia mali ſunt occaſio directionis bonorum, (nam quod lima eſt ferro, hoc eſt malus bono) ideo ſubnectit quòd non ſolum dirigit, ſed etiam adiuuat iuſtum Dominus: & propterea inquit, Iuſtum adiutorium, &c. Ioan. 19.

Iuſtum adiutorium meum à Domino, qui ſaluos facit rectos corde.

Quoniam Dauid non humano ſed diuino iudicio ſe ſubmittit iuſtificandum, & Deus non ſemper in hac vita bonos declarat iuſtos, ſed impios permittit florere, tanquam ſi eſ-

ſent iuſti:ideo nũc ait, quòd ipſe adhibet defenſorem ſuum Deum, non quatenus permittit mala, ſed quaten' ſaluat rectos corde. Pręterea incarnatio illa quæ propter nos ſuſcepta eſt, hîc ad nos loquitur animãdos: nam licet iſtud de ſe videatur dicere Chriſtus per id quod ſubiectus eſt Patri, ſpẽ tamen in ſe credentibus inęſtimabili pietate largitur. Nam quum vna eadémque Dei hominíſque perſona ſit, ſuũ humanitas dicit adiutorium, potentiã Verbi, quod rectis corde & veniam tribuit & ſalutem. Sic igitur Perfectus nunc his præſidiis fultus, etiam ait, Iuſtum adiutorium meum à Domino, qui me iuſtè adiuuat contra malos, quíque ſaluos facit rectos corde, qui in operibus ſuis rectam habent intentionem. Eſt enim hoc auxilium medicina Chriſtianæ: ſed duo ſunt officia medicinæ: vnum quod infirmitatem ſanat, alterum quod ſanitatem conſeruat. De primo ſuprà di-
Pſal. 6. citur, Saluum me fac propter miſericordiam tuam. Quippe ibi miſericors auxilium eſt, quia nullum de condigno
Rom. 4. habet meritum peccator, qui adhuc iuſtificari deſiderat, credens in eum qui iuſtificat impium. Hîc verò iuſtum eſt auxilium, quod iam iuſto tribuitur: & de genere eſt conſeruantis medicinæ. Vtraque ſaluos facit, ſed illa ex ægritudine ad ſalutem tranſfert, hæc in ipſa ſalute conſeruat. Iuſto autẽ auxilio ſaluos facit Dominus rectos corde. Nam ſicut ſcrutatur corda & renes, ita ſaluos facit rectos corde, & renibus: quia cogitationes malæ ſunt in prauo corde, & bonæ in recto corde: delectationes autem non bonæ ad renes pertinent, quia inferiores ſunt atque terrenæ: bonæ vero non ad renes ſed ad ipſum cor. Propterea non ita dici poſſunt recti renibus, ſicut dicuntur recti corde, quũ iam vbi cogitatio, ibi & delectatio eſt. Sed ô peruerſorũ iniquitas conſumatur!

Deus iudex iuſtus, fortis & patiẽs, nunquid iraſcitur per ſingulos dies?

2. Cor. 5. Iuſtus dicitur Deus, quia tribuit vnicuique in fine prout geſſit in corpore. Ipſe etiam eſt fortis, quia nullus poteſt impedire

Impedire eius voluntatem, quæ ſi beneplaciti fuerit (doctorum ſententia) ſemper impletur. quemadmodum loquitur per Eſaiam cap. 46, Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet. Qua in re ſatis patet nullum eſſe Deum niſi eum qui & futura ab æterno indeceptibiliter nouit, & ea inimpedibiliter implet. Cæterum quid de eius patientia dicemus? An diuitias bonitatis eius & patiētiæ & longanimitatis contemnemus? Copioſa eſt bonitas quæ multa vel multis peccantibus multa bona miniſtrat, blandiens, vt ad pœnitentiam attrahat: copioſa, quæ tot & tanta peccantes ſuſtinet, nec cito punit, & hoc eſt longanimitatis: quia non ad horam eſt, ſed longa per multa expectans tempora, & propter conuerſionem diſſimulat, metu iudicij terret, & ſpem conuerſis promittit. Hac de cauſa ſubditur, Nunquid iraſcitur (ſeu vt quidam ſignificantius legunt) Nunquid iram adducit per ſingulos dies? quia non in ipſo eſt ira qua punit, ſed hanc per miniſtros exercet, quam per patientiam ad tempus diſſimulat, expectans interim peccatorem ad pœnitentiam, neque quotidie punit prout & quotidie peccamus: & propterea ad probandam hanc Domini longanimitatem, nunc dictum eſt, Iram non affert per ſingulos dies. Sed nunquid propterea tibi de impunitate blandiris, quia Deus in præſenti non reddit? Et tu longitudinem temporis & abundantiam bonitatis intuens, putas iam non eſſe iudicium? Audi Scripturæ ſententiam, Non tardat Dominus promiſſis, ſed patienter agit propter vos, nolens aliquem perire, ſed omnes ad pœnitentiam conuerti: bonus eſt expectando, iuſtus puniendos vnde admonet Propheta, Ne tardes conuerti ad Dominum, neque differas de die in diem: ſubito venit ira eius, & in tempore vindictæ diſperdet te. Et iterum, Ne dixeris, peccaui: & quid accidit mihi triſte? eſt enim Altiſſimus patiens redditor. Multi ſe homines per patientiam Dei ſeducunt, quia non vult ſtatim punire peccantes. Putatur enim aut res humanas minime curare, aut culpas indulgere, quia differt. Pleriq; etiā cōtra ſe calūniātur cur in præſenti nō reddit nō intelligētes, quod ſi ita fieret,

Rom. 2.

2. Pet. 3.

Eccleſiaſtici 5.

Ibidem.

nullus penè hominum remaneret, neque vnquam de in-
iuſtis fierent iuſti. Ideo autem hominibus videtur Deus
diu expectare peccantes, quia nos quum parui tẽporis ſi-
mus, annos centum æternitatem putamus: ille autem a-
pud quem mille anni pro vno ſunt die, centum annos vnius
Pſa. 89. & horæ ſpatio non coæquat. Quapropter hoc paruum eſt
2. Pet. 3. apud Deum, quum etiam homines ſoleant multo tempore
correptionem ſperare peccantium. Stultus igitur eſt qui
tardat conuerti ad extremum vſque ſuſpirium vitæ ſuæ, &
hanc Dei patientiam contemnit: qui nõ ſic ea vtitur ad pœ
nitentiam vt Deus intendit, ſed ad impunitatem vertit.
Quam enim pœnitentiam tunc moribundus agere poteſt
vir totus in peccatis genitus, & enutritus, qui nec eam gu-
ſtauit, nec quid pœnitentia ſit, niſi forte dormiendo, nouit?
totus adhuc ſęcularibus innodatus negotiis, quem angu-
ſtia premit parentum quos deſerit, quem infirmitas conte-
rit, quem dolor diuitiarum & temporalium bonorum con-
cutit, quum eis non poſſe frui amplius ſe cernit? Quæ ſane
poteſt eſſe pœnitentia, quam ſolum quis accipit quia ſe vi-
uere non poſſe amplius cernit? Quapropter ne tardet Chri
ſtianus conuerti ad Dominum, filius ad patrem cito confu-
giat, neque miſericordia Dei abutamur. Nam tanto gra-
uiora inueniuntur delicta, quanto diutius pia longanimi-
tate ad pœnitẽtiam tolerata ſunt. Vnde hîc Pſalmographus
ne audita hac tanta patientia Dei ſecuri fierent pigri pec-
catores, addit: Niſi conuerſi fueritis, & cæte.

Niſi conuerſi fueritis, gladium ſuum uibrabit, arcum ſuum tetendit, & parauit illum.

Imprimis ſubiungitur futura punitio Saulis & prædici-
tur modus mortis quo occiſus fuit: tum quantum ad gladiũ:
Saul enim occidit ſeipſum irruens ſuper proprium gladiũ,
qui dicitur hîc gladius Domini quia id fuit factum per iu-
1. Re. vlti. ſtitiam Dei vindicantem: tum quantũ ad ſagittas: nam Saul
à ſagittariis Philiſtinorum, antequã irrueret ſuper propriũ
gladiũ, percuſſus fuit, vt patet 1. Paralipo. cap. 10. & 1. Re-
gum cap. vltimo, quorũ arcus (ratione qua ſuprà) hîc dici-
tur arcus Domini. Aut (ſi mauis) nũc Propheta contumaces
terret

terret Iudæos, qui Domini lege cōtempta, idolorū culturis nefandiſſimis ſeruiebant. Gladius ſiquidem fuit Chriſtus, qui primo aduentu vagina humilitatis tectus, in ſecūdo coruſcabit ſuis lucens, & impios terrens. Vibrare autem illud dicimus, quod modo lumē, modo vmbras tremulas probatur oſtendere: hoc conſtat Domini incarnatione eueniſſe, quando perfidis tenebras, fidelibus autem lumen ſuæ deitatis oſtendit. Et ne dicant homines id ſibi non fuiſſe prędictum, arcum id eſt Scripturam comminantem tetendit, minando malis, ne eius patientia remiſſa putaretur: & in qua fortitudine noui Teſtamenti, quaſi neruo quodam puritia veteris flexa & edomita eſt. Ad extremum poſuit, Parauit illum, vt mos ipſe ſagittantiū pleniſſime videretur expreſſus: qui poſtquam tetenderint arcum, contra ſignum manū collocant, in ſagittandi opere brachia præparantes. Hunc igitur arcū Dominus parauit, & per Apoſtolos & per legiſlatores, & per doctores Scripturā promulgādo, & intelligibilem faciēdo. Arcus etiam iſte, iuſtitia Dei vindicatiua accipi poteſt. Sepiuſculè enim contra Eccleſiam tendit Dominus arcum ſuum, quaſi inimicus, quia ipſa inimica eſt, nec vult audire clamantem, vt pœniteat & redeat. Per arcum enim ſic iudicium intelligitur quo quiſque fidelis nūc percutitur, vt corrigatur, vel mitius puniatur, aut diu tenditur vt quum peccata conſummata fuerint, ad puniendum grauius relaxetur. Nam quum Deo peccauerimus, & diutius per patientiam eius expectati, ad eum per pœnitentiam reuerti noluerimus, tendit arcū iudicij ſui contra nos, & dextera potentiæ ſuæ quicquid ornatus ſcientiæ vel virtutum viſi ſumus habere, totum diſſipat, & exercet in nobis vindictam indignationis ſuæ, eo quòd noluerimus intelligere miſericordiam & beneficentiā immēſæ clementiæ ſuæ. Sed videamus vterq; arcus præparatus quas ſagittas emiſerit.

Et in eo parauit uaſa mortis, ſagittas ſuas ardentibus effecit.

De Saule intelligēdo, ſagittæ Philiſtinorum quibus cōfeſſus, recte & ardentes, id eſt valde graues ſuis complicibus, & vaſa mortis fuerunt. Cæterum ad alios ſenſus recur- 1.Re.vlti.

rendo, mirum quòd Dominus in arcu ſuo vaſa mortis & ſagittas ardentes habeat: niſi per vaſa mortis, hæreticos intelligamus, qui ex eodem arcu, id eſt ex eiſdem Scripturis, in animas non charitate inflammandas, ſed venenis perimẽdas inſiliũt: adducto ſupercilio de Sacris inter viduas philoſophantur: luſtrant magnatum domos, hærent ſalutationibus matronarum: religionem noſtram Paganam faciunt: & fidem Chriſti contentione torquent verborum: dicunt mortalibus, comedant, bibãt, balneas adeant, mũditias appetant, vnguenta non ſpernant, & hoc modo illa dogmati-

Apoca. 2. ſant quæ plena virtutis eſſe aſſerunt: Nicolaitarum ſimiæ, docentes edere & mœchari, ſæpéque maiori procacitate defendunt libidinem, quàm exerceant. Interim ſtulti panẽ manducant doloris, iſtorum hæreticorum ſacramenta ſequendo, quæ ab Eccleſia (extra quam non eſt ſalus) præciſa, duntaxat incommodant. Id tamen perfidis non contingit niſi pro demeritis: malo enim voto per peccatum legentes, male coguntur intelligere, vt eis ſuum peccatum pœna ſit. Quorum tamẽ morte, filij catholicæ Eccleſiæ tãquam quibuſdam ſpinis à ſomno excitantur, & inde magis atque magis ad intelligentiã diuinarum proficiunt Scripturarũ. Sed hæc vaſa mortis & hæ ſagittæ ardentes, prædicatores ſunt, qui inobedientibus propinant de Scripturis ſanctis mortem: bonus vero ex his vitam recipit: vti loquitur Paulus 2.

2. Cor. 2. ad Corinth. Chriſti bonus odor ſumus Deo in his qui ſalui fiunt, & in his qui pereunt. aliis quidẽ odor mortis in mortem, aliis odor vitæ in vitam. Ita deprauata eſt natura, vt amara ſit veritas, blanda vitia exiſtimentur. Sed nec chirurgus crudelis eſt, ſi carnes mortuas ferro reſecat, neque durus medicus dicitur, quando freneticum ligat. Dũ vero prędicator dicit quoſdam ſcelere, periurio, falſitate, ad dignitatẽ neſcio quã proueniſſe, quid ad te qui te intelligis innocentem? ridet aduocatum qui patrono egeat, quadrante dignam eloquentiam nare ſubſannat, quid ad te qui diſertus es? vult in nummarios inuehi ſacerdotes, tu qui diues es, quid iraſceris? quicquid dictum fuerit, in te dictum putas: in quodcunque vitium ſtyli concionantis mucro contorquetur, te clamitas deſignari: conſerta manu in ius vo-

cas,

eas. Quòd ſi in deſcriptione fœdorum ſemper quis iraſcitur, iam ei cum Perſio cantandum,

Optent te generum Rex & Regina, puellę
Te rapiant, quicquid calcaueris hoc roſa fiat.

Iſtud etiam dat conſilium ridens Hieronymus, quibus abſconditis poſſit pulchior apparere: naſus non videatur in facie, ſermo non ſonet ad loquendum, atque ita & formoſus & diſertus videri poterit. Per arcum inſuper iudiciū Dei intelligendo, in eo diuerſæ ſunt ſagittæ: aliæ mittuntur ad perimendum veterem hominem cum actibus ſuis: aliæ ad flagellandū, aut ad coronam, aut ad correctionem, aut ad pœnā. Quoſdam autē non percutit Dominus vt corrigātur, quia arcus in furore tenditur, vt corde indurati durius feriātur. vnde Pſal. 59, Dediſti metuētibus te ſignificationē, vt fugiāt à facie arcus, &c. Et pulchrè dixit Ardētib⁹, nō arſuris, hoc eſt qui arſuri ſūt ſagittis ipſi⁹: ſed quorūcūq; corda ardere viderit, illos pcutit. Nūc ſequitur malorū culpa. Coloſſ. 3.

Ecce parturit iniuſtitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.

Deſcripta morte Saulis, deſcribitur perſeuerans malitia ipſius contra Dauid, ob quam meruit puniri. Deſcribitur autem ex ſimilitudine progreſſus naturalis in generatione humana, in qua primo mulier concipit, deinde parturit, & tandē parit: vt per hoc intelligas perfectionem malitiæ habentis omnia requiſita. Saul enim primo concepit dolorē ex inuidia contra Dauid, dicens: Mihi mille & filio Iſai decem millia dederunt. Parturiit autem iniuſtitiā, quādo dolore inuidiæ inualeſcente (qui ſimilis eſt dolori mulieris parturientis) filiam ſuam Michol dedit ipſi Dauid, vt eum cadere faceret gladio Philiſtinorum, 1. Regū cap. 18. Peperit etiam iniquitatem, quando apertè & manifeſtè voluit interficere eū, 1. Reg. 19, Cuius ſimile facimus quoties nequitia in animo cōcepta, opere cōſummatur. De Chriſto inſuper præſentia intelligendo, Populus Iudæorum parturiuit iniuſtitiā, quando videns Dominum pro ſalute humana miracula facientem, & pro virtute ſignorum à multitudine adorari, de eius exitio potius cogitauit, quàm 1. Reg. 18 Ioan. 11.

ei vllatenus adhæreret. Concepit dolorem dum parabolis & doctrina CHRISTI à via ſua mala reuerti noluit: peperit iniquitatem, quando ſua in malitia perſeuerando, dixit, Tolle, crucifige eum, &c. Sed quum prius ſit
Ioan. 19. concipere & poſtea parturire, meritò anteriori loco parturire poſuit, vt iſta nequitia non ex alieno malo concepta, ſed fuiſſe propria mõſtraretur. Ecce igitur quo ordine iniquus currit ad mortem: concipit ex ſuggeſtione diaboli per conſenſum in peccato, cui debetur dolor, qui meritò dolor dici poteſt, quia mala volũtas ipſa ſe torquet, ipſa ſui ſupplicium eſt. Deinde fit, peperit iniquitatem, dum opere conſummat quod antè peruerſè cogitauit. Atque quũ nunc hîc ſit aliquo modo ordo præpoſterus, præſens deordinatio literæ, deordinationem peccati ſignat. Malus ſiquidem primo concipit voluntatem peccandi, ſecũdo parturit per conatum adimplendi: tertio parit in actu peccandi: Et ſic lacum aperuit, &c.

Lacum aperuit & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit.

Altera hîc vtitur metaphora Propheta, circa culpam & pœnam ſimul Saulis, ad ſimilitudinem fodientis foueam ad caſum alterius, & tamen ipſe ruit in illam. Nam Saul quęſi-
1. Reg. 18 & vlt. nit occiſionem Dauid per Philiſtæos, & ipſe ab eis occiſus eſt. Sic fraudem pariendo prius læditur fraudator, damno innocentiæ, quàm alius damno pecuniæ, quia qui peccat, prius in ſe quàm in alium peccauit. Tantundem de populo Hebræo, Vaſpaſiano & Tito repugnanti, Hieroſolyma capta & deſtructa, dici poteſt, qui fruſtra ſe muro cinxerat, vno die & expugnatus & trucidatus. Sic lacus iniquitatis ipſum perdidit, & qui parauerat foueam alteri, in eam incidit. Vnde ſequitur, Conuertetur dolor eius, &c.

Conuertetur dolor eius in caput eius, & in uerticem ipſius iniquitas eius deſcendet.

Ad literam, verum fuit quòd ſuper caput Saulis deſcẽdit & reuerſa eſt iniquitas eius, eò quòd etiam hanc pœnã incurrit, quòd abſciſſum caput eius fuit per circuitum portatum

tum à Philiſtæis, vt patet 1. Paralip. cap. 10. De Hieruſalē præterea intelligendo, conuerſus eſt dolor & deſtructio in eam quæ erat caput & metropolis totius Iſrael. Hîc ſimiliter CAPVT, noſtram animā debemus accipere, qua parte ſumus ſine dubio celſiores. Quòd ſi delictis contingat animā vinci, ſupra eam neceſſe eſt emineant peccata, quæ multitudine prauitatis exundant: & recte tunc erit iniquitas eius ſuperior, & ipſa inferior, quum ipſa iniquitati ſuæ ſponte ſe ſubdiderit: & ita ſuo vulnere vulneratur: quomodo ſi aliquis mittat in altum lapidem, & non ſit cautus, & lapis venerit in caput eius. Vertex vero dictus eſt, quòd dextra læuáque vertat capillos, qui ſignificat capitis ſummitatem: quam rationem eſſe non immerito diximus, quia contemplatiuæ animæ culmen excelſum eſt: vnde etiam Creatoris portat imaginem. Hæc ſi peccatis obruentibus inclinetur, peccata grauant & onerant nē ſurſum volet. Hoc fit quum in homine peruerſo ſeruit ratio, & libido dominatur. Sed quia talia Perfectus iſte iam euaſerat, laudat Deum, & dicit, Confitebor, &c. Eccle. 26.

Confitebor Domino, ſecundum iuſtitiam eius, & pſallam nomini Domini altiſſimi.

Concludit Dauid gratiarū actiones, præuidens ſe exauditum: & promittit, Confitebor Domino confeſſione laudis ſecundum iuſtitiam, non meam, ſed eius qui exercuit iudicium inter Saulem & me: qui non permiſit timētes ſe diſperdi. Et pſallā &c. qui me à lamētis triſtitiæ in gaudia ſempiterna perduxit. Sic & quilibet fidelis poteſt Deo confiteri, verè iuſtus es, Domine, quando & iuſtos vſqueadeo protegis, vt per teipſum eos illumines, & peccatores ſic ordinas, vt non tua, ſed ſua malitia puniantur. Itaque poſtquā dixit, Confitebor Domino &c. ne peccatorum confeſſionem intelligeremus, adiecit vltimū, Et pſallam, &c. Pſallere autem iuſtorum ad gaudium pertinet, ſicut pœnitentia peccatorum, ad triſtitiam. vnde hîc Pſallere accipi poteſt, vt ſit, operibus Domini mandata peragere, & hymnos voce ac corde cantare.

IN PSALMVM OCTAVVM.

Domine, Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in uniuerſa terra.

In Hebræo huic Pſalmo talis præponitur titulus, ad victoriam ſuper ha ghithith Pſalmus Dauid. Quòd autem additur ſuper ha ghithith, alij inſtrumentum muſicum intellexerunt ab vrbe Gath, quam nuncupamus Geth, denominatum: vel ſecundum alios, iſtud inſtrumentũ fuit agnominatum à Getheo, quòd Dauid adinuenit ipſum, dum habuit victoriam de Goliath qui cognominabatur de Geth. 1. Regũ cap. 17. & in memoriam illius tantæ victoriæ diuino auxilio partæ, impoſuit hoc nomen alicui mirifico muſico inſtrumento, cum quo laudes Deo decantarentur, in recognitionem iſtiuſmodi beneficij. Alij vero Hebræi interpretationem nominis ghithith ſequuti, torcular Latinè dixerunt: vnde pro titulo, Septuaginta & Hieronymus legunt In finem pro torcularibus Pſalmus Dauid. Memineríſque propterea totum tempus gratiæ & ſeptimæ ætatis in qua ſumus, fuiſſe figuratum per ſeptimum menſem qui apud Hebræos dicebatur mẽſis & tempus torcularium, quia tunc colligebantur & torquebantur vindemiæ in torcularibus. In quo ſeptimo menſe præcepit Deus celebrare tria feſta, ſcilicet feſtum tubarum, in memoriam ſacrificij ipſius Abrahæ: feſtum propitiationis, decima die, & feſtum tabernaculorum, decimaquinta, ob memoriam peregrinationis per deſertũ, quando filij Iſrael habitabant ſub tentoriis. Et voluit Deus illa tria feſta celebrari vnoquoque ſeptimo mẽſe, maximè quòd myſteria illorum trium feſtorũ erant complenda in hac noſtra ſeptima ætate. Nam in iſta ſeptima ætate fuit immolatus Chriſtus, figuratus per ſacrificium Abrahæ: quo in tempore fuit congregatum ouile Dominicum ad vnum paſtorem, & contuſa atque diffuſa tota vindemia ſacræ Scripturæ, necnon & ſparſum vinum Euangelicum, repoſitúmque in promptuario Eccleſiæ. Qua de re totum tempus gratiæ, & tota iſta ſeptima ætas dicuntur ſeptimus mẽſis mundi, & tempus torcularium ſpiritualium: quæ

Leuit. 23. Gen. 22.

Gen. 22.

quæ torcularia, voces ſunt omnium Prophetarum, quæ tũc impletæ ſunt, quando vitis vera clauorum ferramentis plantata eſt, & in ligno crucis poſita, lancea percuſſo eius latere tantum vini in his torcularibus fudit, vt non in Iudæa ſolum, ſed in vniuerſa terra nomen Domini mirabile clamaretur. Quare hic Pſalmus Propheticus eſt de regno Chriſti, vti Apoſtolus abunde ſatis declarat in Epiſtola ad Heb. cap. 2. Et hac de cauſa nunc à nomine incipit demirationem ſuam Propheta, dicens, Domine omnium, per potentiam ac gubernationem, Dominus noſter, ſecundum receptionem & cultum, valde admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra, hoc eſt in creaturis quæ infinitæ ſunt. Nullus enim ſufficit omnes creaturas agnoſcere, in quibus es admirabilis. Quis enim aut naturas rerum terrenarum, aut maris ambitum, aut immanis huius aeris diffuſionem, aut ornatum rerum cæleſtium ſufficienter poſſit dignoſcere, quæ Dominus incomprehenſibili ſapientiæ ſuæ virtute diſpoſuit? Eſt inſuper terra viuorum, ſcilicet cælum: terra mortuorum, videlicet infernus: & terra viuentium & morientium, vtpote hic mundus: & in his omnibus eſt nomen Domini admirabile & glorioſum. Nam quòd pro nobis homo factus eſt, quòd mortuus & quòd reſurrexit, ac in cælum aſcendit, vbique eſt diuulgatum ac mirandum. Porro ipſum Dei nomen & admirabile & ineffabile eſſe arbitrati ſunt Iudæi: iuxta illud Exodi cap. 6, Nomen meum Adonai non iudicaui eis. Vnde deſiderabant antiqui patres aduentum Meſſiæ, quatenus Deus reuelaret mundo hoc nomen ſuum. Eſaiæ 64, Vtinam diſrumperes cælos, & deſcenderes vt notum fieret nomen tuum, &c. Sic Filius factus homo, dictus eſt Verbum Patris, quòd Patrem mundo notum fecerit, quemadmodum vox ſeu loquela ſolet aperire quod animo mentéque clauſum geſtamus. Et dum ipſe Filius habitu inuentus eſt vt homo, tunc notum fuit nomen Patris hominibus. Filius ſiquidem, Patrem refert, & relatiua ſunt ſimul natura. Idipſum vero nomen Dei apud Hebræos non eſt niſi trium literarũ, quia tamen vna earũ geminatur, ideo quatuor literarum, ſeu tetragrammaton dicitur, vt idem nomẽ vnum

Ioan. 19.
Pſal. 26.
Philip. 2.
Ioan. 17.

ſit & tria, ſed quòd vnum eſt, ad eſſentiæ vnitatem, quòd vero tria, ad trinitatem reſpicit perſonarum. Tres igitur huius nominis literæ, tres diuinas deſignant hypoſtaſes: nam prima quidem, ſcilicet ׳ Iod, quæ principium interpretatur, rectiſſime Patrem in diuinis inſinuat: qui quum à nullo ſit, aliæque perſonæ ab eo emanent, principium ſine principio dicitur. Secunda vero, ſcilicet ה He, quæ Eſſe vel Viuere ſignificat, Filium in diuinis apertiſſime innuit,

Ioan. 1. per quem omnia quæ facta ſunt, eſſe cœperunt: & quicquid factum eſt in ipſo vita erat. Tertia autem, ſcilicet ו Vau, quæ copulatiuam dictionem, E T, denotat, Spiritũ Sanctum optime exprimit: qui quum ſit amor Patris & Filij quo ſe viciſſim amant, recte copula, id eſt nexus vtriuſque nuncupatur. Et harum literarum ſola ſecunda geminatur, ad inſinuandum ſolum Filium, qui ſecunda eſt in Trinitate perſona, duas habens naturas in vna perſona. Hæc quoque geminata litera ה He, vltimo loco ponitur, ad ſignificandũ ꝙ quãuis tres perſonæ diuinæ ſint ab æterno, tamẽ incarnatio facta eſt nouiſſime in tempore. Verum enimuèro quoniam Meſſias & perfectus Deus & perfectus homo futurus erat, idcirco Prophetæ ad inſinuandã vtriuſque naturæ ipſius veritatẽ, eũ quãdoq; Deũ, nomine tetragrãmaton, ſiue alio diuino nomine, quãdoq; hominem, ſeu aliis nominibus humanã naturã deſignãtibus, appellãt. Sed quia ſalus humani generis nõ niſi per Deũ humanitati hypoſtaticæ vnitũ fieri debebat, ideo nomẽ I E S V S, quod

Matth. 1. Saluator interpretatur, inter cætera nomina ipſi Meſſiæ attributa, eſt illi magis proprium magiſq; cõueniens: quũ non ſolũ vtrãq; naturã, diuinã ſcilicet & humanã, quæ in Meſſia ipſo hypoſtaticè vniendæ erant, cõplectatur: verum ipſam quoque humani generis ſalutẽ, quam ipſe operaturus erat, apertiſſime inſinuet, explicat quoq; creationẽ, redemptionẽ, & glorificationẽ. Quodquidẽ nomen vocatũ eſt ab angelo, Matthæi ca. 1, Vocabis nomẽ eius I E S V M: ipſe enim ſaluũ faciet populũ ſuũ à peccatis eorũ. Hoc idẽ prædixerat

Abacuc 1. Abacuc, Ego autẽ in Deo gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo: Rabbinus etiam Haccados, qui tempore Cõſulum Romanorũ fuit, (refert Galatinus) Antoniũ Conſulẽ alloquens,

quens,

quens, hæc de ipſo nomine inter cætera ſcripſit, Quia Meſſias homines ſaluabit, vocabitur Ieſuah: Gentes autẽ alterius nationis, quæ fidẽ eius ſectabuntur, vocabũt eum IESVM. Nec eſt ꝙ quis dicat in ſacra Scriptura tres alios hoc nomine IESV appellatos fuiſſe: Ieſum ſcilicet Naue, qui fuit fortiſſimus, & filios Iſrael ad terrã promiſſionis introduxit: Ieſum Sirach, qui fuit doctor ſapiẽtiſſimus, ſuis (vt legitur in Eccleſiaſtico) tẽporibus ſapiẽtiã renouãs: & Ieſum Ioſedec, qui fuit ſacerdos ſanctiſſimus, templũ Domino ædificãs. In quibus pleniſſime ipſe Meſſias anteſignatus eſt. Nã arbitror nõ improbabile eſſe hos tres nũquã fuiſſe nomine Ieſu vocatos. Siquidẽ (vt peritis linguæ Hebraicæ cõſtat) vnuſquiſq; eorũ nõ Ieſuà, id eſt, IESVS, ſed Iehoſua, (quod lõgè aliud ſignificat), appellatus eſt: nã Ieſua ſiue Ieſùs, idẽ eſt quod Saluator: Iehoſua vero, Deus ſaluabit, interpretatur: vt inde palã innueretur vnũ tantũ venturũ fuiſſe Saluatorẽ, qui Deus & homo futurus eſſet: & Deus quidẽ, vt ſaluare poſſet: homo vero, vt pro humani generis ſalute mortẽ obeũdo, diuinæ iuſtitiæ ſatisfaceret, quæ ipſum ſatisfactorẽ eiuſdẽ generis cũ præuaricatore eſſe requirebat. Cæterũ efficacia iſtius nominis patet etiam Marci cap. 16, his verbis, In nomine meo dæmonia eiiciẽt, linguis loquẽtur nouis, ſerpẽtes tollẽt, & ſi mortiferũ quid biberint, nõ eis nocebit: ſuper ægros manus imponẽt, & bene habebunt. Quæ quidẽ ſigna naſcẽte Eccleſia neceſſaria fuerunt, vt fides miraculis nutriretur. Fide autẽ nũc firmata, iam amplius iſta neceſſaria nõ ſunt. Quẽadmodũ colonus radicata ſua arbore ei vltra nõ timet, cui tenellæ adhuc, ſepẽ circũdat, & quam nouellã pluries irrigat. Porro de iſto nomine ita loquitur Petrus, Actorũ cap. 4, Non eſt in alio aliquo ſalus, nec nomẽ aliud eſt ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Quare diſpẽſatione Spiritus Sancti in primitiua Eccleſia baptiſabant Apoſtoli in nomine IESV, Actorum cap. 2: cum vt ipſum nomẽ amabile & cũctis venerandũ redderetur, in quo etiã ſigno ſenſibili Spiritus Sanctus ſuper baptiſatos deſcẽdebat: tum ꝙ implicite in eo tota Trinitas deſignabatur & inuocabatur: quia ſicut tota Trinitas creauit nos, ita & ſaluauit. Vnde & Saluator

Deut. 1. & Eccle. 46 &. 49. & Agg. 1. & 2.

Acto. 19.

Pater, & Saluator Fili⁹, & Saluator Spirit⁹ Sanctus, nõ tres Saluatores ſed vnus Saluator, vna ſal⁹, vna vita æterna. Nã (vt inquit Auguſtinus) tametſi in Diuinis, liberis verbis loquantur philoſophi, nec in rebus ad intelligendũ difficillimis offenſioné religioſarũ auriũ pertimeſcant; nobis tamẽ qui fideles ſumus ad certam regulã loqui fas eſt, ne verborum licentia etiã de rebus quæ his ſignificãtur, impiam gignat opinionem. Nõ enim dicimus duo vel tria principia, quum de Deo loquimur, nec duos vel tres deos, quum de Patre & Filio & Spiritu Sancto loquimur, licet ſingulum quemque Deum eſſe fateamur. Verũtamen potiſſimũ Filio idipſum nomen Saluatoris & IESVS tribuimus, quia per ipſum humanitate aſſumptã, facta eſt noſtra redemptio & ſalus. Sicque ſeruauit ſibi hoc nomen, in cuius prolatione ipſum adoremus, ſicut voluit eligere crucem, vt in illo ſigno eum percolamus. At ſi magis quæras vnde ſit admirabile iſtud nomen in vniuerſa terra, reſpondetur, Quoniam eleuata eſt, &c.

Quoniam eleuata eſt magnificentia tua ſuper cælos.

De magnificentia Meſſiæ diſſerendo, imprimis illa ex
1. Cor. 1. his verbis Pauli 1. ad Corinth. patet, quum ait, Nos prædicamus Chriſtum, Dei virtutem & Dei ſapientiam, quippe qui mortuus mortem vicit, quiſque callide diabolum decepit: & vere in eius morte fuit Dei virtus & ſapientia, vt ſcilicet ſalus ſit ex Deo, nõ ex arbitrio cuiuſquam. Et per iſtorum perfectam fidem peccata remittuntur, dæmones pelluntur, & quum res exigit, miracula fiũt: quæ omnia quum magna ſint, vere & magnificentiam quandam complectũtur. Tum demum ipſam Chriſti magnificentiam nunc in his quatuor ſtare dicemus, vtpote in omnipotentia quæ in
Ioã. 11. & miraculorũ opere patuit, vt dum ſuſcitauit Lazarum & cæ-
Matt. 9. & teros de morte ad vitã, cæcũ natũ illuminauit, imperauit vẽ-
Luc. 7. tis & mari ſuper ipſum ambulãdo, & Diſcipulos, quãdo na-
Ioan. 9. uicula fluctibus operiebatur, liberando, ac demũ ſepultus,
Matt. 14. portas Limbi confregit, ipſum ſpoliauit, Sathanã alligauit,
Matth. 27 & moriẽs & reſurgens terram trementẽ habuit, ſolẽ & lunã
& 28. obſcurari

obſcurari vidit: quemadmodum in eius natiuitate non ſolũ omnia terreſtria, ſed etiam cæleſtia dederunt ſignum ipſius magnificentiæ. Nam illico facta eſt multitudo cæleſtis exercitus, clamantium & dicentium, Gloria in excelſis Deo, &c. & Angelus annuntiauit gaudium magnum paſtoribus. Lucæ cap. 2. ac noua ſtella apparuit in cælo, quæ Magos ad IESVM adorandum, perduxit. Deinde hæc magnificentia etiam ſapientiam complectitur, quæ profectò patuit & in legis nouæ editione, & in Eccleſiæ conſtructione. Prædixerat ſiquidem Eſaias, quia de Sion exibit lex, & verbum Dei de Hieruſalem. Hoc autem de lege Moyſi non poteſt intelligi, quum lex ipſa Moyſi non exiuerit de Sion ſiue de Hieruſalem, ſed de monte Sina in Hieruſalem. Quare reſtat de lege Meſſiæ intelligendum, & ipſe eſt Patris ſapientia, qui legem nouam condidit Hieroſolymis, qui & hominum conditor eſt, quibus leges traditæ ſunt, & omnium quæ in cælis & ſub cælis ſunt, ſupremus opifex. Eamobrem & decens & dignum fuit vt in deſcenſu ſuo maiora & meliora ad dandum ſibi ſeruaret, quàm fuerant ea quæ per Moyſen in monte Sinai tradiderat. Vti & in hominum principatibus ita fieri videmus, quòd Reges & Principes in ſuo aduentu optima quæque ciuitatibus largienda ſibi reſeruant, tum vt honorabilioribus largitionibus honorabiliorem ſuum reddant aduentum, tum vt ſe gratiores ac iucundiores ciuitatibus & regno faciant. Quapropter mirum non eſt ſi ad ſuum aduentum Dominus ipſe perfectiorem legem dandam ſeruare voluerit, ſicuti & cunctis iuſtis atque electis cæli apertionem. Ad hæc iſtam magnificentiam adornat miſericordia quæ in eius incarnatione, morte, ac paſſione luce clarius patuit, dum Deus dignatus eſt homo fieri, & crucem pro omnium ſalute ſuſtinuit. Ipſa enim ſaluatio fuit æterna & non tantum temporalis, ſeu certis temporibus duratura: vti fuit illa Iſrael de AEgypto, & de captiuitate Babylonica: ſed iſta magnificentia ſuper cælos omnéſque creaturas eleuata eſt, quando CHRISTVS reſurgens à mortuis ſedet ad dexteram Dei Patris. Poſtremo magnificus factus eſt Saluator iuſtitia & iuriſdictione, quam reſurgens ha-

Luc. 23. Matth. 2. Eſa. 2. Exod. 19. & 20. Exod. 12. 1. Eſd. 1.

Matth.vlt-timo. buit, cui data eſt omnis poteſtas in cælo & in terra, vt in nomine IESV omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtriū
Philip.2. & infernorum. Quare hinc ſatis apparuit quis deſcenderit, quū & à quibuſdam viſum eſt, & à cæteris creditum quo aſcenderit. Inſuper Meſſias valde eſt mirabilis propter opera ſua mirabilia & magna. Nam ex ore infantium, &c.

Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem, propter inimicos tuos, ut deſtruas inimicum & ultorem.

Licet per ſeniorum Prophetarum doctrinam multa ſint quæ Domini contineant laudem, tamē hunc verſiculum in Euangeliō completum, ipſe Dominus eſſe declarat, clamātibus pueris, Matth. cap. 21, Hoſiāna (ſiue vt nos loquimur, Oſanna, media vocali litera eliſa) filio Dauid. Nec alienum à vero aut hyperbolen putes etiam lactētes proprio ore interfuiſſe tunc diuinæ laudi (tametſi plerique propterea arbitrentur in his pueris diuina ope vſum rationis & loquelę acceleratum) quum lac vſq; ad trienniū apud Iudæos ſugeretur, vt mater Machabæorum teſtatur 2. Machab. cap. 7. qua ætate infantes ambulāt, & quum aliis maioribus infantibus ad Chriſti laudem, Deo faciēte, concurrerunt, dicētes, Oſanna, id eſt, obſecro ſalua in excelſis: quaſi non ſolum à perfectis, ſed ab incipiētibus prædicetur Chriſtus Deus atque laudetur. Et ex his perfecit laudem, quia ſi ſoli perfecti eſſent in Eccleſia, non conſuleretur humano generi, ſicut nunc, quum & minimi nondum capaces cognitionis rerum ſpiritualium nutriuntur fide temporalis hiſtoriæ, quæ pro ſalute noſtra poſt Patriarchas & Prophetas ab excellentiſſima Dei virtute atque ſapientia etiam ſuſcepti hominis ſacramento adminiſtrata eſt: in qua ſalus eſt omni credenti, vt authoritate commonitus præceptis inſeruiat, quibus purgatus vnuſquiſque, & in charitate radicat⁹ atque fundatus, poſſit cum ſanctis non iam paruulus in lacte, ſed iuuenis in cibo comprehendere latitudinem, longitudinem, altitudinem
Epheſ.3. & profundum cæli, ſcire etiam ſupereminentem ſcientiam charitatis Chriſti. Inſuper Chriſtus hic non ſolum pueros Hebræorum vocat infantes & lactentes, ſed etiam

etiam Apoſtolos & cæteros Diſcipulos. Nam ſicut infãs & lactẽs neſcit loqui, niſi prout mater docet, & quod facit loqui: ita ipſi Apoſtoli ac Diſcipuli non à ſe loquuti, ſed per Spiritum Sanctum, qui in eis loquebatur. Vnde ipſe modus quo mundus credidit ſi conſideretur, incredibilior inuenitur, ineruditos liberalibus diſciplinis, & omnino quãtum ad iſtorum doctrinas attinet, impolitos, non peritos grammatica, non armatos dialectica, non rhetorica inflatos piſcatores Chriſtus cum retibus fidei ad mare huius ſeculi pauciſſimos miſit, atque ita ex omni genere tam multos piſces & tanto mirabiliores quanto rariores etiam ipſos Philoſophos cepit: vt patuit in Dionyſio Ariopagita. Hos itaque Apoſtolos nunc Propheta infantes appellat, quòd fuerunt primitiæ, infantia, & exordium Eccleſiæ: nominat etiam lactentes, quia Chriſtus (vt nunc dictum eſt) lactauit eos lacte ſuæ ſapientiæ & prædicationis, quum antè eſſent idiotæ ac ignari: ita vt ipſe non per Philoſophum piſcatorem, ſed per piſcatorem lucratus ſit & Philoſophum & Imperatorem. Sed quia talia facta ſunt ad condemnationem filiorum Iſrael, ideo ſequitur, VT deſtruas inimicum: & hîc Iudæum nominat inimicum, quia ſolum Deum Patrem honorificat, & non credit CHRISTVM Dei filium: qua in re condemnatur Ioannis cap. 5, Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem qui miſit illum. Si enim minor crederetur Filius, Pater inhonoraretur, vel quòd inuidus nollet eum genuiſſe æqualem, vel infirmus non poſſet: & ſic non eſſe Deus conuinceretur, quia impotens. Protinus addit Propheta vltorem etiam deſtruendum. Vltor dicitur Diabolus, quia diuinę iuſtitię executor. Hunc CHRISTVS primo ſuo aduentu deſtruxit, idololatriam peſſundando, qui licet nunc adhuc foris tentet, tamen CHRISTO IESV adiuuante, non lædit intus. Cuius rei ſignum forte fuit quod dicunt Hebræi, in nocte qua egreſſus eſt populus Iſrael de AEgypto, omnia idola & templa AEgypti deſtructa fuiſſe, ſiue motu terræ, ſiue ictu fulminum. Iſtud præcantatum Ioan. cap. 12, his verbis, Nunc iudicium eſt mundi, nunc Princeps huius mundi eiicietur foras. Nonnulli etiam hîc legunt pro hoc voca-

Matth. 10
Act. 17.

bulo(vltorem) defenſorem: quod ad omnes hæreticos decenter aptatur: qui dum ſe putant Scripturas mala interpretatione defendere, inimico animo ſanctis probantur dogmatibus obuiare, & veritatem calcant, cuius ſe defenſores falſò aſſerunt. Quos tu Domine IESV CHRISTE confudiſti & deſtruxiſti, quum te aſpirante, ad fidem tuam venerunt paruuli, & idiotæ cælos rapuerunt: Philoſophi autem, Legiſperiti, ac Hæretici cum ſuis literis ad inferna demerſi. Quare ſequitur, Quoniam videbo, &c.

Quoniam uidebo cælos tuos, opera digitorũ tuorum: lunam & ſtellas quæ tu fundaſti.

Meritò iſtud de militante glorificanda intelligitur Eccleſia. Hæc domus Dei maioris eſt gloriæ, quàm fuerat illa prima lignis & lapidibus cæteriſque pretioſis rebus, me-
Agg.2. tallíſque conſtructa, vt vera ſit Aggæi prophetia, Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ plus quàm primæ: & hoc quia CHRISTVM præſentem habet. Hæc igitur domus ad nouum pertinens Teſtamentum, tanto vtique maioris eſt gloriæ, quanto meliores ſunt lapides viui, quibus credentibus, renouatíſque conſtruitur: & tunc maxima eius
Epheſ.1. apparebit gloria, quum dedicabitur. Tunc enim verè non venient niſi electi, de quibus dicit Apoſtolus, Sicut elegit
Matth.20 & 22. nos in ipſo ante mundi conſtitutionem. Ipſe quippe architectus qui dixit, Multi ſunt vocati, pauci verò electi: non de his dixit qui vocati ſic venerunt, vt de conuiuio proiicerentur, ſed de electis demonſtraturus eſt ædificandam domum hanc, quæ nullam deinceps formidabit ruinam. Nũc
Matth.3. autem & hi quando replent Eccleſias, quos tanquã in area, ventilatio ſeparabit, non apparet tanta gloria domus huius quãta tunc apparebit quando quiſquis ibi erit, ſemper erit. Itaque hîc præuidens Propheta CHRISTI ſapientiam & in nouæ legis editione, & in huius Eccleſiæ decore, nũc cælos appellat libros Euangelicos, qui non immeritò cæli dicuntur, quoniam eum continent qui dixit, Cælum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. Eſaiæ cap.66. Apoſtoli verò opera digitorum Dei nominan-
Luc.11. tur, quandoquidem opere Spiritus Sancti (qui digitus Dei dicitur)

dicitur)inſtructi ac illuminati, & per eos nobis diuina tradita ſunt. Nunc verò pluraliter ſcriptum eſt (digitorum) propter plura dona eiuſdem Spiritus Sancti: quamuis ſit vnus Spiritus, ſicut in vna manu plures digitos habemus: ſimul vt intelligamus legem nouam ac libros diuinos cooperatione ſanctæ Trinitatis perfectos. Vnde humanitas vnita verbo fuit ſemper immediatum & coniunctum inſtrumentum diuinitati talia agendi, quemadmodum in miraculorum opere patuit. Nam in legis poſitiuæ editione, Deus Pater, immo tota Trinitas loquebatur per humanitaté Filij, quare & ad vocem Filij ſuſcitabantur mortui, miteſcebat mare, obediebant venti, inſtruebantur Apoſtoli, & ad flatum eius receperunt poteſtatem dimittendi peccata. Matth. 9. Luc 7. & Ioan. 11.

Cæterum nunc per regium Pſaltem augmenta & imminutiones ſuas quas patitur Luna ſe viſuram hîc dicit Eccleſia, vt modo creſcat fide multorum, modo martyrum morte aliquibus imminuta videatur. In hoc maligno ſeculo, in his diebus malis timorum ſtimulis, dolorum tormentis, laborum moleſtiis, tentationum periculis, eruditur, ſola ſpe gaudens: multi reprobi miſcentur bonis, & vtrique tanquã in ſagenam Euangelicam colliguntur: & in hoc mundo tanquam in mari vtrique incluſi retibus indiſcrete natant, donec perueniatur ad littus, vbi mali ſegregentur à bonis: & in bonis, tanquam in templo ſuo ſit Deus omnia in omnibus. Subnectit deinde Dauid ſtellas, iuſtos & probos deſignans: de quibus 1. ad Corinth. cap. 15. Stella à ſtella in claritate differt. De Sole autem nunc non meminit: nam quum hîc dicat Lunam & ſtellas quæ tu fundaſti, ſic Eccleſiam paſſione Chriſti fundatam explicans, & Chriſtus iſtius ſuę Eccleſię ſit ſol, quam totam illuminat, neque propterea ſeipſũ fũdaſſe dicẽdus eſt. Sed quoniã (inquit Propheta) iſta omnia videbo, ideo Admirando dico, Quid eſt homo, &c. Matth. 14 Ioan. 20. Matth. 13.

Quid eſt homo, quòd memor es eius, aut filius hominis, quoniam uiſitas eum?

Ne putares ꝙ de dignitate primi hominis Propheta loquatur, & hominẽ & filiũ hominis appoſuit, vt intelligeres ꝙ primũ de vtilitate, & deinde pro exaltatione humani gene-

ris ſermo fit. Incipit ergo à miſera conditione mortalis, cuius cauſa videtur cuncta alia genuiſſe natura, magna & ſęua mercede contra ſua tanta munera, vt non ſit ſatis æſtimare parens melior homini, an triſtior nouerca fuerit. Ante omnia (vt inquit Plinius) vnum animantium cunctorum aliena alienis velat opibus, cæteris variè tegumenta tribuit, teſtas, cortices, coria, ſpinas, villos, ſetas, pilos, plumam, pennas, ſquammas, vellera. Truncos etiam arboréſque cortice interdum gemino à frigoribus & calore tutata eſt: hominem tantum nudum, & in nuda humo natali die abiicit ad vagitus ſtatim & ploratum, nullúmque tot animalium aliud pronius ad lachrymas. Ab hoc lucis rudiméto (quòd ne feras quidem inter nos genitas) vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus: atqui infeliciter iacet manibus pedibúſque deuinctis flens animal, cæteris imperaturum, & à ſupplicijs vitam auſpicatur, vnius tantum ob culpam. Cætera ſentiunt naturam ſuam: alia pernicitatem vſurpant, alia præpetes volatus, alia vires, alia natare: homo nihil ſcit ſine doctrina, non fari, non ingredi, non veſci, breuitérque non aliud naturæ ſponte habet quàm flere, nulli vita fragilior, nulli rerum omnium libido maior, nulli pauor confuſior, nulli rabies acrior. Denique cætera animantia in ſuo genere probè degunt. Congregari videmus & ſtare diſſimilia, leonum feritas inter ſe non dimicat, ſerpentum morſus non petit ſerpētes: nec maris quidem belluæ ac piſces niſi in diuerſa genera ſæuiunt: at homini plurima ex homine ſunt mala. Hæc igitur quum ita ſeſe habeant, Domine Deus, quid eſt homo quod memor es eius? Iſtud ad literam ſignificat incarnationis myſterium, quo Deus recordatus eſt humani generis, ad exaltandum

Ioan.3. ipſum: & viſitauit filium hominis, dum verbum caro factū eſt filius Adæ, id eſt hominis. Nam Adā apud Hebręos nomen eſt naturæ humanæ, ſicut apud nos Homo, & caret numero plurali. Memor eſt ergo hominis Deus per multiplicationem miſericordiæ, quia multiplicata miſericórdia etiam ad longe poſitos peruenit: & in hòc Deus pater oſtēdit maximam ſuam charitatem & miſericordiā circa homi-

Ioan.3. nem: quia vt ipſum redimeret, Filium ſuū tradidit. In hoc

patuit

patuit ſimul miſericordia & obedientia Filij, quia vt Patri obediret, & homini miſereretur, ac miſeriã eius ſubleuaret, ſeipſum ſponte obtulit morti & paſſioni: atque quod maximum eſt, quum eſſet Deus, factus eſt homo, vt hominem redimeret. Itaque Chriſtus quũ eſſet Deus, oblitus videtur ſuæ dignitatis & deitatis, vt eſſet memor noſtræ fragilis & miſeræ humanitatis. Diſiũctio quæ ſequitur, AVT filius hominis, &c. innuit diſtare inter Hominẽ & Filiũ hominis. Omnis filius hominis, homo, ſed non econuerſo: vt Adam homo, ergo omnis qui portat imaginem terreni, filius hominis, qui cæleſtis & merito nouus filius hominis, quia nouus ex veteri quadam mutatione fit. Nunc vero filius hominis eſt Chriſtus, qui nõ vt cæteri mortales ex duobus hominibus natus eſt, & propterea filij hominum in Sacris appellãtur, ſed ex Spiritu Sancto & beatæ ſemper Virginis vtero, tanquã ſponſus de triumphanti thalamo proceſſit. Viſitatus eſt is Filius, caro factus ſua in paſſione, oſtẽdens quid ſuſtinere pro veritate, & ſua in reſurrectione declarans quid ſperare in æternitate debeamus: excepta altitudine ſacramenti, qua ſanguis eius in remiſſionem peccatorum fuſus eſt. De quo propter infirmitatem carnis quam hæc ſapientia Dei geſtare dignata eſt, & paſſionis humilitatem, recte ſequitur, Minuiſti eum, &c.

Philip. 2.

Luc. 1.

Pſal. 18.

Minuiſti eum paulominus ab angelis, gloria & honore coronaſti, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

In Hebræo pro eo quod eſt AB angelis (quos illi appellant Malachim) ſcribitur Eloim. Dictio verò hęc Hebraica Eloim, quæ & ponitur in exordio Geneſis, (In principio creauit Deus cælum & terram) vtrouis numero ſingulari aut plurali Deum, aut deos declarat: nonnunquam angelos aut homines etiam admiratione dignos. Quare is locus peperit varias & diuerſas interpretationes. Nos tamen nũc in hac particula intelligemus ſignificari modum quo Meſſias vicit ad glorificandum diuinum nomẽ, & exaltari meruit, & ſic legemus AB angelis, quoniã ſignificatur per il-

Gene. 1.

lud parum, totus ſtatus viæ. In hoc enim modico, quòd futurus erat Meſſias paſſibilis viator, minor fuit angelis. Atque is ſenſus quadrat literæ Epiſtolæ ad Hebræos, cap. 2. dum dicitur, Eum qui modico quàm ab angelis minoratus eſt, videmus IESVM propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum, &c. Et verus inuenitur is ſenſus, quia

Hebr. 2. & Pſal. 96. Meſſias exceptis his quę ad paſſibilem eius vitam ſpectant, maior futurus erat angelis, vt pote adorandus ab eis. Sequitur, Gloria & honore coronaſti eum. Quandoquidē Deus conſtituerat primū parentem Adā ſuper omnia creata, vt dominaretur piſcibus maris & volatilibus cæli, & beſtiis vniuerſæ terræ, omníque reptili quod mouetur in terra. Geneſis cap. 1. & hoc certe dominio originali per quod exactius & melius quàm nunc, immo ad votum ei hæc omnia parebant, pro vſu obſequij non laborioſi ſed delicioſi, ſicut & ipſe tunc operatus fuiſſet non laborioſe ſed delicioſe, ſecundum Auguſtinum. Et in teſtimonium huiuſce primæ creationis legimus aues viris ſanctis ſeruiiſſe, & ritus beſtiarum immutatos, ac ſerpentum venenum ceſſiſſe, ſicut (teſte Beda) experimento videtur de S. Ruperto, in cuius inſulam aues intrantes manſueſcunt, exeuntes rurſus ſylueſtres fiunt. Vnde Adam quando impoſiturus erat cun-

Gene. 2. ctis animalibus vocabula, potuiſſet ea omnia congregaſſe, ratione huiuſmodi originalis dominij ſibi dati. Attamen illa congregatio fuit à Deo facta, miniſterio angelorū, quia citius potuit fieri illo modo quàm per conuocationē Adæ. Sic ante peccatum hominis, terra nihil noxiū protulit, non herbam venenatam, non arborem ſterilem. Tunc animalia animalium eſu non viuebant, immo concorditer herbis & fructibus veſcebantur. Sed poſteaquam ipſe Adam fuit Deo inobediens, & per ſuam inobedientiam donum iuſtitiæ originalis perdidit, ſtatim ea amiſſa, etiam & animalia ac cætera ſibi inobedientia habuit, denudatus hoc origina-

1. Cor. 15. li dominio. Quapropter Deus pater conſtituit ſecundum Adam, ſcilicet CHRISTVM filiū ſuum, qui inquantum homo, Patri obediendo abſterſit maculā primi Adæ, & quæ is perdiderat recuperauit. Quaobrē Pater ſubiecit CHRISTO omnia ſub pedibus eius, & gloria ab eo coronatus, quum

quũ eius deſcenſu inferi claruerunt, ſimul honore exaltatus, dum morte vicit morté, atque tum demũ corona circũdatus, quando ſanctorum choro vallatus, triumphans rediit ex inferno, ac ad eius fidem circulus mundi peruenit. Sequitur, Conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum: Sic CHRISTVS inquantum Deus, habuit dominium & regnum ſpirituale vniuerſorum: ſic regnauit in domo Iacob in Sion, Iſrael, & Hieruſalem, ſumendo hæc vocabula myſtice ac ſpiritualiter & nõ ad literã. Nam poſtea in Prophetis additur Vſque in ſempiternum: præterea ita loquuti Prophetæ, quia debuit imprimis præeſſe in regimine ſpirituali populo Iſrael, vti ipſe dixit, Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael. Veruntamen fatemur ꝙ poteſtaté excellentiæ exercendi huiuſmodi officium Regis ſpiritualis accepit ipſe Meſſias per humanitatem aſſumptã, atque hoc modo per Prophetas annuntiatur regnaturus in Iſrael & domo Iacob, &c. ſimul etiã ex priuilegio habuit ſupremã poteſtaté iuriſdictionis in ſingulis rebus temporalibus, & hoc ab eius conceptione, quem Deus conſtituit hæredem omnium, ad Hebr. cap. 1. & in cuius veſtimento & femore ſcriptum legitur Apoca. cap. 19, Rex Regum & Dominus dominantiũ. Vnde tenebãtur omnes eius dicto obedire. In cuius rei ſignũ Reges eũ adorauerũt. Iſta tamen poteſtate non eſt vſus, vti nec Paulus voluit ſumere tẽporalia ab his quibus ſeminabat ſpiritualia, tametſi iſtud ei liceret. Et per hoc intellige authoritates quę oppoſitum ſonare videntur: Lucæ cap. 12, Quis me conſtituit iudicem aut diuiſorem inter vos? & cæt. Sed poteſtatem iuriſdictionis coerciuam ſpiritualem ipſemet exercuit, dum fecit funiculum de flagellis, & eiecit vendentes & ementes in templo. Matth. cap. 21. qua in re maxime oſtenditur authoritas excõmunicandi data Eccleſię. Et quãuis pleriq; arbitrẽtur maximũ fuiſſe ſignorum CHRISTI, ꝙ Lazarus ſuſcitatus eſt, quòd cæcus ex vtero lumen acceperit, quòd ad Iordanem vox audita ſit Patris, quòd trãsfiguratus in monte gloriam oſtenderit triumphantis. Mihi (inquit Hieronymus) inter omnia ſigna quę fecit, hoc videtur mirabilius eſſe, ꝙ vnus homo, & illo tempore contemptibilis, & intãtum vi-

Matth. 15.
Matth. 2.
1. Cor. 9.
Ioan. 2.
Ioan. 11. & 9.
Matth. 3. & 17.

lis, vt poſtea crucifigeretur, Scribis & Phariſæis contra ſe ſæuientibus, & videntibus lucra deſtrui, potuerit ad vnius flagelli verbera tantam eiicere multitudinem, menſáſque ſubuertere, & cathedras confringere, & alia facere quæ infinitus non feciſſet exercitus. Igneum igitur quiddam atque ſydereum radiabat ex oculis eius, & diuinitatis maieſtas lucebat in facie, quæ omnia terrorem incuſſerunt. Deinde in argumentum præcedentium, Propheta ſubnectit, Omnia ſubieciſti, & cæt.

Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues inſuper & pecora campi.

Reſpice omnia ſuis locis fuiſſe ſeruata. Quę prius propter humilitatem carnis paulominus ab angelis dixerat eſſe minoratum, poſt aſcenſionem dicit pedibus eius omnia fuiſſe ſubiecta: vt iſta diſtinctio & dubium titubantibus auferat, & gloriam ſanctæ incarnationis oſtendat. Nunc igitur ponitur poteſtas CHRISTI, neque aliquid excipit quum dicit OMNIA. Nam quemadmodum à Domini opere nihil eſt exceptum, ita nec à poteſtate Chriſti aliquid probatur eſſe diuiſum. Dicendo enim OMNIA, nec terrena videtur excepiſſe, nec ſupera: ſicut de hoc loco teſtatur Paulus ad Hebræos, In eo ꝙ ei omnia ſubiecit, nihil dimiſit non ſubiectum ei, atque ita & vegetabilia & ſenſibilia, & rationalia, & animata queq; nomini CHRISTI parēt. Additur autē SVB pedibus eius, vt omnis creatura iure ipſum & colere & adorare videatur. Oues vero electum populum ſignificant Chriſtianum, ac ſanctas animas fructum innocentiæ operantes, quæ ideo ouibus comparantur, quòd ſeſe præſtante Domino innoxia conuerſatione moderantur: deinde quia mundi exuuias ſine aliquo dolore amittunt. Nam quemadmodum ouis tondentem ſe nō increpat, ita nec iuſtus cupiditatem ſui deprædatoris accuſat. De duobus facilis eſt interpretatio præſentis ſententiæ, pro prædicatoribus eam recipiendo, qui humana pectora mandatis cæleſtibus exarantes, virtutum meſſem germinare faciūt. Nec vacat ꝙ dicit INSVPER, quia cogit omnino ad neſcio quam differētiam cognoſcendā inter oues,

Hebr. 2.

boues

boues & pecora. Quare pecora, nunc carnales homines intelligemus, more pecorum in amplitudine campi voluptatum & latitudine viæ quæ ducit ad mortem vagãtes, nõ in montibus virtutũ habitantes: qui nihil arduũ, nihil laborioſum (quãuis virtus & ars ſint circa difficile) quærunt. Ipſis autem etiam dominatur Chriſtus: nam & ſæpe de conuerſis talibus maiore gloria triũphat, & oues fiunt, quũ iam intra ſepta Domini clauduntur. Poſtea ſequitur, Matth. 7.

Volucres cæli & piſces maris qui perambulant ſemitas maris.

Meminit Propheta ſpecialiter ouium, boum, volucrũ, & piſcium, non quòd hæc exempta eſſent ab omnibus, ſed ad ſignificandũ regnum Chriſti extendi etiã ad minima ſenſibilia per hæc animalia denotata, ne intelligeres regnum Chriſti ita in ſpiritualibus cõſiſtere, ꝙ de ſenſibilibus nõ ſe impediret, vti errauerũt nonnulli, dicentes, Deũ nõ curare iſta hæc inferiora: in quorum perſona ſcribitur in lib. Iob, cap. 22, Circa cardines cæli perambulat, nec noſtra cõſiderat. Inſuper vide nunc volucres cæli, dici elatos homines, qui inflati vento iactãtiæ, quaſi per inane aeris efferũtur, & humilia deſpiciunt, quũ altius extolluntur. Intuere etiã piſces maris, hoc eſt curioſos, qui perambulant ſemitas maris, id eſt inquirunt in profundo huius ſeculi temporalia, quæ tanquam ſemitæ in mari cito euaneſcunt & intereũt. In his tribus quæ nunc deſcribuntur, ſcilicet voluptate, curioſitate, & ſuperbia, omnia vitia puta, cõcupiſcentia carnis, cõcupiſcentia oculorũ & ſuperbia vitæ pinguntur. Ab his fuit primus homo ſuperatus, ſed Chriſtus duntaxat ten- 1. Ioan. 2.
tatus: qui quũ tam mirabilis & tãtus ſit, ipſum qui eſt princi- Gen. 3.
piũ & finis laudemus in principio & in fine, & nũquã à lau- Matth. 3.
de eius ceſſemus, dicẽtes, O Domine, Dominus noſter, &c. Apoca. 1. & 22.

Domine, Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in uniuerſa terra.

Repetitur hîc de verbo ad verbum primus verſiculus, & circuli inſtar ibi finem accipit vnde initium ſumpſit. Vt hinc intelligas materiam Pſalmi conſiſtere in hoc verſicu-

lo, fructúmque Meſſiæ eſſe magnificationem diuini nomi-
Ioan.1. nis in omni terra. Et verè ad hoc, Verbum caro factum eſt, vt glorificetur nomen Dei in toto vniuerſo. Decenter igitur principium repetit, & ad caput redit, oſtendens initiũ & finem boni ad Deum referendum.

IN PSALMVM NONVM.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.

Huic Pſalmo prępónitur talis titulus in Hebræo, Ad victoriã Almut Laben Pſalmus Dauid: pro quo Hieronymus legendũ putat, Pro morte filij, tametſi cõplures ita vertãt, In finẽ pro occultis filij Pſalm⁹ Dauid, vt hęc dictio Almut nuſquã in duas partes diuidatur. Vnde præſentẽ Pſalmũ de vnigenito Dei patris intelligemus. Nã ipſe Dominus quũ ſine additamento ponit Filiũ (quem hæc dictio Laben deſignat) ſeipſum vnigenitũ vult intelligi, vt Ioã. cap. 8, Si vos Filius liberauerit, tũc vere liberi eritis. Suprà vero Dauid
Titulo Pſalmi 3. quãdo de Abſalone loquutus eſt, addidit (filij ſui) De Chriſto autẽ ſcimus duos eius aduẽtus: primũ & ſecundũ. In primo aduẽtu & manifeſtus & occultus venit: manifeſtus carne, occultus diuinitate: & in ſecundo aduentu & occultus
Matth. 25. Apoca. 1. & manifeſtus veniet: occultus, quia neſcimus diẽ neq; horam: manifeſtus, quia videbit eum omnis oculus: occultus inſuper (ſi de particulari iudicio vniuſcuiuſq; differẽdũ eſt) quia neſcimus occultũ iudiciũ Dei, hoc eſt, quare repudiati ſunt Iudæi, electæ Gẽtes. Super quo Paul⁹ ad Rom. cap. 11, admirans intonat, O altitudo diuitiarũ ſapiẽtiæ & ſcientiæ Dei, quàm incõprehenſibilia ſunt iudicia eius! Occultum itaq; iudiciũ, eſt etiã pœna qua nũc vnuſquiſq; hominũ aut exercetur ad purgationẽ, aut admonetur ad conuerſionem, aut ſi contempſerit vocationẽ & diſciplinã Dei, excæcatur ad damnationẽ: cuius pœna hîc incipit, & in futuro cũ ipſo permanet. Quẽadmodũ de Pharaone indurato legimus, ꝙ temporale ſuppliciũ fuit ei æternæ pœnæ initium. Videmus alios nec tribulari, nec iniuriam pati, quin ſanos cor-

pore

pore lætitia temporali omnibus modis abundare: ſed tales nec bene habent, quia credimus quòd ipſos Deus non viſitat, quia non ſunt digni viſitari, vt poſtmodum ſine fine puniantur. Ecce occultum Filij iudicium, quod nonnulli iudicium diſcretionis appellant. Porro manifeſtum Chriſti iudicium (quod diſcuſſionis à plurimis nominatur) erit quo venturus eſt iudicare viuos & mortuos, omnibus fatentibus eum eſſe à quo & bonis præmia, & malis ſupplicia tribuentur. In quo quidem etiam occulta cordium manifeſta erunt. Quocirca in hoc Pſalmo obſeruanda ſunt occulta Filij, id eſt & humilis eius aduentus, qui profuit Gentibus cum cæcitate Iudæorum, & pœna quæ nunc occulte agitur nondũ damnatione peccantiũ, ſed aut exercitatione cõuerſorũ, aut admonitione vt cõuertantur: aut cæcitate, vt damnationi præparentur qui conuerti noluerint. Cæterum hîc etiã poteſt intelligi prophetia perſequutionũ Eccleſiæ. Prima fuit Iudæorum in Apoſtolis: ſecũda Tyrannorũ in martyribus: ertia hæreticorũ (ſicut vulpeculæ) Chriſti vineam exterminare cupientiũ: vt inter lacus contritos, qui aquam non habẽt, difficile vbi fons ſignatus & hortus ille cõcluſus ſit, poſſit intelligi: quarta erit Antichriſti. Quibus tamẽ omnibus erudiũtur ſtudioſi patientiã habeãt in aduerſis, & ne deſperent in perſequutione, ſed expectẽt mercedem ex patientia ſua, atq; credant futurã malorũ punitionẽ. Proinde nunc ait Propheta, Confitebor tibi, Domine, cõfeſſione laudis, in toto corde meo, affectu ſcilicet & intellectu, omnia ad tuæ diuinæ prouidẽtiæ regimẽ referẽdo: quæ ſtulti quaſi caſu & temerè ac nulla diuina adminiſtratione fieri putãt. Narrabo omnia mirabilia tua. Narrat omnia mirabilia Dei, qui ea nõ ſolũ in corporibus palam, ſed in animis quidẽ inuiſibiliter & lõge ſublimius & excellẽtius fieri videt, & ita ſæpe de viſibilibus ad inuiſibilia trãſit: vt qui Lazarũ in corpore, Paulum ſuſcitauit in mẽte, quod maius eſt. Itaque nonus hic Pſalmus docet occulta Filij etiã in ſancti ſymboli ſacramento. Qui enim ſuſceperit fidẽ in hoc myſterio abſconditã, primo cõfitetur nõ ſummis labiis, ſed in toto corde ſuo narrat mirabilia Dei. Iã non lætatur in rebus labẽtib⁹ & caducis, ſed dicit Dño, Lætabor & exultabo, &c.

Marginal notes: 1. Cor. 4. — Cãtic. 2. — Cãtic. 4. — Ioan. 11. — Acto. 9.

lz. ij.

Lætabor & exultabo in te, pſallam nomini tuo Altiſsime.

Non hoc ſeculo ducitur, in quo mortifera lætitia eſt, qui aliquando mirabilia Dei perpenderit: nō in ambitionibus mundi, vbi peccata amara, ſuauia ſunt, exultat: ſed in Deo, vbi ſecurum gaudium ſemper ſumit augmentum: atque mirabilibus illius oblectatur, qui eſt veritas, non tumultibus mundi, qui eſt vanitas, non in voluptate contrectationis corporum, nec in palati & linguæ ſaporibus, nec in ſuauitate odorum, nec in iocunditate ſonorum tranſeuntium, nec in formis corporum varie coloratis, nec in lucis laudis humanæ immoratur, ſed in occultis Filij lætabitur. Sic fit ſpiritalis lætitia in mente, ſancta hilaritas in corpore, & concordat diuina laus cum recta operatione. Vnde nunc regius Vates agnoſcens in futuro iudicio vindictam malorum, & laudem bonorum: ſuper hoc ait, Lætabor in ſpe, &
Philip. 4. exultabo in te, quaſi qui gaudet in Domino, gaudeat ſemper. Nam quanuis futurum iudicium terribile ſit iniuſtis, tamen iuſtis erit iucundum, cauſam adferens exultationis: quippe ſicut ex fructu arborum vicina æſtas agnoſcitur, & inde exultamus, ita & ex ruina mundi prope eſſe cognoſcitur regnum Dei: dicente Domino Lucæ cap. 21, His fieri incipientibus, reſpicite & leuate capita veſtra, quoniam appropinquat redemptio veſtra, & ſcitote quoniam prope eſt regnũ Dei. Quibus ipſis iuſtis ſua corona annuntiatur. Proinde nunc pollicetur Propheta ſe gratias habiturum ſuper ſua ſalute, ab inimicis ſiue ſpiritualibus ſiue carnalibus liber factus. Pſallam (inquit) nomini tuo Altiſſime. hic laus cum opere. Mos autem fuit iis qui amatorie in aliquem affecti eſſent, carmina & cantus in eum componere, atque hoc pacto animi deſiderium lenire. Huiuſmodi metaphora Propheta vſus, nunc intentionem amoris ſui in Deum declarat. Altiſſimus vero ipſe eſt Deus: ſed nomen Patris, Filius eſt. Cauſam autem pſallendi ſubnectit, Quia in conuertendo, &c.

In con-

In conuertendo inimicum meum retrorſum, infirmabuntur & peribunt à facie tua.

Conuerſus eſt inimicus retro poſtquam non valuit hominem cæleſtem decipere tentatum. Marci cap. 8, Vade retro Sathana: ſed ſe ad terrenos conuertit, vbi dominari poteſt. Quapropter quiſque hominum ſedulò faciat ipſum inimicum ſuum ſemper præcedat, depoſita imagine terreni hominis, & cęleſtis imaginem portet. Ante aduentum Chriſti, diabolus dux itineris mortis fuit, ſed poſtea retro Eccleſiã ſequẽs eſt, quaſi canis: vti prædixit Spiritus Geñ. cap. 3, Inimicitias ponã inter te & mulierẽ (videlicet Eccleſiam) ipſa cõteret caput tuũ, & tu inſidiaberis calcaneo ei⁹. Quia & noſtri greſſus prępediũtur à colubro, & Domin⁹ cõteret Sathanã ſub pedibus eius. Vnde ſequitur, Infirmabũtur. Nã aduentu Chriſti poteſtas dæmonũ fuit ligata, ne poſſent tantũ hominibus nocere quantũ antè. Quare Apoca. cap. 20, meminit Ioãnes ipſum Sathanã aliquãdo ſoluendũ, puta tẽpore Antichriſti, ad ſeducẽdum Gẽtes quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, ſicut Chriſti Euãgeliũ vbiq; publicatum fuit per Apoſtolos, Domino cooperãte, & ſermonẽ confirmãte ſequẽtibus ſignis. Diabolus tamẽ in hac perſequutione iuſtorũ cõuertitur retrorſum, & qui prius fortis erat propter peccata hominũ, fit debilis Chriſti paſſione, morte, ac reſurrectione, quatenus ſic quod infirmũ eſt Dei, fortius ſit hominibus: quippe hæc infirmitas Saluatoris, Chriſtiano magna eſt fortitudo, qui victus vicit mortem, quam nemo Gigas euaſit. Et dum eum ducem habemus, nos authorẽ mortis retro ſequi compellimus. Quamobrem etiam primo Meſſiæ aduentu fracti dæmones, ſtatim clamabant quod ſcribitur Marci cap. 1, Quid nobis & tibi IESV Nazaræne? veniſti perdere nos? Scio quia ſis Sanctus Dei. Quæ confeſſio non fuit voluntatis, ſed neceſſitatis extorſio, ſicut ſeruus fugitiuus viſum dominum timet, & ne vapulet, ſibi miſereri poſtulat. Dæmones enim in terris Dominũ cernentes, ſe continuo iudicandos credebant eſſe. Sequitur, Peribunt à facie tua: quod tantundem ſonat ſicut, A timore tuo. Strenuorum enim ac potentium virorum facies horribilis inimi-

1. Cor. 15.

Rom. 16.

Mar. vlt.

1. Cor. 1.

cis videri ſolet ac timenda. Et præſens litera verè de deſtructione idololatriæ in aduentu Meſſiæ intelligi poteſt. Nam ante Diſcipulorũ Ieſu Nazaræni prædicationem, ferè vniuerſus orbis idola colebat, exceptis Iudæis qui Deũ verum cæli & terræ creatorem venerabantur. Sed poſteaquam Apoſtoli, cæteríque ipſius Ieſu Nazaræni Diſcipuli, in vniuerſum mundum ab eo miſſi fuerunt, idololatria vndique exploſa, omnes Gentes ad cognitionem vnius & veri Dei peruenerunt: quemadmodum etiam prædixerat

Eſa.vlt. Eſaias, ita ſcribens, Et ponam in eis ſignum (videlicet Chri-

Ezech. 9. ſtianiſmi) quo ſignati in Ezechiele non interficiuntur:

Exod. 12. quo in AEgypto poſtes ſignantur, & Iſraelitæ ſaluantur: quo nunc hoſtes noſtri fugantur. Et mittam ex eis qui ſal-

Eſa.vlt. uati fuerint ad Gẽtes in mare, in Aphricam & Lydiam tenentem ſagittam, in Italiam & Græciam ad inſulas longe, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. Et annuntiabunt gloriam meam in Gentibus, & adducent omnes fratres veſtros de cunctis Gentibus. Ecce quomodo periit idolorum memoria omnibus, nunc etiam Sarracenis vnũ verum Deum colentibus. Quod iure optimo fit: nec eſt quòd quis felicitatem deam eſſe putet, vti Lucullus, tam ſero poſt tot Romanos principes, huic deæ templum conſtituit. Nam quum conſtet omnium rerum optandarum plenitudinem eſſe felicitatem, quæ non eſt dea, ſed donum Dei: hinc ſatis apparet nullum Deum colendum eſſe ab hominibus, niſi qui poteſt homines facere felices. Ipſe ergo quæratur, ipſe colatur, & ſufficit: repudietur ſtrepitus innumerabilium dæmoniorum: ſeruiat mortalis vni Deo datori felicitatis. Non eſt ipſe quem antiqui nominant Iouem: nam ſi eum datorem felicitatis agnoſcerent, nõ vtique alium vel aliam à quo daretur felicitas, nomine ipſius felicitatis inquirerent, neque ipſum Iouem cum tantis iniuriis colendum putarent, qui alienarum dicitur adulterator vxorum, atque pueri pulchri impudicus amator & raptor. Sed quare tales cacodæmonum turmæ infirmabuntur & peribunt? Quoniam fecisti (inquit) iudicium meum, &c.

Quoniam

Quoniam feciſti iudicium meum & cauſam meã, ſediſti ſuper thronum qui iudicas iuſtitiam.

Nunc Propheta loquitur de futuro per modum pręteriti propter certitudinem Prophetię. Et hîc apparet quòd Eccleſia ex Gentibus venit. Vnde vox eſt Eccleſiæ, ac ſi dicat, Apertè Gentes elegiſti: & Iudæos reprobaſti: patronus mihi adfuiſti contra aduerſarios, & vindicaſti me, & feciſti cauſam meam bonam mecum naſcendo, ac de lapibus Gentilitatis filios Abrahę ſuſcitando. Matth.3. In cuius rei ſignum (quemadmodum ſcribit Galatinus) Geñ.cap. 19, forte dixerunt filię Loth, Vt ſeruare poſſimus ex patre noſtro ſemen. Quia enim dixerunt ſemen, & non filios, videtur reuelatum fuiſſe eis arcanum de aduentu Meſſiæ, & quòd de ſemine Adæ, atque ex eis proditurus eſſet Meſſias: innuentes ſemen illud Meſſiæ (de quo dixit Adam, Poſuit mihi Dominus ſemen aliud pro Abel) ab ipſis fuiſſe proceſſurum. Geñ.4. Ideóque voluerunt cum patre concumbere ad huiuſmodi ſemen conſeruandum, non aliqua malitia, aut inhoneſtate ductæ, ſed quia exiſtimabant alium hominem præter patrem in mundo non exiſtere, propter Sodomę & Gomorrhæ deſtructionem. Ideo ne prætermitteretur Meſſiæ aduentus, quælibet earum vna nocte cum patre iacuit, grauidæque factæ, duos filios pepererunt: vna Ammon, Geñ. 19. altera Moab: à quibus duæ maximæ Gentes emanarunt, quæ Ammon & Moab appellatæ ſunt. Ex Moab autem Ruth.1. proceſſit Ruth Moabitis, quam Booz vxorem duxit: ex & 4. cuius genere prodiit Rex Dauid, vt ex eius genealogia apparet. Matth.1. Rex autem Salomon inter alias vxores habuit Naamã Ammonitidem, & ex ea ortus eſt Roboam Rex Iudæę: 3.Reg.14 Dauid verò inter cæteros filios habuit Salomonem & Nathã: ex Nathan autem proceſſit beatiſſima Virgo, ſecundum Luc.3. Lucæ genealogiam: ex Salomone verò & Roboam eius filio, prodiit Ioſeph eiuſdem Virginis ſponſus, qui à Matthæo dicitur filius Iacob: licet à Luca ſcribatur filius Heli Matth.1. ſiue Ioachim, quia non eſt prohibitum homini vocare generum, filium ſuum, & nurum, filiam ſuam. Eamobrem

Luc.3. non improbabile eſt Ioſeph à Luca dici filium Heli, ſiue Ioachim, qui Pater fuit intactæ coniugis ipſius Ioſeph. Veruntamen quia mos non erat Scripturarum per mulieres genealogias texere, idcirco Lucas in genealogia glorioſæ Virginis, loco ipſius Virginis ipſum Ioſeph poſuit, eúmque filium Heli hoc eſt Ioachim, nuncupauit. Quum igitur filiæ Loth neſcirent ex vtra ipſarum proditurus eſſet Meſſias, & vnaquæque ipſum ex ſe proceſſurum putaret, dixerunt, Vt ſeruare poſſimus ex patre noſtro ſemen. Quod
Gen.19. abſque magno myſterio factum fuiſſe cenſendum non eſt. Quum enim Deus præſciret Iudæos magna ex parte Meſſiam negaturos, eíque non credituros, Gentiles verò eum recepturos, ac proinde populum nouum ipſos ſe facturum, iuxta illud Pſalmi 101, Populus qui creabitur laudabit Dominum: idcirco diuina prouidentia factum eſt, vt Redemptor & verus Meſſias ita ex Gentilibus ſicut ex Iudæis procederet, vt inde cunctis innoteſceret, quòd ad ſaluandos vtroſque venturus eſſet. Quare Dominus ipſe Gentiles quoque oues ſuas vocauit, dicens, Alias oues habeo quę nō ſunt
Ioan.10. ex hoc ouili: illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus paſtor. Et eam ob rem quia Meſſias vtroſq;, ſcilicet Iudæos & Gentiles ſaluare debebat, rectè totius generis hu-
Ioan.4. mani Redemptor dictus eſt, ac mundi vniuerſi Saluator.

Sequitur, Sediſti ſuper thronum, &c. Thronus, Græcum eſt, Latinè Sedes: & hoc accipe, ſiue Filius Patri dicat, (qui
Ioan.19. etiam illud dixit, Non haberes in me poteſtatē, niſi tibi datū fuiſſet deſuper) idipſum ad æquitatē Patris & ad occulta ſua referés, quòd iudex hominū, ad vtilitatē hominū iudicatus eſt: & quòd pater iuſtè iudicauit cauſam ſuam, eum reſuſcitando, qui iniuſtè morti traditus fuerat. Siue Eccleſia iam
Epheſ.5. perfecta & ſine macula & ruga (digna ſcilicet occultis filij, quia introduxit eam Rex in cubiculum ſuum) dicat Sponſo ſuo, Sediſti ſuper thronum qui iudicas iuſtitiam (vel æquitatem, vt alij legunt) quia reſurrexiſti à mortuis, aſcendiſti in cælum, & ſedes ad dexteram Patris, vnde venturus es iudicare viuos & mortuos. Subnectit Dauid,

Increpaſti Gentes, & periyt impius, nomen eo-

rum deleſti in æternum, & in ſeculum ſeculi.

Cóueniẽtius hoc Domino Ieſu Chriſto dici, quàm ipſum dicere accipimus. Quis enim alius increpauit Gẽtes, & periit impius, niſi poſteaquam aſcendit in cælũ, miſit Spiritum Sanctũ, quo repleti Apoſtoli cũ fiducia prædicarũt, Omnes dij gẽtiũ, dęmonia: & falſitatẽ idolorũ liberè arguerũt? Qua increpatione periit impius, id eſt diabolus, qui in lignis vel lapidibus adorabatur, & id certe iure optimo factũ eſt. Nam (vt exẽplis vtar) quæ vanitas maior, aut quod ridiculũ apertius quàm Troianos à ſuo Palladio auxiliũ ſperare? neque enim homines à ſimulachro, ſed ſimulachrũ ab hominibus ſeruabatur. Quomodo ergo colebatur Pallas vt patriã cuſtodiret & ciues, quæ ſuos nõ valuit cuſtodire cuſtodes? Nõne Diomedes & Vlyſſes cęſis cuſtodibus ſũmę arcis, corripuêre ſacrã effigiẽ, manibúſq; cruẽtis virgineas auſi cõtingere vittas? Sic prudẽter poſtea Romani deos penates qui Troiã cuſtodire non potuerunt, ſibi crediderunt profuturos, aut ſe non poſſe vinci ſub defenſoribus victis. Immo verò victos deos tanquam pręſides ac defenſores colere, quid eſt aliud, quàm tenere non numina bona, ſed dæmonia mala? Sic etiã debellari Aſſyrij fruſtra exiſtimarunt deos aut mercede nõ ſibi reddita vel alio promiſſo maiore ad Medos tranſire maluiſſe, atq; inde rurſus ad Perſas, Cyro inuitãte & aliquid commodius pollicente. Hoc ſi ita eſt, aut infideles dij ſunt, qui ſuos deſerunt & ad hoſtes tranſeunt, quod nec homo fecit. Camillus quando victor & expugnator aduerſiſſimæ ciuitatis: Romam, cui vicerat, ſenſit ingratam: quam tamen poſtea oblitus iniuriæ, memor patriæ à Gallis iterum liberauit. Aut non ita fortes ſunt dij, vt deos eſſe fortes decet, qui poſſunt humanis vel conſiliis vel viribus vinci: aut ſi quum inter ſe belligerant, non dij ab hominibus, ſed dij ab alijs diis forte vincuntur, qui ſunt quarumcunque propitij ciuitatum. Habent ergo & ipſi inter ſe inimicitias, quas pro ſua quiſque parte prorſus ſuſcipiunt. Non itaque deos ſuos vlla debuit colere ciuitas magis quàm alios à quibus adiuuãrentur ſui. Quamobrem iſtorum vanitatem & fumum ſatis intelligens Varro, ſcripſit de diis

Act. 2.
Pſal. 95.

multa eſſe, quæ tametſi falſa ſunt, tamen aliter exiſtimare populum expediat: & ideo Græcos teletas ac myſteria taciturnitate parietibúſque clauſiſſe. Sequitur, Nomen eorum deleſti in æternum, &c. Nam non reſonabit in conuerſis idololatris vltra nomen Paganiſmi, quippe credentes in CHRISTVM accipiunt nomen eius nouum: vnde Chriſtiani nominantur. Antea enim homines in deorum ſeruitutem redacti, nomina eis dederant. Quemadmodum Heſiodus in nugaci illo opere de natiuitate deorum tradit. Sed vbi Verbum fidei diſſeminatum eſt, hæc omnia euanuerunt. Seculum verò ab Auguſtino & Caſſiodoro dicitur eſſe hoc præſens quod voluitur, ſed ſeculum ſeculi eſt æternum, cuius illud, imago. Viciſſitudine enim temporum ſibi ſuccedentium dum Luna minuitur, & rurſus impletur, dum Sol omni anno locum ſuum repetit, dum ver vel æſtas vel autumnus vel hyems ſic tranſit vt redeat, æternitatis quædam imitatio eſt. Additur autem ſeculum ſeculi, quia Zachariæ cap. 13, ſcriptum habemus, In die illa, dicit Dominus, perdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltrà, vt nulla ſit alia religio, niſi tantum nominis Chriſtiani. Inſuper Seculum propriè futurum reſpicit, quia iuxta Græcæ dictionis vim, αἰὼν, ſempiternitatem denotat. Eſt autem mos ſacræ Scripturæ per huiuſmodi loquendi modum honoratiora ſemper ſignificare, vt quum ait, Sancta ſanctorum, Cantica canticorum, Sabbatha ſabbathorum, & alia huiuſmodi. Poſtea habet textus,

Eſa. 62.

Exod. 26. & 30.

Inimici defecerunt frameæ, in finem, & ciuitates eorum deſtruxiſti.

Inimici, genitiui caſus eſt: Framea, Hebraicus ſermo, ſignificans gladium quo hoſtis diabolus bacchatur: quaſi dicat, Arma diaboli, quæ erant peccatoribus membra ſua, per quos diabolus alios perſequebatur, defecerũt CHRISTI atque Apoſtolorũ prædicatione. Etenim quàm mirabiliter quámq; magnificè per vniuerſum mũdũ ſermo Chriſti, & pietatis doctrina profecerit, & in quantũ ſublimitatis aſcẽderit, enarrare vires noſtras ſuperat. Noſci tamẽ ex hoc poſſibile

poſſibile eſt, quòd aliquanti ex principibus Romanis, & facultatem regendi prouincias, iuríſque dicendi Chriſtianis olim præbebant, & coniugibus & miniſtris atque vniuerſæ domui ſuæ, nõ ſolum credere in Dominum IESVM CHRISTVM verum, & cum fiducia ac libertate in fide agere ſinebant: ita vt illos ſibi fideles ac familiares ducerent: de quibus certi erant, quòd pro fide CHRISTI nihil perfidum ſaperent. Sicut fuit opinatiſſimus ille Dorotheus in cubiculo Regum, qui propter fidem Domini fideliſſimus habebatur. Vnde cunctis præferri honore meruit & amore. Cum quo & Gorgonius cæterique cum ipſis in Domino fideles, vel qui intra palatium in ſummis honoribus erant, vel qui ad prouincias gubernandas præferri cæteris fidei contemplatione merebantur. Sic per tempus plurimum Eccleſiarum ſtatus incrementis proſperioribus augebatur, & gloria earum terris excedens & cuncta ſupereminens feſtinare videbatur ad cælum. Verum vbi ex multa libertate, multáque indulgentia vitiati ſunt mores, & diſciplina corrupta eſt, dum alter alteri inuidit, & alter alteri derogauit, dúmque inuicem mordent, & incuſant, dum ſimulatio in vultu, dolus in corde, fallacia profertur in verbis, & malorum per ſingula cumulus intumeſcit, diuina prouidentia iacturam diſciplinæ populo ſuo illatam, ex plurima pace & nimia ſui lenitate proſpiciens, aggreditur primo ſenſim refrænare lapſantes. Sed quum nullus ex hoc clementiæ eius intellectus populis redderetur, quin potius velut ignorantes Deum, abſque diuina prouidentia res agi ducerent, & pro hoc eo magis perſiſterent in malis ſuis: atque ipſi qui duces populi videbantur, & principes, diuini mandati immemores effecti, aduerſum ſe inuicẽ magnis contentionibus, zelo, liuore, ſuperbia, inimicitiis atque odiis inflammarentur, ita vt tyrannidem potius quàm ſacerdotium tenere ſe crederent, Chriſtianæ humilitatis & ſynceritatis obliti, ſacra myſteria prophanis mentibus celebrarent, tunc demum ſecundum vocem Hieremiæ Prophetæ obſcurauit Dominus in ira filiam Sion, & deiecit de cælo gloriam Iſrael, nec rememoratus eſt ſcabellum Thre. 2.

pedum ſuorum in die iræ ſuæ. Summa malorum omnium tunc affuit, quũ domus orationis, & Eccleſię Dei viui ad ſolum deductæ ſunt, atque ab ipſis ſubuerſę ſunt fundamẽtis: diuinæ vero Scripturæ in medio platearum igni crematæ: Sacerdotes & paſtores Eccleſiarum crudeliter occiſi, inhoneſte denudati, alij ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres. Quæ portenta temporibus Neronis, Domitiani, Traiani, Hadriani, Seueri, Maximini, Decij, Valeriani, Aureliani, ac Diocletiani Imperatorũ imprimis ſucceſſerunt. Interea tamen perturbari ſtatum Eccleſiaſticum, & crudeli vbiq; animaduerſione vaſtari, æternũ peruigilémque illum non latuit oculum. Et quoniam Dominus quidem tradiderat familiã ſuam caſtigari paucis, cruẽti verò immanitatis miniſtri deſçuierũt in multos, adeſt cõtinuo vltrix Dei dextera, & illos qui primo (dum pacem ſeruarent Eccleſiæ) cum omni proſperitate imperium gubernauerant, in tantam rerum permutationem deducit, vt Nero à Senatu tandem hoſtis iudicatus, quum ad pœnã quęreretur, fugiẽs & inter vepres, belluæ more, latitans, ſeipſum interfecit. Domitianus eo dementiæ venit, vt ſe Dominum ac Deum vocari, ſcribi, colíque iuſſerit, ſuorum tandem cõiuratione interfectus. Traianus profluuio ventris miſerrime finiuit, vti & Hadrianus morbo intercutis. Seuerus vbi quietus à Nerone, perſequutionem in Chriſtianos mouit, continuo variis periculis & bellis diſtractus, apud Eboraçũ Galliæ, moritur. Maximinus tertio anno ſui imperij Aquileiæ à Pupieno trucidatur. Decius adhuc minus regnans, dũ prælium in Barbaros ciet, plauſtri voragine obrutus, periit. Valerianus à Perſis captus, turpi ſeruitute vixit. Aurelianus dum nouam in Chriſtianos perſequutionem fecit, de cælo tactus occubuit. Diocletianus tandem in id vanitatis atque amentiæ peruenit, vt depoſito imperio, priuatus viuens veneno perierit. Collega vero eius Maxianus Herculeus idẽ fecit, qui inſania mentis percitus, ſeipſum tandẽ interemit. Defunctis igitur his qui erga Chriſtianos nunc inaudita crudelitate, nunc ſimulata venia agebant, aperta indulgẽtia legitimorum principum, & abſque vlla iam ſuſpicione, Eccleſiarũ ſtatus multo etiã clarior quàm prius fuerat, reparari

Hebr. 11.

parari cœpit: vtpote tẽpore Cõſtãtini Magni, ſub quo Chriſticolę à tyrãnis antea oppreſſi, nõnihil reſpirare cœperũt: qui à beato Syluestro ſacro fonte lotus, quũ eſſet augendæ Chriſtianæ rei cupidus, multas baſilicas extruxit, quas & liberaliter dotauit. Tunc frameæ inimici defecerunt: tunc ingens in ſacerdotibus & miniſtris, atque in omnibus quæ ad religionis obſeruantiam pertinent, gratia fulſit. Aſtabãt huic pſallentium chori, iuuenes & virgines, ſenes cum iunioribus laudabant nomen Domini: hinc myſtica miniſteria ordinatis atque diſpoſitis vicibus agebantur: Pontificum quoque & ſacerdotum conſeſſus, ipſa canicie venerabilis eminus præfulgebat: nuſquam liuor aderat, nullũ pulſabat inuidia, dona Dei populis miniſtrabantur: vnuſquiſq; ſecundum quod ſcriptum eſt, ad ædificationẽ Eccleſiæ abũdare quærebat: & omnia hæc in charitate gerebantur, ita vt ſe honore inuicem præuenirẽt, & alter alterũ ſeſe duceret meliorem. Nam ſimpliciſſimi quique admirabantur & ſuſpiciebant eos qui per ſapientiam verbi populos inſtruebant. Sapientes vero & eruditi viri præferebant eos quibus pura vita ac ſyncera ſimplicitas offerendi Deo hoſtias maiorem fiduciam dabat, eíſque immolãdi ſacrificij permittebatur officium, quos familiarior vitæ ſimplicitas in cordis puritate ſeruabat. Sic ſummo ſtudio perquirebat alter in altero quod proferret, atque ita prima arma & poteſtas diaboli defecerunt, & ciuitates eius deſtructæ, illo videlicet excluſo, vt ſeruirent homines iuſtitiæ. Quod autem dixit IN finem, cõſummatio ſeculi datur intelligi, quando virtus hæc dæmonis omnipotenti gladio prorſus & penitus corrueret: vt iam (ſicut dicit Apoſtolus) non regnet peccatum in noſtro mortali corpore. Nunc verò primo Meſſię aduentu debilis facta (vt ſupradictum eſt) marceſcit: & ideo ſequitur, Periit & cæt.

1. Cor. 14.

Rom. 12.

Rom. 6.

Periit memoria eorum cum ſonitu, & Dominus in æternum permanet.

Quum impietas euertitur, & memoria idololatrarũ atque idolorum cæterorúmque vitiorũ à prædicatione Euãgelij exploſa eſt, ſtrepitus fit tum apud populum perca-

tholicos principes, ob id & caſtra & vrbes euertentes, cum apud noſmetipſos, qui ſic nos vincimus. Non enim tranſit ad ſummam pacẽ vbi ſummum ſilentium eſt, niſi qui magno furore & tumultu cum vitiis prius pugnauerit. Ciuitates ſiquidem in quibus diabolus regnat, vbi doloſa & fraudulenta conſilia, tanquam curiæ locum obtinent: cui principatui quaſi ſatellites & miniſtri aſſunt officia quorũcunque membrorum, oculi ad curioſitatem, aures ad laſciuiam, vel ſiquid eſt quod in malam partem libenter auditur, manus ad rapinã vel quodlibet aliud facinus aut flagitium, & membra cætera in hunc modum tyrannico principatui ſeruiunt, difficile per ſtudioſa expugnantur. Quarũ ciuitatum quaſi plebs ſunt omnes delicatæ affectiones & turbulenti motus animi, quotidianas ſeditiones in homi-
Epheſ. 6. ne agitantes. Quamobrem non tantum eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, vnde bellum ſemper prope nos eſt: ſed aduerſus principes & poteſtates: vt de ſingulis ordinibus angelorum, aliquos cecidiſſe nobis inimicos credamus, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum: quia qui ſic mammonæ paret, tenebris ignorantiæ ac culpæ inuoluitur, & interim contra ſpiritalia nequitiæ, in cæleſtibus pugna mouetur, puta contra ſpirituales & nequã hoſtes, qui in aëre caliginoſo ad nos vexandos habitant vſque ad iudicium: propter quòd aues cæli appellantur Matthæi cap. 13. vbi dicitur, quòd aues cæli comederunt ſemen quod cecidit ſecus viam, & cæt. Hæc vbi ita ſeſe habent, quis dubitet ciuitates talibus præſidiis munitas difficile vaſtari? Capiuntur tamen hæc regna verbo veritatis, cuius efficacia ſopiuntur maligna conſilia, turpes affectiones edomantur, membrorum & ſenſuum miniſteria captiuantur, & ad iuſtitię & bonorum operum militiam transferuntur. Verum vt ſupra oſtenditur, pugna valde anceps & ardua eſt, in qua dęmon inuitus perdit quod ante poſſidet: & nolens à ſua ditione recedit: quo fit vt & virtus ſit circa difficile. Sequitur, Dominus in æternũ permanet. Decora nimis aptáque diuerſitas: nempe quia dixerat impios perire, dicit nũc in æternum Dominum permanere: quod audire nolunt qui Creatori ſuo prauis auſib*

reſtiterunt.

reſtiterunt. Sed confugiant ad Dominum miſericordem, ne ſentiant diſtrictum iudicem, Etenim parauit, &c.

Parauit in iudicio thronum ſuum, & ipſe iudicabit orbem terræ in æquitate, iudicabit populos in iuſtitia.

Ecce occultum Filij iudicium: parauit quum iudicatus eſt, ſedem ſuam. Per illam enim patientiam, homo cælum acquiſiuit, & qui in humilitate iudicatus, in maieſtate iudicabit. Hæc ſunt quæ titulus dixit Occulta filij. Nã ineffabile donum eſt vt humiliatam hominis naturã atque demerſam dextera ſuæ potentiæ ad cæleſtia regna leuauerit idem Filius. Orbem terræ, ſanctos viros debemus accipere, qui de vniuerſali Eccleſia, quaſi de coronæ circulo congregantur. Iſti in æquitate iudicandi ſunt, quibus, propter fidei & humilitatis ſuæ bonum, miſericordia copioſa præſtabitur: qui audituri ſunt, Venite benedicti Patris mei, eius beneficio promoti, ad obtinendam gloriam in qua ſine corruptione regnetis: poſſidete paratũ vobis regnum à cõſtitutione mundi. Quod iuxta præſcientiam Dei accipiendũ, apud quem futura iam facta ſunt. Vnde ſedebunt ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael, quia ipſis credentibus, illi credere noluerunt. Vbi per duodecim ſedes, vniuerſitas iudicantiũ, ſicut per duodecim trib⁹, vniuerſitas iudicandorũ intelligitur. Populi autem debent accipi peccatores, qui operibus malignis non videntur exuti: iſti cũ iuſtitia iudicandi ſunt, qui pro factorum ſuorũ ſcelere damnabuntur, teſtimonium perhibente conſcientia, & cogitationibus accuſantibus, ſeu defendentibus. Vnde cõſcientia & cogitationes noſtræ erunt in die iudicij ante oculos noſtros tanquam quædam hiſtoriæ cognoſcendæ, aut ipſę nos accuſabunt, aut etiam excuſabunt: ſicut ſcriptum eſt, Arguam te & ſtatuam eam contra faciem tuam. Et ipſe CHRISTVS, ſicut eſt iudex iuſtus, ita nullum bonum relinquet irremuneratum, nec aliquod malum impunitum. Nunc vero animaduerte qualiter Dauid duobus nominibus AEquitatis & Iuſtitiæ qualitatem illam iudicij mirabili breuitate deſcripſit. Sequitur, Et factus eſt Dominus, &c.

Matth. 24. & 25.

Matth. 25.

Matth. 19.

Rom. 2.

Pſal. 49.

Et factus eſt Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus in tribulatione.

Copioſa eſt ſpes pauperum, & magna cogitatio gaudiorum, ipſum refugium habere quem iudicem. Quãtumlibet perſequitur inimicus ille qui conuerſus eſt retro, quid nocebit ei cui⁹ refugiũ factus eſt Dominus? Audiuimus pauperẽ, ſed non omnem putemus inopem. Pauper ille Dei eſt qui terrena cupiditate vacuus, cæleſti deſiderat largitate

Pſal. 110. diteſcere, qui omnia habet, & nihil poſſidet. Vnde ſicut initium ſapiẽtiæ, timor Domini: ſic hæc paupertas ſpiritus, eſt principium beatitudinis, quæ & ſufficientiã habet. De qua Matthæi cap. 5, Beati pauperes ſpiritu, quoniã ipſorum eſt regnum cælorum. Pauper enim ſpiritu eſt humilis corde, pauperem habẽs ſpiritum, nutrix cuius eſt humilitas. Vnde non neceſſitas ſed fides & deuotio paupertatis beatos facit, vt contemptis omnibus Deo viuãt. Itaque iſta paupertas facit ſpernere terrena, non tanquam per ſe mala (quia his poteſt homo bene vti: imo ſunt inſtrumenta ad res præclaras & honeſtas agendas) ſed tanquam minora bona maioris boni impeditiua: quemadmodum ſpernitur matrimonium, tanquam minus bonum propter virginitatem ſeruãdam. Sic in principio naſcẽtis Eccleſiæ quotquot hominũ

Act. 4. credebant ſub Apoſtolis, poſſeſſiones ſuas & prædia vendentes, pretia ponebant ante pedes Apoſtolorum, omnes vitæ ſollicitudines procul abiicientes, ſcientes impedimẽto eſſe hoc arduũ volẽtib⁹ iter virtutis incedere. Quare diuidebatur vnicuique prout opus erat, ita vt non eſſet quiſquam in eis egens. Et ne imbecillitate ſua paueſcerent corda fideliũ, ſequitur magni auxilij firma promiſſio: Adiutor in opportunitatibus: Quia illud eſt adiutoriũ dulciſſimum quod in neceſſitate præſtatur. Ipſámque iterum opportunitatem euidenter expreſſit, dicens, IN tribulatione. Quando animus afflictorum ad compunctionis ſtudiũ auidius incitatur, nec opportunius anima à ſeculo auertitur, niſi quum voluptatibus eius & labores & dolores miſcentur. Sed vt iuſti non deſperent in perſequutione, Sequitur, Et ſperent in te, & cæt.

Et ſperent

Et ſperent in te qui nouerunt nomen tuum, quoniam non dereliquiſti quærentes te, Domine.

Quaſi dicat, Expectent à te boni, non ſeculi blandimenta reſpiciant, ſed in tua promiſſione confidant, quum deſtiterint ſperare in diuitiis, & in aliis huius mundi oblectamentis. Nomen Dei bene nouit, qui lubenter ei vt Domino ſeruit, & contempto amore terrenorum, ſolis illius mādatis ſuppliciter obſequitur, fluxa pro nihilo ducit. Quæ cum labore acquiruntur, cum cupiditate poſſidentur, & cū dolore deperduntur. Cauſa vero cur iuſti ſperent non in ſe, ſed in te, Domine, nunc redditur: Quoniam non dereliquiſti quærentes te, licet quandoque eos ad tempus tentari permittas. Sed iſta temporalia bona & mala iuſtis atque impiis voluit Altiſſimus eſſe communia, vt nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur: nec mala turpiter euitentur, quibus & boni plerunque afficiūtur. Intereſt autem plurimum qualis ſit vſus vel earum rerū quæ proſperæ, vel earum quæ dicuntur aduerſæ. Nam bonus temporalibus nec bonis extollitur, nec malis frangitur: malus autem ideo huiuſcemodi infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur. Oſtendit tamē Deus ſæpe etiā in his diſtribuendis operationem ſuam: nam ſi nunc omnē peccatum manifeſta plecteret pœna, nihil vltimo iudicio reſeruari putaretur. Rurſus, ſi nullum peccatum nunc puniret aperte diuinitas, nulla eſſe prouidentia diuina crederetur. Similiter in rebus ſecundis, ſi non eas Deus quibuſdam petentibus euidentiſſima liberalitate concederet, non ad eum iſta pertinere diceremus: itémque ſi omnibus eas petentibus daret, non niſi propter talia præmia ſeruiendū illi eſſe arbitraremur, nec pios nos faceret talis ſeruitus: ſed potius cupidos & auaros. Hæc quum ita ſint, quicunque boni malíque pariter afflicti ſunt, non ideo iſti diſtincti non ſunt, quia diſtinctum non eſt quod vtrique perpeſſi ſunt: manet enim diſſimilitudo paſſorum etiam in ſimilitudine paſſionum: & licet ſub eodem tormento, non eſt tamen idē virtus & vitium. Nam ſicut ſub vno igne aurum rutilat & palea fumat, & ſub eadem tribula ſtipulæ comminuuntur,

frumenta purgantur: nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodē preli pondere exprimitur: ita vna eadémq; vis irruens bonos probat, purificat, eliquat, malos damnat, vaſtat, & exterminat. Vnde in eadē afflictione, mali Deum deteſtantur, atque blaſphemant: boni autem, precantur & laudant. Tantum intereſt non qualia, ſed qualis quiſque patiatur. Nam pari motu exagitatum & exhalat horribiliter cœnum, & ſuauiter fragrat vnguentum. Sed vt ſpes iuſtorum non ſit caſſa, Pſallite (inquit Dauid) Domino, &c.

Pſallite Domino qui habitat in Sion, annuntiate inter Gentes ſtudia eius.

Hîc Dauid prædicit feſtiuitates quas Eccleſia îcepit celebrare î memoriā Sãctorū, emūdato ſanguine ab ea. Neq; eſt recens hic mos celebrãdi feſta Sanctorū in Chriſtianiſmo, ſed ſtatim ab ipſo legis Euangelicæ exordio introductus, quod eo cõuincitur argumēto: Nã eximij illi patres & clariſſimæ lampades Eccleſiæ Auguſtinus, Hieronymus, Ambroſius, Gregorius, qui paulo poſt Eccleſiæ primitiuæ tēpora floruerũt, in ſuis ſermonibus & ſcriptis meminerũt multorū feſtorū in honorē particulariū aliquorū Sanctorū aut Sanctarū virginū celebrari tunc ſolitorū: quod vtiq; nō feciſſent, niſi ſolennitas illorū Sanctorū antè fuiſſet inſtituta. Sic ex Eccleſiaſtico decreto quotannis vnus eſt dies feſtus omniū Sanctorū venerationi cõſecratus & dedicatus, qui per totū orbē Chriſtianū in honorē Sanctorū omniū cæleſtis gloriȩ incolarū habetur celeberrim⁹. Vnde patet dementia eorū qui dicunt Sanctos neq; honorãdos neq; orãdos. Nam (vt inquit Damaſcenus lib. 4. de fide orthodoxa, cap. 56,) Quantū ſane laborares vt inuenires adiutorē qui ad mortalē regē te adduceret, & pro te ad ipſum ſermones faceret. Adiutores ergo totius generis Deo pro nobis ſupplicationes porrigentes, nō honorandi ſunt? certe honorãdi & orandi. Hac de cauſa Eccleſia letanias ſupplicatorias inſtituit, iam olim & quotidie frequẽtat, in quibus Sanctorū fit nominatim expreſſio cuiuſq; in ſuo gradu & ordine, & ſupplex ad quemq; eorū poſtulatio vt orēt pro nobis diuinam maieſtatem. Quæquidem letaniȩ in conciliis Aurelianenſi,

lianenſi, cap. 23, Gerundonenſi, cap. 3. Toletano quinto, cap. 1, Toletano ſexto, cap. 2. Bracharenſi ſecundo, cap. 9, frequentari & obſeruari in Eccleſia decernuntur. Adde quòd præſtantes virtute viri in antiqua lege orantes Deum, plerunque in ſuis precibus recenſuerunt nomina ſanctorum Patrum antiquorum, quaſi memoriam illorum obiicientes diuinæ maieſtati, vt illorum meritis impetrarent quod expetiuerunt. Siquidē Moyſes rogans Dominū pro impetranda venia toti populo de peccato adorationis vituli conflatilis, ait inter cætera, Quieſcat ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui: recordare Abraham, Iſaac, & Iſrael ſeruorum tuorum, quibus iuraſti per temetipſum, dicens, Multiplicabo ſemen veſtrum ſicut ſtellas cæli, & vniuerſam terram hanc, de qua loquutus ſum, dabo ſemini veſtro, & poſſidebitis eam ſemper. Sic & Azarias in fornace Babylonis ſuccenſa, ſuppliciter orans, ait, Ne quæſumus tradas nos in perpetuum, propter nomen tuum, & ne diſſipes teſtamentum tuum, neque auferas miſericordiam tuam à nobis, propter Abraham dilectum tuū, & Iſaac ſeruum tuum, & Iſrael ſanctum tuum, quibus locutus es pollicens quòd multiplicares ſemen eorum ſicut ſtellas cæli, & ſicut arenam quæ eſt in littore maris. Et vterque eorum Moyſes ſcilicet & Azarias exauditi ſunt in oratione ſua. Quo fit argumentum, illam ſanctorum Patrum commemorationem ab eis factam, non fuiſſe ingratam Deo nec inutilem. Eorum igitur exemplo, per ſanctorum noui Teſtamenti Patrum merita ac patrocinium, debemus in orationibus noſtris Deo nos cōmendare. Quapropter nūc intonat regius Propheta diuos venerando, Pſallite Domino, qui videlicet per gratiam, præſentiam, eſſentiam, & potentiam, habitat in Sion, hoc eſt in Eccleſia catholicis diffinitionibus ſublimata, quæ geſtat imaginem illius quæ futura eſt. Vnde Sion ſpecula interpretatur, quòd nunc videmus per ſpeculū in ænigmate, tunc autē facie ad faciem. Præcipitur igitur nobis vt cōcorditer Dominū Eccleſiæ inhabitatorē, in ſuis ſanctis laudem*, & annūtiemus inter Gē- tes ſtudia eius, hoc eſt legē Euāgelicā, ī qua Chriſtiano, die noctuq; ſtudendum eſt. Pro eo vero quod Septuaginta hîc

Exod. 32.

Dan. 3.

1. Cor. 13.

Studia ſeu Exercitia dixerũt, Symmachus Artes expoſuit, & Aquila Immutationes: quæ omnia quadrant & Gentibus conueniunt. Nam qui de longe erant, facti ſunt prope:& qui in tenebris erroris,venerunt ad lumen veritatis: qui in obliuione erant,habiti ſunt in memoria. Et hæc omnia annuntianda ſunt,conſtantérq; oportet prædicare hãc receptam per Gentes Euãgelij legem,& non timere mortem. Quoniam requirens ſanguinem eorum,&c.

Quoniam requirens ſanguinem eorum recordatus eſt,non eſt oblitus clamorem pauperum.

Recordatus eſt,hîc mirabiliter ad vtrũque ponitur, vt & perſequutores vindicta terreat,& martyres promiſſio benigna confortet. Vnde Lucæ cap.18,ita pollicetur Chriſtus, Deus nõ faciet vindictã electorũ ſuorũ clamãtiũ ad ſe die ac nocte,& patientiã habebit in illis? dico vobis quia cito faciet vindictã illorũ. Sanguis enim innocẽter effuſus, & ſudor violẽter expreſſus, in reos ſanguinũ hãc vindictã cõclamat. Quapropter nũc & in Literis ſanctis Requirere ſan-
Ezech.3. guinẽ,eſt Cædẽ alicuius vlciſci: vt apud Ezechielẽ, Sãgui-
Gen.4. nem eius de manu tua requirã. Hinc Dominus ad Cain dicit, Vox ſanguinis Abel fratris tui clamat ad me de terra.& Iob cap.14, Anima vulneratorũ clamauit,& Domin⁹ inultum abire non patitur.atque Apoca.cap.6,quũ apertũ eſſet ſigillũ quintũ,vidit Ioannes ſubtus altare animas interfectorũ propter verbũ Dei,voce magna clamantiũ,Vſquequo Domine,ſanctus & ver⁹, nõ iudicas & nõ vindicas ſanguinẽ noſtrũ,de his qui habitant in terra? Et dictum eſt illis vt requieſcerent tempus adhuc modicum, donec compleantur conſerui eorum & fratres eorũ,qui forte ad finem
Sapien.5. ſexti ſigilli interficiendi ſunt,ſicut & illi. Tunc ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerũt, & qui abſtulerunt labores illorum. Neque interim contra charitatem eſt has pœnas temporales inimicis Euangelij deſiderare,quia valent & ad emendationem vitæ,& ad diuinæ iuſtitiæ manifeſtationem. Quum vero dicitur Recordatus eſt, nemo ita poſitum putet, quaſi obliuio cadat in Deum:ſed quia poſt longum tempus futurum eſt hoc iudicium

dicium, quando faciet Dominus vindictam pauperum: atque ſecũdum affectum infirmorum hominum poſitum eſt, qui quaſi oblitum Deum putant, quia non tam cito facit q̃ ipſi volunt. Clamor inſuper pauperũ, cuius non obliuiſcitur Dominus, eſt deprecatio ſeu petitio iuſtorum aduerſus peccatores: contra quos etiã in iudicio Chriſtus ſua vulnera allegabit, cicatrices contra eos loquentur, clam de ipſis conquerentur. O nos miſeri! quid reſpondebimus Chriſto iudici accuſanti, & dicturo hæc, ſeu ſimilia? Ego propter vos homo factus ſum, propter vos alligatus, deluſus, cæſus, & crucifixus: vbi eſt tantarum iniuriarum mihi illatarum fructus? Ecce ſanguinis mei pretium quem effudi in redemptionem animarum veſtrarum: vbi eſt ſeruitus quam mihi pro pretio ſanguinis mei debuiſtis? Ego ſuper gloriã meã vos amaui, & vos me viliorẽ omnibus rebus veſtris feciſtis: nam omnem rem terræ viliſſimam magis quàm me dilexiſtis. Quid potui vobis facere, & non feci? Nemo profecto poterit peccatores defendere contra huiuſcemodi furorem Domini. Plangẽt ergo omnes tribus terræ, quia nec virtus reſiſtendi furori Domini erit, nec fugiendi facultas à facie eius, nec pœnitentiæ locus, & anguſtia erit peruerſis vndique, quibus nihil præter luctũ remanebit. Quamobrem talia metuens Propheta, in perſona cuiuſlibet pauperis & Eccleſiæ, quæ plurimum adhuc ſibi timet, nunc dicit, Miſerere mei Domine, &c. Apoca. 1.

Miſerere mei, Domine, uide humilitatem meam de inimicis meis.

Hîc vox Eccleſiæ, quæ liberata à tyrannis, petit liberari de prauitate & perſequutione hæreticorum. Statim enim Conſtantino res Chriſtianorum pacatè agente, non defuit vulpecula: nam deiecto per eũ Licinio, ac memoria tyrãnicæ dominationis ablata, dũ quieta omnia & tranquilla putarentur in Eccleſia, atque confeſſorum merita iam creſcerẽt, ſubito apud Alexandriam Preſbiter quidam Arrius nomine, ſurrexit, qui populum inaudito errore decepit, indiſciſſam quoque Domini tunicã & deſuper textã minutatim Ioan. 19. per fruſta diſcerpſit, cuius venenum ſerpſit vt cancer, adeo 2. Tim. 2.

vt Romanum Pontificem & ipſos inuoluerit Imperatores: neque probroſo ipſius interitu (inteſtinis videlicet eius atq; omnibus viſceribus in ſeceſſus cuniculum ob blaſphemiam & fœtidam mentem defluxis) extinctum eſt: ſed peioribus quàm antè poſtea actum: atque Arriani hoc fuêre peſtilentiores, quòd ſecularibus literis, & Ariſtotelicis argutiis eſſent inſtructi. Aduerſus hãc hęreſim, Nicæna Synodus primum collecta eſt, in qua damnatũ ipſius Arrij dogma. Deinde viſum eſt orbem in concordiam redigere, receptis qui vellent reſipiſcere. Id actum eſt in concilio Ariminenſi ſub Claudio: pronuntiata eſt catholica fides, in qua vnanimiter conclamatum ab omnibus. Solum id cõceſſum (Arrianis petentibus) vt Vſiæ & Homuſij vocabulum tolleretur, quòd multos ſua offenderet nouitate: præſertim quũ cætera omnia conuenirent. Id tamen ſtudio pacis ſimpliciter donatum eſt, ne res puſilla obſtaret publicæ concordiæ. At ex ſubdola pace natum eſt acrius bellum Arrianis, eius Synodi authoritatem ad ſuæ factionis patrocinium detorquentibus, vt erant callidi vafrique. Proinde multis denuo conciliis actum eſt aduerſus Arrianos, quibuſdam Epiſcopis conniuentibus, quibuſdam palam Arrianam hæreſim, vt catholicam, defendentibus. Sed Arrio mortuo, plures Epiſcopi reſtituti ſunt ab exilio, inter quos pręcipui Athanaſius & Hilarius, atque rurſum damnata paſſim Synodis minoribus hæreſi Arrianorum, diſputari cœptum, an Epiſcopi qui cum Arrio ſenſerant, recipi debuerint, non adempto prius honore Epiſcopali. Nam non conuenire ſimul & pœnitentis agere perſonam, & Epiſcopi. Ecce (quod Apocalyp. cap. 9. ſcribitur) ſimilitudines locuſtarum ſimiles equis paratis ad prælium, & ſuper capita eorum, tanquam coronæ ſimiles auro, & facies earum ſicut facies hominum. Quibus peruicacia hæreticorum præcantata eſt, qui nonnunquam tam forti animo ſupplicium incendij pro defendendo ſuo errore ſubeunt, vt nemo philoſophorum in ſuſtentanda morte ſuperauerit illos: neque immerito locuſtis comparantur, quia non volant in altum, vel in contemplationem per cognitionem, nec firmiter gradiuntur per bonam operationem, ſed ſuperbia ſaliunt, & in pœnis recidunt:

dunt: quia ſunt corroſores bonorum. Sequitur, Et habebant capillos ſicut capillos mulierum. Qua exre ſignificatur diutius duraturũ eſſe hoc malum hæreſis, ſicut & mulierum capilli ſunt longiuſculi: deſignatur inſuper effœminata vitæ relaxatio, quàm hæretici ſuis credulis concedunt. Porro ſequitur. Et dentes earum ſicut dentes leonum erant: vnde eorum feritas ac crudelitas prædicitur, qui etiam bonos occidi faciunt, vt impunè viuant. Sed quia aſpectus Dei, auxilium eſt, & tenebroſa protinus diſpereunt, quum tanti luminis ſerenũ lucet, his tot malis preſſa Eccleſia protinus humilitatem ſuam de inimicorum ſuperbia ſupplicat ęſtimari. De faſtu enim inimici perpenditur humilitas patientis: quia tãtum hic humiliatur, quantum ille extollitur. Hãc humilitatem Ecçleſia Deo offerẽs, ſubnectit, Tu, quęſo, Domine, vide humilitatemmeam, Qui exaltas me, &c. Apoc. 9. Ibidem.

Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.

Portæ mortis, hæreticorum perſequutio eſt, quæ vſqueadeo per Arrianos reliquóſque efferbuit, vt tyrannorũ crudelitatem prope ſuperaſſe videatur. Nam ſoluto (vt ſupradictum eſt) concilio Ariminenſi, quando læti omnes Epiſcopi ad prouincias reuertebantur, atque Oriens & Occidens communionis ſibi vinculo nexus putaretur: diu ſcelera non latuerunt, & cicatrix malè obducta incocto pure dirumpitur. Cœperunt ſiquidem poſtea Valens & Vrſacius, cæteríque nequitiæ eorum ſocij, palmas ſuas iactare, dicẽtes ſe Filium non creaturã negaſſe, ſed ſimilem cęteris creaturis. Tunc Vſiæ nomen abolitum, tunc Nicenę fidei damnatio conclamata eſt. Ingemuit totus orbis, & Arrianum ſe eſſe miratus eſt. Igitur alij intra ſuam communionẽ remanere: alij ad eos confeſſores qui ſub nomine Athanaſij exulabant, cœperunt literas mittere: nonnulli initam ſocietatem meliorum deſperatione planxerunt. Periclitabatur nauicula Apoſtolorum, vrgebant vẽti, fluctibus latera tundebantur, nihil iam ſupererat ſpei, Dominus excitatur, imperat tempeſtati, beſtia moritur, tranquillitas redit. Maniſeſtius dicam (ait Hieronymus) omnes Epiſcopi qui de pro- Matth. 8.

comparatum eſt, vt eximia virtus non proferat ſplendorem ſuum, niſi malis exercita: ſic aurum purius cedit ex igni: ſic illex attonſa duris bipennibus, denſiore ramorum prouectu ſylueſcit: & quod ait Horatius, Ab ipſo ducit opes animúmque ferro. Gubernatoris & artem & animum declarant tempeſtates: nemo vnquam inter magnos duces habitus eſt, niſi cuius virtutem res aduerſæ ſpectatam reddidére. Et ſi fas eſt aliquid è veterum fabulis admiſcere rei ſeriæ, Iuno dum Herculem omni generi periculorum obiicit, nihil aliud quàm virtutem illius illuſtrem reddidit, & ipſi diuinos honores parauit. Sic & Dominus athletam ſuum Iob, Sathanæ vexandum permiſit, vt per illum nobis inuictæ patientiæ pararet exemplum. Sic tentauit dilectum Abraham, vt mundus inſignem hominis erga Deum fiduciam agnoſceret. Ita & nos ſacrorum doctorum Eccleſiæ defenſorum magnitudinem agnoſcimus, quia tum hæreticorum, tum obtrectatorum calumniis patuit: quemadmodum teſtatur Paulus 1. ad Corinth. cap. 11, Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant. Nam ſicut Deus ex perſequutione tyrannorum tentauit patientiam martyrum, ita errore hæreticorum Chriſtianam veritatem clariorem reddit. Liberata ergo Eccleſia ex illis portis mortalibus, in iſtis portis vitæ filiæ Sion, quæ beatitudinem tribuunt ſempiternam, decantaturam ſe laudes Domini pollicetur. Et ideo (inquit) Exultabo, &c.

Iob. 1. & 2

Gen. 22.

Exultabo in ſalutari tuo, infixæ ſunt Gẽtes in interitu quem fecerunt.

Ergo Eccleſia quæ hîc affligitur, & ſpe ſalua eſt, quandiu occultum eſt Filij iudicium, ipſa ſpe Deo Patri dicit, Dum circunſtrepente ſeu vi ſeu errore hæreticorum vndique perturbor, interim exultabo in ſalutari tuo, id eſt CHRISTO, qui meis æternam requiem tribuit, & ſalutem. Hinc 1. ad Corinth. cap. 15, ſcribit Apoſtol⁹, Stabiles eſtote & immobiles, abundantes in omni opere Domini: ſemper ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino: & ſicut abundant paſſiones CHRISTI in nobis, ita & per

2. Cor. 5.

CHRISTVM abundat conſolatio noſtra: quoniam
2.Pet.2. ipſi Deo cura eſt de ſuis: & nouit pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem iudicij reſeruare cruciandos. Itaque Dominus IESVS ſemper eſt inuocandus, vt liberet vel ſaltem conſoletur tempore aduerſitatis, qui eſt ſa-
Pſal.36. lus iuſtorum & protector in tempore tribulationis. Quamobrem omnis ſpes Eccleſiæ, tempore perſecutionis, ſupra CHRISTVM & eius legem repoſita, vti perbellè in parabola idem teſtatur Matthæi cap. 7, dicens, Omnis qui audit verba mea, & facit ea, aſſimilatur viro qui ædificauit domum ſuam ſupra petram, & deſcendit pluuia, & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit: fundata enim erat ſupra firmam petram. Sic per Eſdram conſolatur eam Dominus, ita repromittens, Iocundare mater cum filiis tuis, quia te eripiam, amplectere natos tuos vſque dum venio, & præſtem illis miſericordiam. Quapropter nunc ſequitur. Infixæ ſunt Gentes, &c. Animaduerte quemadmodum ſeruetur pœna peccatori de operibus ſuis: & quemadmodum qui voluerunt perſequi Eccleſiam, ea vulneratione ſint fixi quã ſe inferre arbitrarentur. Nec abs re fuerit hoc etiam de dęmonibus intelligere, qui CHRISTI potentiam cohibere ac compeſcere ſtuduerũt, qua tamen omnes ipſorum poti⁹ extinctæ ſunt vires. Proinde ſequitur, In laqueo iſto, &c.

In laqueo iſto quem abſconderunt comprehenſus eſt pes eorum.

Alia ſimilitudine rurſus eandem repetit ſentętiam, quãdam quodammodo pompam agens aut triumphum de inimicorum deſtructione. Huiuſce rei fidem fecit Iulianus Apoſtata, de cuius morte ita ſcribit Vincentius, Quum contra Perſas pergeret, venit in partes Cæſarienſium, cui Baſilius Magnus tres panes hordeaceos obtulit: Imperator autem iuſſit ſtipatores ſuos accipere quidem panes, & reddere ei fœnum, dicens, Hordeum, pabulum eſt iumentorum quod dedit nobis, recipiat & ipſe fœnum: quod ſuſcipiens Baſilius, dixit, Nos quidẽ, ô Imperator, ex quibus comedimus obtulimus tibi, tu autẽ ex quibus nutris irrationabilia, reddidiſti

reddidiſti nobis. Audiens hoc Iulianus & inſaniens dixit, Quando Perſas ſubiiciens, reuerſus fuero, peſſundabo ciuitatem tuam, vt fiat ferifera magis quàm hominifera. Regrediens autem Baſilius in ciuitatem, & conuocans omnem multitudinem, narrauit ei Imperatoris verba, & dedit conſilium optimum, dicens: Pecuniam, fratres, ad nihil reputate, & ſaluti veſtræ prouidete, vt ſi datum fuerit tempus tyranno, muneribus eum placemus. Statímque præcepit omni populo & omni clero ciuitatis cum mulieribus & infantibus aſcendere in montem Didimi, in quo honoratur & adoratur Dei genitricis venerabile templum: & tribus diebus ieiunantes, rogauerunt Deum diſſipari iniqui Imperatoris ſenſum: & adhuc poſtulantibus eis, & vigilantibus in oratione, vidit Baſilius in viſu multitudinem militiæ cæleſtis hinc & inde in monte & in medio eorũ ſuper thronum glorioſum ſedentem quandã in muliebri habitu, & dicentẽ ad proxime ſibi aſtantes magnificos viros, vocate mihi Mercuriũ & abibit interficere Iulianũ, in Deũ & filium meum blaſphemantem. Sanctus autem cum armis ſuis adueniens, vt iuſſus eſt ab ea, velociter abiit. Et cõtinuo expergiſcens à ſomno Baſilius ſub timore ſimul & gaudio conſtitutus erat. Similem viſionem mortis Iuliani vidit ipſa nocte Libanius Sophiſta, quũ eſſet in Perſide, & Quæſtoris ageret dignitatẽ. Expaueſcens ergo Baſilius Magnus cũ Eubolo ſuo venit in ciuitatem, adiitq; ſepulchrum ſancti martyris Mercurij, in quo & ipſe iacebat, & arma eius conſeruabantur. Quærens autem ea, & non inueniens, vocauit cuſtodẽ, & ſciſcitabatur ab eo vbi illa fuiſſent: qui cũ ſacramento iurabat veſperi ibi ea fuiſſe, vbi perpetuo conſeruabantur. Credidit ergo viſioni Baſilius, & cum gaudio recurrit ad montem, omnibus adhuc dormientibus, quos excitans, ad orationem hortatus eſt, & cum exultatione euãgelizauit illis reuelationem ſibi factam, & tyrannum hac nocte interfectum, & cum omnibus gratias agẽs reuerſus eſt ad ciuitatem, & veniens ad ſepulchrum S. Mercurij, inuenit lanceam illius ſanguine madidã. Móxq; aduenit idẽ Libanius, Iuliani Quæſtor, quęrẽs baptizari, & aſſerens quòd cum ſecus Eufratem fluuium eſſet Iulianus

Apoſtata, & relicta nocte ſeptem excubiæ militum cuſtodirent eum, venit quidam ignotus miles cum armis ſuis & lancea, qui valido & terribili impetu perfodit eum. Et ſubito aſcẽdens, nuſquam comparuit: ille verò miſerrimus Imperator diram atque horribilem vocem emittẽs, cum blaſphemo clamore expirauit, manu propria ſanguinem excipiens, talia dicẽdo: Viciſti Galilæe, viciſti. Ecce qui poſt victoriam (vti ſcribit Hieronymus) diis ſanguinem Chriſtianorum vouerat, proprium ſanguinem & vitam prior perdidit, ſeruatis per Deum ſuis Chriſticolis. Sic qui alium iniuſtè perſequitur, eo interitu moritur, quo alium occidere arbitratur. Vnde tritum dicterium, Sæpe ſagittantem didicit roferire ſagitta. Rectè igitur nunc ſubnectit Pſalmographus, Tandem cognoſcetur Dominus iudicia faciens, &c.

Cognoſcetur Dominus iudicia faciens, in operibus manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator.

Vera nimis & abſoluta ſententia: quoniam tunc manifeſtè cognoſcetur CHRISTVS Deus & homo, quando in forma humana iudicabit orbem terræ. De quo iudicio
Matth. 25. Matthæus, Quum venerit (inquit) Filius hominis in maieſtate ſua, & omnes angeli eius cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ & congregabuntur ante eum omnes Gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis: & ſtatuet oues quidem à dextris, hœdos autem à ſiniſtris. Diuinitas tunc per iudicium apparebit, ſicut & in primo aduentu humanitate humilitas demonſtrata. quod ſatis apertè prædixit Daniel, cap. 7, Aſpiciebam (inquit) in viſione noctis, & ecce in nubibus cæli quaſi Filius hominis veniebat, & vſque ad antiquum dierum peruenit. Quia Patri per omnia æqualis Filius, & in conſpectu eius obtulerunt eum: puta in cruce: & propterea dedit ei Pater poteſtatem & honorem & regnũ, & omnes populi, tribus, & Linguæ ipſi ſeruient. Poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ nõ auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur. Quę de ſecundo Meſſiæ aduentu intelligenda ſunt: præſertim quòd in primo aduentu cum humilitate & paupertate venturus erat, ſed in ſecundo in ea carne glorioſa veniet iudicaturus

caturus, in qua primum quaſi abiectus venerat iudicandus. Vnde eodem capite præmittit Daniel, Videns (ait) fui, donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit. Et poſt pau- Danie. 7.
ca ſubnectit, Iudicium ſedit, & libri (hoc eſt cõſcientiæ ſingulorum quæ omnibus patebunt) aperti ſunt. Et paucis interiectis, ſubdit præcedentia verba quæ ad Filium exaltatũ ratione qua ſupra referuntur. Quare alio loco Euangelij, quum de hominum bonorum & malorũ nunc permixtione, poſtea ſeparatione (quæ vtique in die iudicij futura eſt) loqueretur Dominus, adhibuit ſimilitudinem de tritico ſeminato, & ſuperſeminatis zizaniis, eámque ſuis exponens Diſcipulis, Qui ſeminat (inquit) bonũ ſemen, eſt Filius ho- Matth. 13.
minis, ager autem hîc, mundus eſt: bonum verò ſemen, hi ſunt filij regni: zizania autem, hi filij ſunt nequam: inimicus autem qui ſeminauit ea, eſt diabolus: meſſis vero, conſummatio eſt ſeculi: meſſores, angeli ſunt. Sicut ergo colliguntur zizania, & igni comburuntur, ſic erit in conſummatione ſeculi. Mittet Filius hominis angelos ſuos, & colligent de regno eius omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem: & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus & ſtridor dentiũ. Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol, in regno Patris eorum. Hîc quidem iudicium vel diem iudicij, & ſe iudicem nõ nominauit Filius: ſed id multo clarius ipſis rebus expreſſit, & in fine ſeculi futurum eſſe prædixit. Tunc apertè cognoſcetur Dominus iudicia facere, quandoquidẽ peccatoribus dabitur æterno cruciamẽto torqueri. Hoc eſt enim iudicia vera facere, vniuſcuiuſque merita ſine aliqua confuſione diſcernere. Subnectit Pſaltes vnde cognoſcamus Dominum vera iudicia facere, ſcilicet quia malis operibus ſuis peccator ligatur, & ſecundum menſuram delicti, ſit plagarum modus. Sentiamus ergo locum peccatorũ ſuppliciis eſſe pręparatum, & non ſolum peccatorem delictorũ ſuorum recordatione eſſe cruciandum, ſed intelligamus intrinſecus pœnale malum quod ſceleratis legimus imminere. Nam vt dilucide agnoſcamus beatitudinẽ à damnatione quibuſdam terminis eſſe diuiſam, recordemur Diui- Luc. 16.
tem epulonem oculos ſubleuaſſe, paupérémque Lazarum in ſinu Abrahæ fuiſſe conſpectum, ſe autem flammis vltri-

cibus deputatũ. Sequitur, Conuertantur peccatores, &c.

Conuertantur peccatores in infernum: omnes Gẽtes quæ obliuiſcuntur Deum.

Hoc in verſiculo eſt canticum diapſalmátis, quaſi occulta lætitia ſeparationis quæ hîc, fit non loco ſed affectu, inter bonos & malos. Et nunc etiam prædictio eſt, neque aliquid optat Propheta: cuius verba & ad nouiſſimũ vniuerſale iudicium, & ad particulare cuiuſque referri poſſunt. Quia & nunc quotidie iudicat, & ab humani generis initio iudicauit Dominus, eiiciens de paradyſo, & à ligno vitę ſeparans primos homines præuaricantes: immo nec angelis peccantibus pepercit, quin non ſine illius alto iuſtóque iudicio, & in hoc aëreo cælo ac in terris, & dæmonum & hominum miſerrima vita eſt erroribus ærumníſque pleniſſima. Atque homines plerunque aperte, plerunque occulte luunt pro ſuis factis diuinitus pœnas, ſiue in hac vita, ſiue poſt mortem. Vnde, ſicut dicit Apoſtolus, inſcrutabilia ſunt iudicia Dei, & inueſtigabiles viæ eius. De vniuerſali etiam iudicio præſentia intelligendo, poſtquam peccatores ad Deum conuerti noluerunt, ad infernum deſcendant neceſſe eſt. Iſte quippe dies propriè dies iudicij vocatur, eo quòd nullus ibi erit imperitę querelæ locus, cur iniuſtus ille ſit felix, & cur iuſtus ille infelix. Omnium nãque tunc non niſi bonorum, vera & pleniſſima felicitas, & omnium non niſi malorum digna & ſumma infelicitas apparebit. Reſurgat ergo ſtatim peccator reſurrectione animæ, quæ eſt per gratiam, niſi velit in hac reſurrectione corporum perire per culpam. Porro de quibus peccatoribus nunc loquatur Dauid exprimit, dicens: Omnes gentes quæ obliuiſcuntur Deũ. Certe hac animaduerſione percutitur peccator, vt moriens obliuiſcatur ſui, qui dum viueret, oblitus eſt Dei: & quum non probet Deum habere in notitia, dat illum Deus in reprobum ſenſum. Sed aliter contingit iuſto, Quoniam, & cæt.

Gene. 3. 2. Petr. 2. Rom. 11. Rom. 1.

Quoniam non in finem obliuio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem.

Ecce, ſi non ſtatim adeſt in tribulatione Dominus, neque propterea aufert ſuum auxilium à ſanctis: atque interim hi mala æquo animo ferre diſcunt, ac proſpera non magnipēdere, quæ adipiſcuntur & mali. Ac per hoc etiam in his rebus quando non apparet diuina iuſtitia, ſalutaris eſt diuina doctrina: nam quum omnes quotidie peccamus, quid mirū ſi omnes quotidie patimur? Iure etiam iſtam vitam boni (quando diuinitus affliguntur cum malis) amaram ſentiunt, cuius amando dulcedinem peccantibus eis amari eſſe noluerunt. Flagellantur enim ſimul, non quia ſimul agunt malam vitam, ſed quia ſimul amant temporalem vitam, non quidem æqualiter, ſed tamen quam boni contemnere deberent, vt illi correpti atque correcti conſequerentur æternam, ad quā conſequendā ſi nollent eſſe ſocij, ferrentur & diligerentur inimici: quia donec viuunt, ſemper incertum eſt vtrum voluntatem ſint in melius mutaturi. Qua in re non vtique parem, ſed longe grauiorem habent notam pigri Prælati, quibus per Prophetam dicitur, Ille quidem in ſuo peccato morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram. Deinde habent aliam cauſam boni, quare hic temporalibus affligantur malis, qualem habuit Iob, vt ſibi ipſe humanus animus ſit probatus & cognitus quanta virtute pietatis gratis Dominū diligat. Hoc modo diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, neque hæc patiētia bonorum peribit in finem, per quam nūc malos ferunt, & iuſtitiam Dei longanimiter expectant. Sed ideo hæc dicitur patientia pauperum, quia eſt circa ærumnas pauperiémque fideliſſima virtutis cuſtos. Nā ſi quibuſlibet deſit patientia, anima nō poteſt eſſe ſtudioſa. Quapropter patiētia eſt inter anxias tribulationes ſeculi vſq; ad finē mortis, in timore Domini gratiarū actio iugiter obſeruata: de qua Dominus Lucæ cap. 21, In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Quum ſic ipſas animas ad patiendum ratione regimus: & quāto magis in hoc ſeculo perſecutionibus inimicorū potētia, vel morborū cruciatibus fuerimus

Ezech. 3. & 33.

Rom. 8.

afflicti, tanto poſt reſurrectionẽ in futuro maiora præmia conſequemur. Vnde hac de re iubilant beati, dicentes: Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala. Veruntamen ne patientia hæc quandoque pereat perſequutione Antichriſti, nunc precatur Eccleſia, Exurge Domine, & cæt.

Pſal. 89.

Exurge, Domine, non confortetur homo, iudicentur Gentes in conſpectu tuo.

Hic vox Eccleſiæ ſonat contra Antichriſtum. Nam quum de fine ſeculi Propheta ageret, aduentum Antichriſti cordis illuminatione proſpexit, & periculi magnitudine perterritus, magna voce exclamat, Exurge, Domine, in iudicium: non præualeat homo peccator, ſcilicet Antichriſtus.

Daniel. 9. Tunc enim, teſtante Daniele, fiet abominatio in deſolatio-

Matth. 24 nem, & erit maxima perſequutio Eccleſiæ, tantáque tribulatio, qualis non fuit ab initio mundi. Licet enim mali ſemper ſæuiant in bonos, tamen contra eos tempore Antichriſti apertiſſimè & crudeliſſimè inſurgent: quemadmodum ſatis patet Apocalypſis cap. 11. Nam ſub Antichriſto Eccleſia patietur ſecundum væ: vtpote vſque ad fidei catholicæ ſuppreſſionem, & eius tyrannis du rabit menſibus quadraginta duobus, vel diebus mille ducentis nonaginta: vterque numerus facit annos tres cũ dimidio, quanto ſcilicet tempore CHRISTVS in carne prædicauit. hoc eſt tempus, tẽpora & dimidium temporis: de quo Danielis ca. 12. Quando vero Antichriſtus ſit venturus neſcitur certum tẽpus, ſed (teſtante Abbate Ioachim) ſicut Zacharias pater

Lucæ 1. Ioãnis inter Synagogam & Eccleſiam, id eſt inter primum & ſecũdum ſtatum mundi conſtitutus, prædixit Saluatoris adeſſe pręſentiã: tamẽ ea quæ Chriſt[9] erat facturus ſeriatim aperire nõ eſt permiſſus. Sic nos qui inter ſecundũ & tertiũ mundi ſtatũ ſumus, multa quidẽ & certa de Antichriſto ac de tertio mundi ſtatu futuro contẽplari permittimur, ordinem vero rei iuxta diſtinctionem operum vel temporum comprehendere nequimus. Omitto breuitatis gratia nunc recenſere plurimorum ſuper hac re coniecturas, in quibus nulla certitudo inuenitur. Attamen nunc verum eſt Antichriſtum

chriſtum iam veniſſe in ſuis membris,& quotidie manet. Nam ſicut verus Chriſtus eſt præmonſtratus in multis ſanctis viris veteris Inſtruméti, & propterea lex & Prophetæ vſque ad Ioannem:ita falſus Chriſtus, à Nerone ad præſentia vſq; tépora, præſignatus. Qua de re(vti ſcribitur 1.Ioã. cap.2)Antichriſtus venit nunc, Antichriſti multi facti ſunt. Hoc iniquitatis myſteriũ iam aperte (vnde proh dolor)regnat.Nam hodie fit diſceſſio tum à fide Eccleſiæ,cuius ceremoniæ irridentur atque oppugnantur:tum à ſede Petri, quæ floccipenditur: atque ſic ſoluti in omnem licentiam, ſeu equi indomiti magis atque magis in dies currimus ad malum.Neque aliud ſupereſt niſi vt propterea cito in ſuppliciorum foueã cadamus. Nunc quoque expetit Propheta Gentes celerrimo Chriſti aduentu iudicari, quæ cum ipſo ſæuiſſimo Antichriſto,in ſcelera magna lapſuræ ſunt. Quia autem(inquit)Chriſte,te & tuam legem bonam noluerunt,Conſtitue,&c. Matth.11.

Conſtitue,Domine,legislatorem ſuper eos,ut ſciãt Gentes quoniam homines ſunt.

Nonnulli iſta referunt ad Chriſtum: quaſi Propheta ipſum deprecetur faciat iudicium de Antichriſto ſuiſque ſequacibus,quum ſit conſtitutus iudex viuorum & mortuorum,& Pater ei omne iudicium dederit. Sed quum primo ſuo in aduentu ob humilitaté carnis à multis non eſt receptus vt Deus:nunc hoc in ſecundo aduentu diuinitatem non tam cunctis fieri expoſtulat:vt ſciant Gentes quoniam homines ſunt,neq; earum opis eſſe Deo reſiſtere. Verius etiã videtur nunc Dauid Antichriſtum ſignificare,vt talis princeps detur peccatoribus:non qui eos bene regat,ſed qui cũ ipſis vnà iuſte pereat:quatenus iuxta iniquitatem ſeruientis,iniquitas Domini ſit:& qui noluerunt recipere veritatem,ſubdantur mendaci legiſlatori: veluti ſcribitur Ioan. cap.5,Ego veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me:ſi alius venerit in nomine ſuo,illum accipietis.Iſtud eſt inchoatum apud Iudæos, quando ipſi receperũt Bencozeba tanquam Meſſiam,qui tamen nullum diuinum habebat teſtimoniũ ſiue per miracula ſiue per ſcripturas. Perficie- Acto.10. Ioan.5.

m.

tur autem ab eis in ipſo Antichriſto, quem pro Meſſia recipient. Vnde huiuſce rei cauſa ſe circuncidet: quare ei adhæ rebunt, donec eius mendacium per Enoch & Eliam detegatur. Tantundem facient Gentes falſis illius prodigiis & promiſſis deluſæ. Vnde ſequitur, Sciant Gẽtes, &c. Nã qui nolunt liberari à filio Dei, & renouari in Chriſto, oportet maneãt cũ veteri ſuo homine, quãdo homines ſunt. Atq; forſitã hoc dictũ etiã minantis eſt, vt ad conuerſionẽ potius inclinentur, qui de ſceleris ſui libertate præſumunt. Deinde addit Propheta vocẽ gementiũ, dicẽs, Vt quid Domine, &c.

Vt quid, Domine, receßiſti longe, deſpicis in opportunitatibus in tribulatione?

Hîc Dauid certitudine Prophetiæ ponit tempus pro tẽpore: atque interim Domino dicit more infirmitatis humanę, quia receſſiſſe creditur, quũ ſubuenire tardauerit. Deſpici inſuper nos putamus, ſi vel minimo tempore auxiliũ differat. Deſpicere enim, eſt diſſimulare non videre, ac quaſi deorſum aſpicere, & non ad rẽ illam quæ ante oculos poſita eſt. Sed quũ tẽpore Antichriſti ſoluetur Sathanas, qui millenario ligatus eſt, Apoca. cap. 20, (vbi mille, pro vniuerſitate ponũtur, vt numero notetur tẽporis plenitudo) tunc tã
Matt. 24. ta erit vndiq; afflictio, vt niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro: atque propter electos breuiabũtur. Erunt enim hæc mala tribus annis & dimidio tantum, vt ſupra ſcriptum eſt. Tunc videbitur abominatio deſolatio-
Dan. 12. & nis quæ dicta eſt à Daniele Propheta, ſtans in loco ſancto:
Apoc. 11. homo ſcilicet peccati Antichriſtus, qui (vt tradit Apoſtolus
Matth. 24 2. ad Theſſal. 2) eleuãdus eſt cõtra omne quod dicitur Deus & colitur, ita vt audeat ſtare in tẽplo Dei, & oſtẽdere quòd ipſe ſit Deus quem Dominus IESVS interficiet ſpiritu oris ſui. Is à nonnullis traditur naſciturus in Corozaim, educandus in Bethſaida, & regnaturus Capharnaũ. Et tanquã ſuper iſtiuſmodi rebus exultare poſtea debeant hæ ciuitates, ſpiritu Prophetico ipſis maledixit Dominus. Matth. cap. 11. & Lucæ 10, Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida: & tu Capharnaũ, nunquid vſque in cælũ exaltaberis? (quũ videlicet hoſpitio & ſignis Chriſti illuſtrata) & deinde ad infernum

fernum deſcendes? ipſum Antichriſtum recipiendo: quem etiã alij ferunt de tribu Dan deſcenſurũ, ſicut inde venit Iudas Iſchariotis, quẽ Chriſtus filiũ perditionis appellat. Huius Antichriſti tempore Eccleſia prope deſolabitur, & forte tota peſſundaretur, niſi ei adeſſent veritatis aſſertores Enoch & Elias, qui erunt præcones ſiue prӕcurſores ſecũdi & proxime futuri aduẽtus Chriſti, ſicut fuit Ioannes primi. Vnde Matthæi cap. 17, Helias quidẽ vẽturus eſt, & reſtituet omnia: qui reducet corda patrũ ad filios, & filiorum ad patres. Malachiæ vltimo. De his præcurſoribus ſcribitur Apoca. cap. 11, Dabo duobus teſtibus meis, & prophetabũt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis. Vbi aduerte quòd hi dies non perficiunt tres annos & dimidium, ſicut & Chriſtus non compleuit dimidium annum prædicationis ſuæ. Poſtea additur procella Eccleſiæ. Nam hi Prophetæ quum finierint teſtimonium ſuum, beſtia (Antichriſtus videlicet) quæ aſcendit de Abyſſo faciet aduerſus eos bellum, & occidet eos. At opportunè ad tempus deſpiciet Dominus in hac tribulatione iuſtos. Nam permittet inſurgere iſtiuſmodi tentationes, ad inflammandos animos deſyderio ſecundi aduentus ſui. Vt enim eſt iucundior fons repertus his qui multum ſitierint aquam, ita tunc opportunus adeſt Dominus, quando magnæ patientiæ nobis ſolatia ſubminiſtrat. Veruntamen adhuc nunc inſinuat Dauid conſilium dilationis, dicens, Ioan. 17.

Dum ſuperbit impius, incẽditur pauper, comprehenduntur in conſilijs quibus cogitant.

Sagaciter eſt hæc ſententia perſcrutãda, ne dicatur propterea iuſtus vri, quia hoc in ſeculo peccator extollitur. Mirè ſiquidem prouidentia Dei de malis operatur. Nam comparatione peccantiũ, boni maxime ad recte viuendũ accenduntur: ſicut per hæreſes creſcit atque magis acceptior eſt inuentio veritatis: vti & poſt tenebras lux fit iucũdior. Atque ita quẽadmodũ fornax ligna in cinerẽ redigit, & aurũ purgat, ſic tribulationes reticula vitiorum, & virtutum fulgorem declarant. Iuſto vero in quibuſcũque his periculis ſemper Deus eſt ſua conſolatio, proinde non timet: vti

teſtatur regius Vates, Pſalmo 22, ita ſcribens, Si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu Deus mecum es. Sit ergo fides noſtra in Chriſto firma ſemper, nuſquam hæſitemus. Nam Petrus videns ventū validū, quando dubitauit, cœpit mergi, & dum fluctuaret nauicula motibus magnis in mari agitata, Chriſto dormiente, excitantes eum Diſcipuli vt ſaluaret, ſtatim hanc duram increpationem demeruerunt, Quid timidis eſtis modicæ fidei? necdum habetis fidem. Lucæ cap. 8. Credamus igitur in omni anguſtia Chriſtum poſſe imperare ventis & mari perſequutionum: & quoties volet, cito erit tranquillitas magna. Hoc modo dum ſuperbiet impius Antichriſtus, pauper & abiectus populus Chriſtianus accendetur ad ſtudioſa. Nam videns hunc filium iniquitatis nimis exaltatum, facilè noſcet eum cum ſuis ſatellitibus breui lapſurum, & tunc ardentius ad humilia tendet, per quæ ſe poſtea exaltandum confidet. Iſto ordine comprehendetur ſeu (vt legit Hieronymus) capietur idem Antichriſtus in ſuis conſiliis. Nam (vt tradunt doctores) occidetur in monte Oliueti, in theatro & ſolio ſuo, quando ipſe (vti de Nabuchodonoſor legimus in lib. Iudich, cap. 3,) præceperit exterminare omnes deos terræ, vt ſolus Deus dicatur: & in illo loco, iuxta quem Dominus ad cælos aſcendit (vt piè creditur) peribit: atque ſic conſimili pœna punietur quâ alios
Eſa. 14. exterminare contendet. De quo Eſaias ſcripſit, Corruiſti in terram qui vulnerabas Gentes, & dicebas in corde tuo, in cælum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſoliū meū. Tandem ad infernum detraheris. Idem firmat Ezechiel cap. 28, talia etiam aſſeuerans, Eo quòd eleuatum eſt cor tuum, & dixiſti, Deus ego ſum, & in cathedra Dei ſedi in corde maris, quum ſis homo & non Deus: propterea morieris in interitu occiſorum. Sed idcirco impius tunc comprehendetur, Quoniam laudatur peccator, &c.

Quoniam laudatur peccator in deſyderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicetur.

Obſeruandum eſt quòd dictio QVONIAM ſeu QVIA apud Hebræos non ſemper cauſam reddit, ſed aliquando aduerbium

aduerbium eſt confirmandi, aliquando etiam abũdat: iuxta idiomatis vſum: atque ita nunc reddita eſt cauſa quæ peccatores turpiſſimis cogitationibus ſuis faciat illigari. Malum enim dum tanquam egregium facinus prædicatur, interim extollitur author, nec de emendatione cogitat, cui blandiens laudator inuenitur. Sic adulantium linguæ alligant animos in peccatis: ſic adulator blandus eſt inimicus, vitia ſub virtutum nomine ſubrepunt: temeritas ſub titulo fortitudinis latet: ignauia vocatur moderatio: pro cauto timidus accipitur: in his omnibus magno periculo erramus. Delectat ſiquidem ea facere in quibus non ſolum non metuitur reprehenſor, ſed etiam auditur blãditor. Non ſumus contenti modica laude humana, immo ſiquis nos ſanctiſſimos, ſapientiſſimos & modeſtiſſimos prædicet, hæc omnia vt vera recipimus, tametſi compertum habeamus tales qui nos laudant ſolitos mẽtiri. Neque interea recordamur ſententiæ Platonis dicentis, homines magis ex veris inimicis quàm ex amicis apparentibus ad ſtudioſa animari. Nam ficti amici errores non manifeſtant, ſed potius tolerant, & occultant: qua de re ſæpe contingit vt defectus proximi mantica anteriori, & noſtros à tergo portemus, ita prorſus noſmetipſos ignorantes. Quapropter magna ira Dei eſſe dignoſcitur, quando in malis deeſt correptio, & adeſt adulatio: qualiter Antichriſto cõtinget. Nam (teſte Haimone) quum venerit Hieroſolymam, circuncidet ſe, dicens Iudæis, Ego ſum Chriſtus vobis promiſſus. Tunc cõfluent ad eum omnes Iudæi, & reædificare nitentur templum à Romanis deſtructum: ſedebítque ibi dicens ſe eſſe Deum. Porro, ſentẽtia Gregorij, in fauorem Chriſtianorum diem Dominicum, & vt Iudæis applaudat, Sabbatum cuſtodiri faciet: hac via vniuerſum orbem ſeducet, & tunc implebitur quod Ioannis cap. 5. Iudæis prædixit Dominus, Ego veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis. Et ideo per hoc Exacerbauit Dominum peccator, &c.

Exacerbauit Dominum peccator, ſecundum multitudinem iræ ſuæ non quæret.

Nemo gratuletur homini cui proſpere ſuccedit in via ſua mala, cuius peccatis deeſt vltor & adeſt adulator: qualiter ad tempus Antichriſto continget. Is ſiquidem adulatorum fucus irretit. Sed nunc ſequitur maxime reformidanda ſententia, quando ſcilicet iuxta multitudinem peccatorum noſtrorum non quærit nos Dominus ad pœnitentiam: quin à luce veritatis deſerimur, ita vt non videamus
1. Cor. 4. peccatata noſtra, & propterea ſæpiſſime nihil nobis conſcij ſumus, quãuis in hoc non iuſtificati. Sicut Aman ſuperbiſſimus ad conuiuium Heſter veniens, quod ſibi ad honorem præparatum putabat, ad ſuſpendium ſibi deſtinatũ inuenit. Heſter cap. 5. & 7. Super quo Paulus 1. ad Corinth. cap. 11, ait, Propter hoc multi inter vos imbecilles, & dormiunt multi. Quæ dormitatio ad ſpiritum potius quàm ad corpus referri debet. Itaque multũ iraſcitur Dominus, dum peccantem non exquirit aut vocat, dum quaſi obliuiſcitur & non punit, ſed ſoluit in omnem licentiam: ita vt per fraudes & ſcelera ad diuitias honoréſque conſcendere permittat. Proinde Chriſtiano conſultiſſimum eſt Deum ſemper habere pro patre, ſiue ad timorem iuſtum incutiendum, ſiue ad amorem filialem infundendum, aut denique ad omnia noſtræ ærumnoſæ peregrinationi conuenientia decenter poſtulandum. Neque vltra apponat ſe magnificare homo ſuper terram, ſed deſperemus de viribus noſtris: & tota ſpe proiiciamur in Deum, vt ipſe nos enutriat: ſcientes quia non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, qua-
2. Cor. 3. ſi ex nobis: ſed omnis noſtra ſufficientia ex Deo eſt. Talis autem & tanta hæc erit ira Dei in Antichriſtum, Quia non eſt Deus in conſpectu eius, &c.

Non eſt Deus in conſpectu eius, inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore.

O quàm profunda cæcitas eſt Deum ante oculos non habere. Nam ſi vltimum malum putamus Solis lumina nõ videre, quàm male ergo habet, qui ſecundis rebus peccatorũ ſuorum eo perducitur, vt non ſit Deus in conſpectu eius? & contaminentur viæ eius omni tempore, id eſt ſemper cogitationes & conſilia eius immunda ſint? His decipulis currit homo

homo peccator in præcipitiũ, & dũ Deũ lucem deſerit, ſeipſum perdit, inordinato affectu deceptus. Nã queadmodũ ſęuiſſima eſt iniuſtitia habẽs arma, ita quando cæteris animãtibus homo pręſtat, induſtria pro cæco affectu ſuo magis ſęuire deprehenditur: & quo plus mediis abundat, eo difficilius à malo cohibetur quod affectat. Sic animalis homo nõ percipit ea quę ſunt ſpiritus Dei. Stultitia eſt enim illi, & nõ poteſt intelligere quia ſpiritualiter examinatur. Sic nõ recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris quæ meditatur in corde ſuo. Quemadmodum & qui fiſtulis delectantur, nõ poſſunt mentẽ commodare ſermonibus, ſi fiſtularũ ſonum exaudierint: nam affectus ita mentem viſco ſuo implet, vt (more vaſis pice referti) cæterorum nihil capere poſſit: atque interim is affectus peruertit & corrumpit rationis iudiciũ, quia hoc omnis affectus habet, vt in quod ipſe inſanit, cæteros furere putet. Vnde Eccleſiaſtes, Stultus per viam ambulãs, quũ ipſe inſipiẽs ſit, omnes ſtultos putat. Proinde cõtingit difficile inueteratũ peccatorẽ à via ſua mala dimoueas, ſed occaſione accepta peccatũ per mãdatũ operatur in eo omnẽ cõcupiſcẽtiã. Et (teſtãte Chryſoſtomo) ſicut fieri nõ poteſt vt ligna mittẽdo, ignem extinguas: ſic fieri nequit vt rationẽ reddendo places hominẽ moribus peruerſum. Exẽpli cauſa: Si cum impudico de pudicitia loquaris, & ſcorta vituperes, ipſe tũc propterea multo acrius excãdeſcit. Quẽadmodum per antiperiſtaſim calor circunſtans auget frigus aquæ putealis, & contrariũ ſui oppoſiti (niſi vicerit) vim excitat. Tũc enim & affectus augetur, & propugnatricẽ concitat iram, vt iam ex ratione quaſi repugnantia pelli debere credat. Maledicẽtibus enim & vilipẽdẽtibus ea quibus maxime oblectamur, ſtatim iraſcimur, vt qui philoſophia gloriantur, philoſophiã ſpernentes exoſos habent. Qui igitur vitia colentibus peccatorum ſentinam damnauerit, & diuinæ legis carmina, morbo huiuſcemodi contraria ceciderit, inſultationem neceſſe eſt reportet, indignationem, contumeliam, & odium. Quare Prouerbiorum cap. 9. ſcribitur, Qui erudit deriſorem, ipſe iniuriam ſibi facit: & qui arguit impium, ſibi maculam generat. Hoc criminũ turbine, nequitiæ ſuæ cauſa erit Antichriſtus, Deum præ oculis

1. Cor. 2.

Eccle. 10.

Rom. 7.

non habens, quin ab infantia à cacodæmone poſſeſſus. Sed propterea, ait Dauid, O Deus iuſte vindex, Auferuntur iudicia tua, &c.

Auferuntur iudicia tua à facie eius: omnium inimicorum ſuorum dominabitur.

Additur nefarium ſcelus Antichriſti, vt quum vindictam in ſe videbit eſſe dilatam, Deum non putet exercere iuſtitiam. Sic enim auferuntur iudicia Dei à facie impij, quando videt tardius venire, quod celeriter meruerat ſuſtinere. Animus ſiquidem malè ſibi conſcius, dum credit nihil pati, exiſtimat quòd non iudicet Deus: ſic peccatores fiunt tepidi, quippe qui neque amore, neque formidine pœnæ pręcepta ſeruãt: ſed omnia cõtemnũt. De quibus Hieremias cap. 6, Fruſtra conflauit conflator beneficij videlicet exhibitione vel pœnarum comminatione. Malitiæ enim eorum non ſunt conſumptæ, argentum reprobum vocatę: eos quia Dominus longe à ſe proiecit: eos videlicet quãtum ad protectionem & curam ſpecialem medendi languoribus pec-
Pſal. 94. cati. Hodie igitur ſi vocẽ Domini audierimus, nolimus obdurare corda noſtra, ne exacerbatos vt tepidos ab ore ſuæ protectionis & ſpecialis curę nos euomat: quoniã niſi traxerit, ad eum venire non poſſumus. Ioan. cap. 6. Quẽ tractum gratioſum demerito præcedentium delictorum elongat in-
Apoc. 22. terdum Dominus, vt qui in ſordibus eſt ſordeſcat adhuc: & pœnã cumulet, qui tractus culpam deſerere noluit. Sed nũc vnum addit Propheta quòd Antichriſtum audacius peccare faciet: quippe qui omniũ inimicorũ ſuorũ dominabitur, qui felicitate ſubnixus ad ſcelera pronior erit, quum nullũ ſibi reſiſtere poſſe crediderit. Cõtra quẽ fauſtum ſucceſſum peccantium ita inuehitur Hieremias cap. 12, Quare impiorum proſperatur via, bene eſt omnibus qui præuaricantur & iniquè agunt? plantaſti eos, & radicem miſerunt: proficiunt, & faciunt fructum. Iſtiuſmodi tamen tolerantiæ diuinæ cauſam reddit Pſalmographus, alio loco ita dicẽs, Quia
Pſal. 72. non eſt reſpectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum. Nempę poſt hanc vitam mors æterna, cruciatúſque gehennæ perpetuus eos manent, & interim vita hæc bre-

uis eis ærumnis plena eſt. Nam diſſident ſecum ipſi, & alia volunt, alia cupiunt, neque ſecum ipſi congaudent, neque condolent. Eſt enim in ſeditione eorum animus, quū interdum propter improbitatẽ doleat, ſi nihil ſcandali obtigerit: interdum verò lætetur, & modo huc, modo illuc rapiatur. Quibus fit(ſi omnia bene perpendis)vt nulla iniuſto hîc ſit tranquillitas ſeu requies. Quare & miſerabilior futurus eſt ipſe Antichriſtus, quando præ ſuperbia ſui, & ſuæ miſeræ conditionis oblitus, nihil amplius ſibi timebit: ſed omnia nihilifaciet: meritò tamẽ ita excæcabitur, Dixit enim, &c.

Dixit enim in corde ſuo, non mouebor à generatione in generationem ſine malo.

Moueri hîc intellige pro Mutari, à priori nimirum potẽtia atque à propriis viribus. Et quum dicit A generatione in generationem ſine malo, ſubintellige verbum(Ero vel Pertranſibo.)Generationem verò nunc ponit pro vita. Sic ergo his verbis Propheta plane mentem Antichriſti, atque eorum qui eius famulabuntur arbitrio, aperit: qui ſibiipſi, malitia faciẽte, perpetuum ac ſtabile dominium promittit, neque aliquam vltionem à quoquam reformidabit, ſed malis artibus & ope dæmonum (ſicut fecit Simon Magus) ſe futurum Deũm credet. Verũm enimuero quando ſimilia inaniter meditabitur, interim talis & turpior exitus eũ manet quàm vſquam dicto Samaritano Simoni fuerit, veluti perpulchrè deſcribit Paulus 2. ad Theſſalo. cap. 2. Nam diuina virtus & gratia in maximo præcipue certamine nunquam deſerit ſuos, quę incenſam maligni flammam tota celeritate reſtinguit, & omnem altitudinem deſtruit extollẽtem ſe aduerſum ſcientiam Dei. Propter quod neque præfatus Simon congreſſus aduerſus Apoſtolum Domini Petrum, potuit obtinere: quia veritatis lux & verbi diuini claritas, quæ ob ſalutem hominũ nuper effulſerat per Apoſtolum, totius mendacij diſcuſſa caligine de humanis mentibus ignorantiæ tenebras effugabat: & Magus veri luminis fulgore percuſſus, cæcitatem ſubitò male ſanæ mẽtis Romę incurrit, quippe qui iam & prius in Iudæa per eundẽ Apoſtolum de his, quibus viuebat, ſceleribus, confutatus, tranſ- 2. Cor. 10

marina fuga ab Oriente ad Occidentem vſque Romam venerat. Is enim Samaritanus, de vico qui dicitur Gittho, natus, Romæ quamplurimis per phantaſias deceptis, Deus decretus eſt, & ſimulachri honore donatus, quod in flumine Tiberis inter duos pontes collocatum habuit: etiam titulum Latinis literis ſcriptum, Simoni Deo ſancto. Sed poſt veram adoleſcentis reſurrectionem per angelum factam, quæ per Magum iactantem non potuit fieri, poſt volatũ etiam Magi precibus ſancti impetratum, idem Magus debilitato crureque fracto, Nariciam ſeceſſit, atque ibi mortuus eſt. Sic periit egregius omniũ immũdiciarũ magiæ atq; idololatriæ repertor, typũ gerẽs exitij peſſimi Antichriſti. Sic periit & Selene erroris huius Magi comes, quæ ipſo prius in proſtibulo proſtiterat apud vrbẽ Tyrum Phœnicis, & cũ ipſo poſtea, velut prima quędã mẽs, cõſecrata. Sic & Domin⁹ tandẽ perdidit impios. Huiuſce inſuper Antichriſti excidiũ præſignauit Nabuchodonoſor, cui (Danielis 4.) tale ſomnium fuit, Arbor in medio terræ, eius altitudo nimia, & eius proceritas cõtingebat cęlũ. Ecce vigil & ſanctus de cælo deſcẽdit clamãs fortiter, Succidite arborem & pręcidite ramos ei⁹. Vnde bonũ eſt nũquã altũ ſapere, ſed ſẽper timere. Rom. 11. Actus verò Antichriſti nunc vno verbo diffinit Propheta, quãdo ipſũ ſine malo nihil dicit eſſe facturũ. Sed quid in ore habebit etiã declarat, ſubnectẽs, Cuius maledictione, &c

Cuius maledictione os plenũ eſt, & amaritudine & dolo: ſub lingua eius labor & dolor.

Nũc nequitia Antichriſti duplici peruerſitate deſcribitur. In ore quippe habebit blaſphemiam, maledictionem, quum ſe Dei filium mentietur Sed nunquid magnum hoc maledictum tam nefandis actibus cælũ appetere, & ad capiendã æternã ſedẽ talia media exquirere? Porro in ore eius etiam erit amaritudo, quãdo aduerſarios ſuos pœnę mortis adiudicabit, & ad ſupplicia iubebit protrahi omnẽ, qui eũ, tanquã numẽ, contẽpſerit adorare. Hoc cruore, his dolis cõuerſur⁹ eſt multitudinẽ. Proinde ſub lingua ei⁹ nõ in lingua erit dolor & labor: nã tacitè iſta pẽſitabit, hominibus autẽ alia loquuturus eſt vt bonus & iuſtus & Dei filius videatur. Verũtamen

tamē ira in eo excogitabit cauſas calūniādi, quibus diuerſis cladibus affligat innoxios: & vbi culpa nō ſuberit, ira in pœnis neſciet modum tenere. Habet enim hoc ſibi peculiare iracundia, quòd nolit regi. Nam ipſi veritati iraſcetur, ſi cōtra voluntatem eius aliquid faciat. At(vt inquit Eccleſiaſticus) væ erit vulpi huic duplici corde & labiis ſceleratis, & manibus malè facientibus, & peccatori ingredienti viam duabus viis. Poſtea ſequitur, Sedet in inſidiis, &c. Eccle. 2.

Sedet in inſidiis cum diuitibus, in occultis ut interficiat innocentem.

Quū dicit Pſalmographus, Sedet in inſidiis: actus Antichriſti latronū conſuetudini comparauit, qui occultas vias inſidēt vt interficiāt innocētes. Et idcirco nūc ſcribitur, Sedere cū diuitib⁹, ſcilicet ſuis ſequacibus, quos de bonis pauperū raptis, locupletes fecerit: quorum nugacē felicitatē ad decipiēdos ſimpliciorū animos oſtētabit: & qui praua ambitione tales eſſe cupierint, dum bona æterna non quærēt, facile in laqueos eius incident. Sic verba palliata, ſic promiſſa nugatoria, ſic facta ſubdola aget, vt quoſcūque ſuis in reticulis complicare poſſit. Sed ſicut cuius pulchrum corpus, & deformis eſt animus, magis dolendus eſt quàm ſi deforme haberet & corpus: ita dum diſertè ea quæ falſa ſunt dicet, magis miſerandus erit, quàm ſi talia deformiter diceret. Nā hac ratione(vt inquit Hieronymus) Domino furabitur verba ſua: ídq; fiet in occultis, ita vt non facile quis tunc ab eo intelligat quid appetendum, quídve fugiendum ſit: vſqueadeo fucis & præſtigiis abundabit. Finis tamen omniū iſtorum erit, vt interficiat innocentem, hoc eſt, ex innocente faciat nocentem, de religioſo faciat ſacrilegum, & tandem animā perpetua morte damnet. Quāobrem oculi eius, &c.

Oculi eius in pauperem reſpiciunt: inſidiatur in abſcondito quaſi leo in ſpelunca ſua.

Leonē in cubili dicit hūc Antichriſtū in quo & vis & dol⁹operabitur. Prima enī perſequutio Eccleſię violēta fuit, quū ꝓſcriptionib⁹ tormētis, cędib⁹, vbiq; olim Chriſtiani ad ſacrificādū idolis cogerētur. Altera fraudulēta eſt quę nūc per

hæreticos & falſos fratres agitur. Tertia ſupereſt per Antichriſtum ventura, qua nihil eſt periculoſius, quoniã & violenta & frauduléta erit: vim habebit in imperio, dolum
2.Theſ.2. in miraculis. Ipſe enim (vti teſtatur Paulus 2. ad Theſſalo.) apparebit ſecundum operationem Sathanæ in omni virtute & ſignis & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis, magia homines deludens, ſicut & fecit Simon Magus cuidam qui ſe eum occidere putans, tãtum arietem præſcidit. Hoc modo ipſe Antichriſtus virtute dæmonis faciet miracula, ſeu (vt verius dicam) mirabilia. Nam quum creatura corporalis dæmoni obediat, ad nutum quantũ ad motum localẽ ſubito applicat actiua paſſiuis. Vnde in ictu oculi fiunt mirabiles effectus: quomodo fecerunt malefici AEgyptiorum incantationibus ſuis coram Pharaone virgas ſuas cõuerti in dracones, atque verterunt aquas in ſanguinem. Exodi cap. 7. & 8. Dæmones ſiquidem quanuis mali, tamẽ naturã ſuam nõ amiſerũt: quippe, teſtãte Dionyſio, in lib. de cæleſti Hierarchia, naturalia remanſerunt in eis integra: idcirco dum per incantationes malefici aliquid efficere conantur, mira celeritate diſcurrunt per mundum, & ſubito ſemina eorum de quibus agitur, adferunt, ſicq; ex illis, permittente Deo, nouas rerum ſpecies producunt per nouam applicationem actiuorum & paſſiuorum inuicem. Quemadmodum & ars fabrilis admoto igne ferrum mollificat, & tunc angelus mouet hanc materiam corporalem, quia præſens eſt ei, & quia vult eam mouere, Deo non impediẽte, ei quoque tunc ex natura ſua ſufficit hæc vnio præſentiæ ad corpus. Iſto modo Antichriſtus portentis abundabit, præſtigiis paſſim illudet: ita vt (ſicut Dominus ait in
Matth.24. Euangelio) ſeducat, ſi fieri poteſt, etiam electos: tamen hæc ſigna propriè non erunt miracula: quum miraculum ſit ſignum omnem vim naturæ excedens. Summum gradum in miraculis tenet illud quod fit à Deo, & quod nuſquam na-
4. Re. 20. tura facere poteſt: vt ꝙ Sol recedat, vel ſtet, vti fuit tempore
Eſa.38. Ioſue. Secundus gradus eſt, quãdo Deus aliquid facit quod
Ioſ.10. natura facere poteſt, ſed non per illum ordinem: Opus enim naturę eſt quòd animal viuat, videat, ambulet, &c. ſed quòd poſt mortem viuat, poſt cæcitatem videat, hoc natura

non

non attingit, ſed Deus. Tertius gradus eſt quum Deus facit quod conſuetum eſt fieri opere naturæ, tamen abſque naturæ principiis atque mediis: vt quum ſubito ſanauit ſocrũ Petri, quæ tenebatur magnis febribus, illuminauit cæcum natum, appoſito luto: tunc ſi non in facto, tamen in modo operandi miraculum fuit. hæc ſunt ſigna quæ boni faciunt per publicam iuſtitiam, & non vt decipiant: qualiter intendit dæmon ſuis in mendacibus apparitionibus. Memineris tamen ſemper miracula eſſe vera teſtimonia eius ad quod inducuntur. Vnde à malis, qui falſam doctrinam annuntiat, nunquam fiunt vera miracula ad confirmationem ſuæ doctrinæ, quanuis quandoque fieri poſſint ad cõmendationem nominis Chriſti, quod inuocant, & virtute ſanctorum, quam implorant. Ab his autem qui veram doctrinam prædicant, fiunt quãdoque miracula ad confirmationem doctrinæ tantum, & non ad explicationem ſanctitatis: & hæc etiam per malos fieri poſſunt: quia per quẽcunque qui veram fidem prædicat, & nomen Chriſti inuocat, fiunt, vti in Euangelio legimus, Nõne in nomine tuo dæmonia eiecimus? &c. Et ſequitur, Amẽ dico vobis, neſcio vos. Alio modo miracula ſunt ad demonſtrationem ſanctitatis alicuius, quam Deus vult omnibus proponere in exemplum, & iſto modo non fiunt niſi à ſanctis vel in vita, vel etiam poſt mortem. Miracula hęc ſunt ſigna & prodigia cũ quibus noſtra fides radicata eſt: hæc ſunt quæ adhuc fideliũ deuotionem nutriunt. Iſtis vero & pauperculis Chriſti colis inſidiabitur Antichriſtus, quaſi leo in ſpelunca ſua. De leone refert Plinius eum in ſenecta hominem appetere, quoniam tunc ad perſequendas feras ei vires amplius non ſuppetunt: ita ſeneſcente orbe, & iam quaſi ſtudioſis hominum moribus euaneſcentibus, iſte cacodæmonis diſcipulus mortalibus inſidiatur, &c.

Luc. 4.
Ioan. 9.
Matth. 7.

Inſidiatur ut rapiat pauperem, rapere pauperem dum attrahit eum.

Iteratio inſidiarum verſutias perſequutoris oſtẽdit: Antichriſtus enim deceptis dabit honorem & gloriam plurimam, & faciet cæteris qui in Iudęa fuerint dominari, & pro

prævaricatione poſſeſſiones conferet, & dona diſtribuet, terram ſuo exercitui diuidet, quóſque terrere nequiuerit, ſubiugabit auaritia: tales erunt eius inſidiæ. Rapere vero pauperem, ſignificat ſubitum periculũ animæ ad quod ille nefandiſſimus trahere nitetur innocentes. Deinde ad expoſitionem priorum ſequitur decora repetitio. Nam vt nõ putares pauperem raptum, aut fiſci debito, aut interpellatione cauſæ ciuilis, geminauit Rapere pauperem, & mox cauſam perſequutionis annectit, DVM attrahit eum, id eſt dum illum à veritate culturæ ad nominis ſui venerationem molitur adducere. Nã, vt ſcribitur Danie. ca. 11, Deũ patrũ ſuorũ non reputabit, nec quenquam deorũ curabit: nempe aduerſum vniuerſa cõſurget. Sed quia quãplurimos inſtructis dolis ita capiet, idcirco ſequitur, In laqueo ſuo, &c.

In laqueo ſuo humiliabit eum, inclinabit ſe & cadet, quum dominatus fuerit pauperum.

Laqueus ſignificat quo ſimplicium corda capiuntur, & velut nodo peruerſitatis miſerrime alligantur. Sed recte ait, Humiliabit eum in muſcipula ſua: ſicut auceps primum abſcondit ſe in tugurio, & cadit inclinatus in terrã ne videatur ab auibus, & hac arte inconſideratas auiculas ferit. Ita hic peſſimus Antichriſtus ſuis fictis operibus (quibus ſe Deum mentietur) humiliabit incautum, & tandem inclinabit ſe, videns omnia ſibi ſubdi, & quaſi malorum copia ingurgitans poſt ſanctorum tormenta afflictionéſque, aliquod ſibi inde otium promittet. Sed cadet cum domina-
1. Theſ. 5. tus fuerit pauperum, quia dum exiſtimabit ſe longè eſſe à morte, tunc repentinus ei ſuperueniet interitus. Nam (vt ſcribit Hieronymus in Danielem, ca. 11,) ipſe pugnans cõtra AEgyptios, Libyáſque & AEthiopas, & tria cornua de decem cornibus cõterens, auditurus eſt de Aquilonis & de Orientis partibus aduerſum ſe bella conſurgere: quò veniens cum magna multitudine, vt conterat & interficiat plurimos, figet tabernaculum ſuum in Apaduo iuxta Nicopolim (quæ prius Emaus vocabatur) vbi incipiunt Iudææ prouinciæ montana conſurgere. Et quũ fixerit tabernaculum ſuum in montanę prouinciæ radicibus, inter duo maria,

maria, mare videlicet quod nunc appellatur mortuum, ab Oriente, & mare magnum, in cuius littore Cæſarea, Ioppe, Aſcalon, & Gaza ſitę ſunt. tunc veniet vſque ad ſummitatem montis eius, hoc eſt montanæ prouinciæ, id eſt verticẽ mõtis Olineti (qui inclytus vocatur, quia ex eo Dominus atque Saluator aſcendit ad Patrem) & nullus Antichriſto tunc amplius poterit auxiliari contra eum Domino ſæuiente: ſed, vt antea diximus, is eſt periturus, & meritò cadet. Dixit enim &c. Ioſue 3.

Dixit enim in corde ſuo, oblitus eſt Deus: auertit faciem ſuam ne uideat in finem.

Nimis ſtulta cogitatio: Crediturus eſt Antichriſtus Deũ hæc inferiora non curare: & ipſum diſſimulare, quando ei honorem ſacrilegus conabitur auferre. Hic eſt lapſus & caſus miſerrimus humani animi ſuis iniquitatibus ſepulti, qui tunc ignoſci ſibi putat, dum ſeruatur ad vltimam opportunámque vindictam: interim nullam eſſe Dei præſcientiã, ſed potius fato quodam terrena iſta contingere credit. Sed nulla apertior inſania quàm confiteri eſſe Deum, & negarę præſcium futurorum, qui optime & veraciſſime creditur & cuncta ſcire antequam fiant, & nihil inordinatum relinquere: à quo ſunt omnes poteſtates, qui dicitur omnipotẽs, faciẽdo quod vult. Vnde abſit à nobis eius negare præſciẽtiam, vt liberi eſſe velimus, quo adiuuante etiam ſumus liberi: quippe neque hæc præſcientia neceſſitat, ſicut dum naturali euidentia iudicat creatura parietem eſſe, neque propterea paries neceſſario eſt: ſed & hoc Dei auxilium, cauſa eſt non antecedens, ſed concomitans noſtram voluntatem: quare non neceſſitat. Proinde non fruſtra ſunt leges, obiurgationes, exhortationes, laudes, & vituperationes, quia & ipſas futuras eſſe præſciuit Altiſſimus, & valent plurimum quantum eas valituras eſſe præſciuit: & preces valeat ad ea impetranda quæ ſe precantibus conceſſurum eſſe præſciuit. Nam iuſta præmia bonis factis, & peccatis ſupplicia conſtituta ſunt: neque enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturũ eſſe præſciuit: immo ideo nõ dubitatur ipſum peccare, quũ peccat: quia ille, cuius Rom. 13.

præſcientia falli nõ poteſt,non fatũ, non aliquid aliud, ſed ipſum peccaturum eſſe præſciuit: quiquidẽ homo, ſi nollit, omnino non peccat:ſed ſi pec care noluerit, etiam hoc ille præſciuit. Quare diuerſum pactum, diuerſúſque huius primi agentis ad cauſas ſecundas concurſus, vnam facit cauſam liberam, alteram naturalẽ. Verum ad ſcopum vnde digreſſi ſumus, redeamus. Quando ita peſſimè excæcabitur
Matth. 8. Antichriſtus, longe à ſuo Creatore factus, tũc fluctuans Eccleſia(ſicut nauis in tempeſtate)Deum tanquam dormientem excitat, dicens: Exurge Domine, &c.

Exurge, Domine, & exaltetur manus tua: ne obliuiſcaris pauperum.

Exurge, dicitur citius Surge, hoc eſt velociter veni, & manifeſta ſit potẽtia tua cõtra filium iniquitatis. Exaltetur manus, quæ & operationẽ ſignificat. Sed iſta Dei operatio, iudicium eſt quod expectamus eſſe venturum, & quod accelerari poſtulabunt ſancti, vt is conteratur & pereat qui ſe ſine fine omnia poſſidere inaniter iactabat. Illud enim tẽpus deſyderabũt venire, in quo iſte ſuperbus poſſit occumbere. Sequitur, Ne obliuiſcaris pauperum. Quibus rogat propheta ne iuxta votum Antichriſti Deus Chriſtianorum obliuiſcatur in finem ſeculi, vbi futura eſt retributio meritorũ:ſed tunc iuſtitia & miſericordia ſimul erũt. Iuſtitia malos perdet, bonos præmiabit: miſericordia rigorem iuſtitiæ temperabit, meritis vberiorem mercedem reddet. Iſtæ ſunt duæ molæ quibus hæc mundi machina in preſſu-
Deut. 24. ra & tribulationum molendino regitur: vna ſuperior, quæ & ſpem ad alta promouet:altera inferior, quæ cor & mentem deprimit, atque timere facit. Vna ſine altera inutiliter habetur, ou ia fruſtra miſericordiã ſperat, qui iuſtitiam non timet: & incaſſum metuit, qui non confidit. Itaque nunc de hoc iudicio vniuerſali intelligẽs & exultans Propheta ait, Propter quid, & cæt.

Propter quid irritauit impius Deum? dixit enim in corde ſuo, Non requiret.

In hoc verſu, mirabili breuitate & ſciſcitatio pręmittitur, & conueniens

& conueniẽs reſponſum ſequitur:interrogando enim pronuntiandum eſt, Propter quid irritauit impius Deum?deinde reſpondendum,Dixit in corde ſuo non requiret. Conſtat enim Dominum irritatum,quãdo eum impius facta ſua non putat poſſe requirere,ſed inueniet memorẽ, dum exiſtimabit oblitum,& tunc malus inſperatò ad gehennam parabitur, quando ſibi refrigeria promittet. Deus ſiquidem qui fecit hominem rationale animal ex anima & corpore, qui bonis & malis eſſentiã,etiam cum lapidibus vitam ſeminalem,& cum arboribus vitam ſenſualem,etiam cum pecoribus vitam intellectualem,cum ſolis angelis dedit, neq; ipſum hominem peccantem impunitum eſſe permiſit, nec ſine miſericordia dereliquit, vſqueadeo omnia mira prouidentia gubernat. Quare decipitur impius dum blaſphemans,aſſerit,Non puniet Dominus, ſiue quia impotens,ſiue quia neſciens: quippe res non ita ſeſe habet vt credit. Nam tu Deus vides,quoniam tu laborem,&c.

Vides quoniam tu laborem & dolorem conſideras,ut tradas eos in manus tuas.

Hic aperte inſinuat Dauid quoniam nullus Domino illudere poſſit. Vides(inquit)laborem & dolorem, quos ille perfidus homo peccati,dum ſub lingua habebit,à te prorſus ignorari credet,ſed tradetur in manus tuas, quia digna factis recipiet. Quapropter non iam putet peccator ſe euaſiſſe, ſi illum bonitas Dei patitur diu peccantem : nec patientiam Domini putet contemnendam,quaſi non curantẽ res humanas. Intelligat autem ideo à ſe diſſimulari, quia non in hac vita iudicium Dei promiſſum eſt futurum, vt in ventura vita pœniteat illum, iudicem Deum non credidiſſe.In pœna enim poſitus ſine fructu pœnitentiam pœnitebit,quia nõ credidit iudicium Dei quod videt verum. Neceſſe eſt enim vt acrius emẽdetur,immo pœnis perennibus torqueatur,quem patientiæ longanimitas non emendauit. Interim Dominus pauperem diu afflictum ſubleuabit. Et meritò tu,Deus optime,ei ſuccurres, ipſum & tuendo & liberando à potente,Quia tibi derelictus eſt,&c.

Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor.

Sermone facto de impiis, atque ipſis cõmotis, redit Propheta ad iuſtos, vt ſicut illi digna factis recipiunt, ita iſti promiſſa præmia conſequantur. Vnde Domino nunc ait, Tibi derelictus eſt pauper, qui ab omnib⁹ eſt ſpretus, vt tu ſolus ſis ſpes eius: quare & ei ſepiuſcule manũ ſupponis, quemadmodũ nutrix puero nondum firmos greſſus habẽti: iuſtitia dirigis, vt bene incedat: miſericordia ſubleuas, ne cadens nimiũ lædatur. Cæterũ ipſum ſic paſcis hîc beneficiis, vt quũ velis, claudas manũ, & eget: aperias, & abũdat.

Pſal. 144. Vti alio loco ſcribit Pſalmographus, Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eſcã illorũ in tempore opportuno: Aperis tu manũ tuã & imples omne animal benedictione. Tum demũ calicẽ tribulationis quẽ prægustaſti, prout

Pſal. 74. expedit, ei propinas: hũc humilias & hunc exaltas: quia calix in manu tua vini meri plenus mixto. Sic diſcit pauper iuſtus æquanimiter omnia propter te ſuſtinere: ſic eum

Deut. 32. paulatim bonis cumulas, ne ſi forte ſimul omnia ei dones, ſtatim impinguatus, incraſſatus, dilatatus recalcitret. Mirũ vero quod Eſaiæ cap. 49, ei promittis, dicens, Nunquid poteſt mulier obliuiſci infantẽ ſuũ, vt nõ miſereatur filio vteri ſui? & ſi illa oblita fuerit, ego tamẽ nõ obliuiſcar tui: ecce in manibus deſcripſi te. Quæ verba ſatis clarè oſtendunt quomodo etiam orphano (cui mortuus eſt pater mundus, & mater concupiſcentia eius) tu eris adiutor, cui impius fuit perſequutor. Ergo contere, &c.

Contere brachium peccatoris & maligni: quæretur peccatum illius & non inuenietur.

In mentem Prophetæ ſubit Antichriſti nequitia: rogat ne illi diutius bacchari liceat in ſanguinẽ ſtudioſorũ. Propterea expetit confringi illius fortitudinẽ, quã per brachiũ ſignificat. Neque dubiũ eſt perire ſceleſtã poteſtatẽ, cuius damnandũ conſtat authorẽ. Quare ſi forte aliquando quærat ipſum Dominus ad pœnitentiã, nec inuenietur eius delictũ ad emendationẽ. Vnde in malitia expellitur impius. (Prouerb. cap. 14) & mortuo eo, nulla amplius illi ſpes relinquitur.

linquitur. Prouerb. cap. 10. Qua de re fit, ſi certa ſit Eccleſia de cuiuſquã improbi finali impœnitẽtia, vt neq; poſtea pro eo oret, ſicut nec pro malo dãnato angelo. Nã vbicũq; ceci derit lignũ ibi erit. Neq; mirũ ſi tandẽ ceſſabit effrænata hu ius Antichriſti licẽtia, nã ſatis ſupérq; ſatis repurgatis Chri ſticolis, nulla amplius caſtigatione opus erit: veluti plano ferro nõ opus eſt lima. Quapropter quẽadmodũ pater emẽ dato filio flagellũ quo eum ante cecidit, poſtea dat vltricib⁹ flammis: ita & hic miſerrimus ſcelerũ vltor, tandem æterno igni cruciandus reſeruatur. Itaque Antichriſtus peribit, qui ad tempus floruerit: Sed Dominus regnabit, &c. Eccleſ. 11.

Dominus regnabit in æternum, & in ſeculũ ſeculi: peribitis Gentes de terra illius.

Extincta clade generali, ad futurarum rerum ordinem deſcendit regius Vates, nempe mortuo Antichriſto: vti innuere videtur textus Apocalypſis, cap. 17, Decẽ Reges qui poteſtatem accipient poſt beſtiã, cum agno pugnabunt, & agnus vincet illos, quoniã Dominus dominorũ eſt, & Rex regũ. Tum demũ Apocalypſis cap. 20. ſcribit Ioãnes, Ligã dus eſt diabolus per annos mille: vt numerus determinatus pro indeterminato vſq; ad extremũ iudicium probabiliter intelligatur. Quo ĩteruallo oportet illũ ſolui breui tẽpore: quãdoquidẽ interim veniet Gog, cui⁹ perſequutio durabit modicũ. Antichriſto ſiquidẽ interẽpto, ĩcipiet (vt nõnullis placet) ſeptimus Eccleſiæ ſtat⁹, in quo ipſa pace donabitur: & tunc Dominus aperte regnabit in ſuis, niſi quòd ad paruum ſpatium adhuc Eccleſia vexanda eſt: quemadmodũ teſtari videtur idem Ioannes ibidẽ cap. 8, ita narrans, Quum aperuiſſet ſigillũ ſeptimum, factum eſt ſilentiũ in cælo, hoc eſt Eccleſia, quaſi media hora, id eſt vſq; ad Gog, inter quẽ & Antichriſtũ erit modicũ ſilẽtiũ ſeu pax Chriſticolis. Sed Gog poſtmodũ ſubrepet vt repentina tẽpeſtas ad perſequẽdũ iuſtos, veluti perbelle aſſerit Matthæus, dicẽs, Sicut erãt in diebus Noe, ante diluuiũ, comedentes & bibẽtes, & nubentes, & nuptui tradentes, vſque ad eum diẽ quo intrauit Noe in arcam: & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus Filij hominis. Quæ pax Matt. 24.

& ſecuritas in qua conuiuia & cõnubia abſque timore exer centur, non videtur fore modici & breuis temporis: ſed ad
Apoc. 20. ſpatium per Apocalypſim percantatum referenda. Poſt cuius Gog interitum, Chriſtus ad extremum iudicium veniet, tanquam triũphator omnia diſcuſſurus. Abacuc cap. 1, Congregabit quaſi arenam captiuitatem, & ipſe de regibus triumphabit, expolians principatus & poteſtates, quã-
Coloſſ. 2. do tradiderit regnum Deo & Patri, quando erit Deus om-
1. Cor. 15. nia in omnibus. Sed quid Gog & Magog deſignent (quanuis Auguſtinus aliud non intelligat niſi per Gog, odium malorum tectum, & per Magog ipſum odium detectum) tamen verba Ezechielis cap. 39, non improbabiliter ſonare videntur aliquas Barbaras Gentes incluſas, quæ in hac vltima perſecutione erumpent contra Chriſticolas, nouiſſimo imminente iudicio quæ vſqueadeo ſæuient, vt & hominum carnes crudas comedant, & ſanguinem bibant: ſicuti ſcribit idem Ezechiel loco prædefinito, Dic (inquit) omni volucri & vniuerſis auibus, cunctiſque beſtiis agri, conuenite, properate, concurrite vndique ad victimam meã, quã ego immolo vobis, victimã grandẽ ſuper montes Iſrael, vt comedatis carnes & bibatis ſanguinẽ: carnes fortium comedetis, & ſanguinem principum terræ bibetis. Et has Gentes nõ incredibile eſt nunc intelligat Vates de ter
Eſaiæ 26, ra regnóque Chriſti eiiciendas, inſtante iudicio. Nam ſcri-
ſecundum ptum eſt, Tollatur impius ne videat gloriã Dei quam pau-
Septuag. peres poſſidebunt: Quippe deſyderium pauperum, &c.

Deſyderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua.

Bene vota iuſtorum verbis congruis exprimũtur. Nam deſyderium iuſtorum & hîc eſt cum Deo per fidem, & in æ-
Sapien. 9. ternũ erit cum illo per ſpem. In hac tamen cõditione mortali, & corpore corruptibili quod aggrauat animam, ſemper timendum eſt: nam tametſi ratio imperet, nequaquam ſine conflictu vitiis imperatur: & vtique aliquid ſubrepit infirmitatis etiam bene confligenti, ſiue hoſtibus ſuis victis ſubditiſque dominanti. Quare quum illa quæ hîc reſiſtunt, periculoſo debellãtur prælio, & illa quæ victa ſunt, nondũ
ſecuro

ſecuro triumphantur otio, ſed adhuc ſollicito premuntur imperio, quid mirum ſi in tantis tentationibus, iuſtus ſemper ſuum deſyderium ad Deum figit, qui ſuperbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam? Vnde exaudit eum Dominus vt vindicet contra impios: & præparationē cordis eius (quia æternum quod hîc non videt, ſperat, & per patiētiam interim expectat) audit auris Altiſſimi. Aurem vero non membrum corporeum in Deo, ſed potentiā qua preces noſtras acceptat, intelligere debemus: ſicut potentia qua videt, oculus: qua perficit, manus dicitur. Deſyderiū vero tuorū, Chriſte, imprimis eſt hoc, ſcilicet te Iudicare pupillo & cæt. Iaco. 4. & 1. Petr. 5.

Iudicare pupillo & humili, ut nō apponat ultra magnificare ſe homo ſuper terram.

Ecce authoritate Prophetica commonemur non ſolum quēlibet pupillum, ſed pupillum & humilē Deo eſſe gratiſſimū. Hîc vero datiuo nō accuſatiuo caſu loquutio eſt, hoc eſt non vt pupillum iudicet Altiſſimus, ſed vt iudicetur pupillo, & humili, quatenus accipiāt vitam æternā, & amplius non extollantur ſiue Antichriſtus, ſiue Gog, ſiue Magog, cōtra tuos electos, Chriſte. His beſtiis deſtructis, tūc adueniet ea pax, de qua Eſaias cap. 2, Erit in nouiſſimis diebus præparatus mons Domini, & fluent ad eum omnes Gentes, conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces, non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium.

IN PSALMVM DECIMVM.

IN *Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in montem ſicut paſſer?*

Decimus iſte Pſalmus contra hereticos & infideles decātatur: cui ad veritatem Hebraicam Hieronymus pro titulo præpoſuit, Victori Dauid: quaſi hîc nomen Victoris ſit nomen officij, aut modi muſici: & propterea is Pſalmus aſſignatus eſt ipſi Dauidi, tanquā præſidenti in illo actu muſico. Nūc vero Eccleſia hæreſibus preſſa, cōtra hæreticos ſe-

ipſam munit. Neque id mirum:oppugnant ſiquidem illam ſemper,quãuis nunquam eam expugnare valeãt: aduerſus
Matt.16. quã(Domino teſte)nec inferorũ portæ præualebũt. Nõ mihi diues Ciceronis lingua ſufficiat, nõ feruens Demoſthenis oratio,ſi velim eorũ fraudulẽtias prodere:quorũ toxicũ eò cæteris peius eſt,quòd quũ ſit peſtilentiſſimum,latius ſe diffundit, acutius penetrat, tenacius adhæret, atque ideo difficilius curatur. Sed certe quemadmodũ olim Iebuſæus ſemper manſit inter filios Iſrael,in ipſa etiã Hieroſolyma, nec vſquã deleri potuit(Deo ita aut permittente aut diſponente ad Iudęorũ deſidiã excitandã,vt videlicet agnoſcerẽt ſe inter eos habitare quos perimere,& propter quorũ inſidias ſibi timere oporteret) ita nũc quãdo inſurgũt hæreſes, ſic erudimur cautius vigilemus, & ambulemus. neque interim fruſtra contingunt. Nam tandẽ ſic non ſolũ debemus his qui bene dixerunt,ſed & his qui male. Quippe falſo oppugnato,veritas poſtea clarius agnoſcitur, agnita ardẽtius amatur,amata denique acrius defenditur. Quapropter nõ
1.Cor. 11. abs re dixit Paulus, Oportet hæreſes eſſe, vt qui probati ſunt,manifeſti fiant. Sed huius veneni ſi quæritur origo, imprimis ex officina ethnicorum Philoſophorum prodiiſſe videtur, vti perpulchre quidam noſtrorum ait,Philoſophi,patriarchæ hæreticorum,Eccleſiæ puritatem peruerſa maculauere doctrina. Vnde Manichæus electos ſuos quos inter animas Platonis in cęleſtib⁹collocat,dicit omni carere peccato,nec ſi velint poſſe peccare: & id veneni ex Platone maxime deſumptũ eſt. Sic Origenes fons eſt Arrij(referente Hieronymo) dũ male ſentit de Filio, reſurrectionẽ quoq; carnis verbo tantum confitetur, cæterũ aſſertione deſtruit. Hoc forte putaſſe videtur in fide,quod in Pithagora & Platone & Empedocle legerat. Inde etiã formæ neſcio quæ,& trinitas hominis,apud Valentinũ: Platonicus enim fuerat. Inde Martyrius Deus melior de trãquillitate à Stoicis venerat. Et quonã pacto anima interire dicatur,ab Epicureis obſeruatur:& vbi materia cũ Deo æquatur,Zenonis diſciplina eſt·& vbi aliquid de igneo Deo allegatur,Heraclitus interuenit. En igitur caueãt qui aſſidua in libris prophanorũ hominũ lectione detinẽtur:& hoc maxime,ſi illis ab infan-

rb infantia ſine vlla rerum diſcretione imbuuntur. Nam quod maximè componit hominis animum, lectio eſt: in his vero prophanis libris multa reperies quę cum fide catholica velut ex diametro pugnāt, multa quæ ad vitia alliciunt, & à virtute reuocant: & id maxime apud Poetas, in quibus turpia ſunt in pretio: quum & illa non dedignētur ſuis diis aſcribere. Propter quod nō immerito Plato huiuſmodi Poetas à ſua republica abigit: & Paulus ad Coloſſen. admonet, Coloſ.2.
Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam & inanē fallaciā, ſecundū traditionē hominū, ſecundū elementa mūdi, & nō ſecundū Chriſtum. Conſiderantes enim has creaturas viſibiles, credūt impoſſibile factu hominē poſſe naſci de virgine, mortuū reuiuere, & cętera ſuperhumana quæ fides noſtra recipit. A philoſophis ſiquidē naſcitur mira dicendi libertas, adeo vt nūquam credant alicui, niſi manifeſtis argumentis & euidentibus id comprobetur. Vnde euenit vt quę eorum iudicio non conueniunt, ſtatim reiiciant. At fides talem argumentorum euidentiam non patitur, ſed exigit 2.Cor.10.
captiuemus intellectum in obſequium Chriſti. Ideo merito ait Paulus, Iudæi ſigna petunt & Græci ſapientiam quærunt: nos autē prædicamus Chriſtū crucifixū, Iudæis quidē ſcandalū, Gentibus ſtultitiā: ipſis autē vocatis Iudæis atque Græcis Chriſtū Dei virtutē & ſapientiā, quia quod ſtultum eſt Dei, ſapiētius eſt hominibus. Ex his igitur ſatis patet quàm facile decipimur, ſi ſacra cum faſtu legere velimus, nimium prope innitentes ſententiæ. Nanq; per hoc fit vt propriis inuētis magis atque magis delectemur, popularē gloriolā captātes. Inde naſcitur obſtinatio, & pertinacia, porta ad hæreſim latiſſima. Itaq; Eccleſia his tātis reticulis vallata, dū plurimos Mercurios, propter nūmorum cupiditatē, aut nocturnos Amphitriones ob ſolutā laſciuiam, ſiue Liberū Patrem, vel Epicuros Chriſtianos, ſemper rubente facie, & ſpumātibus labiis, effrēnatiſq; cōuitiis ſuſtinet, qui & ſuos ab ea auertere atque ſeparare exquiſitis fraudibus moliuntur, affirmantes quod apud ipſos ſit CHRISTVS, & quaſi pie ſtudioſéque admonentes vt ad eos tranſeundo tranſmigremus ad Chriſtum, quem ſe habere mentiuntur, quid in tanto certamine Chriſtiano loquendū ſit nunc 1.Cor. 1.

oſtendit. Id videlicet, Vnum mõtem teneo in quo confido: quomodo dicitis vt ad vos tranſeam, tanquam multi ſint CHRISTI? Nullus iam patet locus inſaniæ Mõtani, qui tres quadrageſimas quotannis celebrabat quaſi tres paſſi fuiſſent Saluatores. Sed (vt inquit Hieronymus) Chriſticolæ vnam quadrageſimam, ſecundum traditionem Apoſtolorum, toto anno tempore ſibi congruo ieiunant, vnum ſolum Saluatorem tenentes. Siue in Domino, humilitatis patre, eſt ſpes mea, quomodo ad veſtros montes, hoc eſt ad veſtram ſuperbiam tranſmigrabo? (ait Eccleſia.) Quod autem hîc ſcribitur, Sicut paſſer: memineris paſſerum plurima eſſe genera: alij gaudẽt ad foramina parietum, alij valles roſcidas requirunt: nonnulli montes appetunt ſqualentes: ſed nunc de illis dicit qui ad altiſſima loca terrarum, leuiſſima voluntate rapiuntur, vt his merito ſimiles æſtimentur qui ad nequiſſimas prædicationes leuitate inconſtantis animi Epheſ. 4. transferuntur, & omni vento doctrinæ non ſanæ circunferuntur. Sed ideo (ô fideles) in Chriſto maximè eſt fidendũ.

Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittẽt in obſcuro rectos corde.

Hîc peccatores, hæreticos appellat, qui contra Eccleſiam tetenderunt arcum, potentiam verboſitatis ſuæ. Vnde fit vt in contentionum certamine exquirant, & de Deo, qui pax noſtra eſt, loqui pacifice neſciant: ſed ex pacis negotio, rixę inuẽtores ſunt: atque hæc faciunt, quia nec vicini facti ſunt fidei, & propterea diuinas Scripturas abſque vllo timore contemerant, & corrũpentes eas, emendare ſe dicunt. Quũ ergo ad hoc deuentum ſit vt illud ſolũ habeant aſylum, Scripturas radere, quibus debellandi erant, vel hoc argumento conuincitur propriam eorum cõſcientiam aduerſus eos pugnare, apertéque cognoſcere ſacram Scripturam illis eſſe contrariam. De talibus, ad Philippenſes cap. 2. ait Paulus, Vnanimes idipſum ſentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam. Non eſt igitur æquum vt ſacræ Scripturæ expoſitionẽ ab hæreticis recipiamus, quũ eam illos aliquando violaſſe comperiamus. Non enim auderes

deres cibum corporeum ſumere ex iſtius manu, qui ſemel aut iterum venenum propinauerit. Mulier illa apud Lucã, dragmam quærens, intra domum quærit non extra: ſic etiã intra Eccleſiam quęrendum eſt ſiquid inuenire cupis quod ad veram fidem pertineat. Qui panes petit apud Lucam, vicini ianuã pulſat, nõ alicuius extranei. Vicini omnes Chriſtiani ſunt, intra vnã eandẽmq; fidei ciuitatem cõmorãtes. De hæreticis autẽ qui foris ſunt, nihil ad nos: hi parauerũt ſagittas ſuas (verba videlicet doloſa) in pharetra, id eſt in ſemetipſis. Nam ipſi ſunt pharetræ vbi falſa dogmata & ſententias venenatas quas de Scripturis ſanctis conficiunt, occultas retinent. Propterea quum filij non ſint quibus hæreditas in teſtamento legata ſit, nullum prorſus ius habere videntur inſpiciendi teſtamenti paterni, quod eſt ſacra Scriptura, ſiue ipſam interpretandi. Si enim non erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ (vt ait Apoſtolus) multominus erit hæres alienigena cum filio liberę. Vnde Tertullianus in libro de præſcriptionibus hæreticorũ, ait, Non Chriſtiani nullum ius capiunt Chriſtianarũ literarũ: nam quomodo poſſunt bene aut ſentire aut loqui, quum ſint ipſi mali? Hi enim (vt inquit Gregorius) quia Scripturam ſacrã intelligere ſua virtute moliuntur, eam proculdubio apprehẽdere nequaquã poſſunt. Quã dum non intelligunt, quaſi nõ edunt, immo verius rodunt, ad corticem vix peruenientes: & nuſquam eius interiora attingentes. Sed ſagittant in obſcuro rectos corde, vt quum viderint in Eccleſia imperitos quoſq; vel ſimplices, tandẽ ſuis laqueis, & occultis decipulis alligent. De quibus ſcriptum eſt in Eſaia, Telam araneæ texũt, quę parua & leuia poteſt capere animalia, vt muſcas, culices, & cætera huiuſmodi: à fortioribus autẽ rumpitur. Ita & iſti, viros in fidei veritate robuſtos nõ valent obtinere, qui incautos idiotáſque feriunt. Quod vero nũc ſcribitur (in obſcuro) Græca dictione σκοτομήνη ſignificãtius exprimitur, quæ noctem ſignificat quãdo luna obſcurata eſt: & quam Latinè vnico vocabulo dicere poſſumus obſcurilunium. Nã ſiquis eo tempore percuſſus fuerit, inimicũ videre nõ poterit. At quum nũc regius Pſaltes ſubiungit Rectos corde, inſidias talium oſtendit inanes & vanas. Recti ſi-

Luc. 15.

Luc. 11.

Gala. 4.

Eſa. 59.

quidem corde non ſunt, niſi qui nulla iniqua decipi perſuaſione potuerunt. Ergo catholica anima ſuper hoc exultans, ſermonem ab ipſis cõuertit ad Dominum, ita vociferans, Quoniam quæ perfeciſti, &c.

Quoniam quæ perfeciſti deſtruxerunt: iuſtus autem quid fecit?

2. Tim. 4. Nunc ſeculum hoc deſcribit Dauid: de quo Paulus 2. ad Timotheum, meminit, Erit (inquit) tempus quum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſyderia coaceruabũt ſibi magiſtros pruriẽtes auribus, & à veritate quidẽ auditũ auertent, ad fabulas autem cõuertentur. Sic lex Euãgelij, quã perfecit Domin⁹, deſtruitur: ſic vnitas Eccleſię ſcinditur, ſic oues à grege Dominico deperduntur. Hos magiſtros intelligit Salomõ per mulierẽ, de qua ait, Prouer. ca. 9, Vanitas impiorũ mulier eſt inſipiens, & audax, quæ inops panis cõuocat prætereuntes, dicẽs, Panes occultos lubẽter attingite, & aquæ furtiuæ dulcedinẽ. Quũ ſit ignara veritatis, promittit ſapientiã, quã ipſa occultatione cõmendat: & quaſi condit vt lubẽtius audiatur: cuius prohibitã furantur ſeducti auſcultationẽ. Hęc occultatio facit pruritũ in aurib⁹ ſpiritualiter fornicantibus, ſicut pruritu libidinis in carne corrũpitur integritas caſtitatis. Peruerſi enim doctores ipſa occultatione cõdiunt ſua venena curioſis, quatenus tandem ipſi exiſtiment eos dicere aliquid magnũ, quia habent ſecretum: & ſuauius hauriant inſipiẽtiam quã putant ſapientiam, dulciúſque audiant quæ palã in Eccleſia dici crediq; prohibentur. Itaque mulier illa propter illicita atque puniẽda ſecreta, non ſolũ inſipiens, verũetiam audax nũcupatur. Sub Chriſtiano ſiquidẽ prætextu, multas ſceleſtas hæreſes cõdidit, nefandas fabulas finxit, pugnas quoque incredibiles verborum excogitauit. At forſitan cauſa talia audẽdi in multis hęreticis, fuit vitium [illegible] peculiare, quòd defendere maluerunt, quàm fateri ſuum geniũ malũ eſſe. Huius rei plurima ſunt exempla. Ex hoc fonte prodiit Cherintus, carnis delicias ſperans in illa promiſſa beatitudine. Ex hac radice orta eſt hæreſis promiſcuum vagúmque concubitum hominibus indulgens. Hinc & illa Arrianorum fluxit,

xit, ieiunia prorſus reiiciens, nullíuſque eſſe valoris aſſerens. Inde & Iouinianus matrimonium æquans virginitati, ciborúmque delectum damnans, hoc modo hæreſes plurimas peperit, innata ventris ingluuies, deſidiæ quoque torpor. Cæterum de ambitione aliis congenita, quis neſcit etiam eam multorum errorum parẽtem fuiſſe? Nam ſicut naſcenti mundo initium omnis peccati fuit ſuperbia, ita renaſcente eodem per CHRISTVM, initium omnis hæreſis fuit vana cupido. Quid enim aliud Simonem Magum impulit (quem primum fuiſſe hæreticum tradit Euſebius Cæſarienſis) vt pecuniam offerret, pro qua donum Dei poſſideret, niſi ſuperbia? Hoc ferme tempore fuit Theobutes quidam de quo Euſebius in Eccleſiaſtica hiſtoria refert, quòd quia repulſam meruit Epiſcopatus, ipſe cœpit initio perturbare omnia, & corrumpere: erátque ex ſeptem hæreſibus in populo conſtitutis. Et de AErio quodam narrat Auguſtinus, in libro De hęreſibus, quòd ambiens Epiſcopatũ, quẽ obtinere nõ potuit, vt par nihilominus videretur, aſſeruit ſacerdotes pares eſſe Epiſcopis. Gene. 3. & Eccleſiaſtici 10. Act. 8.

Ecce igitur quàm malè ſupplãtat nimiũ elata mẽs. Adde ꝙ qui graue admodũ reputat alterius voluntati ſubeſſe, & durum exiſtimat ex altreius pendere arbitrio, huic facile euenit, vt obedientiæ iugum quod ſemel ſuſcepit, excutiat, & inde ad vlteriora progrediatur, vt obedientiã ipſam inſectetur, monachatũ conuitiis afficiat & ſcõmatis, quatenus errorẽ ſuum hoc pallio tegat. Pro his omnibus recte tradit Auguſtinus lib. 3. De doctrina Chriſtiana, cap. 10. talia ſcribens, Quando (inquit) procliue eſt humanũ genus non ex momentis ipſius libidinis, ſed potius ſuæ conſuetudinis æſtimare peccata, fit plerunque vt quiſque hominum ea tantum culpanda arbitretur, quæ ſuæ regionis & temporis homines vituperare atque damnare conſueuerunt: & ea tantum probanda atque laudanda, quæ conſuetudo eorum cum quibus viuit, admittit. Eóque contingit vt ſiquid Scriptura vel præceperit, quod abhorret à conſuetudine audientium, vel quod non abhorret culpauerit, ſi animum eorum iam verbi vinxit authoritas, figuratam loquutionem putent. Sed de his hactenus. Iterum pro-

pheta ſermonem facit ad hos perturbatores vnionis catholicæ, ita ſubnectens, Iuſtus autem CHRISTVS quid vobis fecit? Is enim cælum aſcendens ſuæ Eccleſiæ pa-
Ioan. 14. cem teſtamento dedit: vos contra eam pugnare non ceſſatis. Meminiſſe oportet eorum quæ loquitur Paulus 1.ad Corinth.11, Siquis videtur eſſe contentioſus, nos talem cõſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei. Si vultis æquitatem iniqua interpretatione ſubuertere, cur accuſatis eum qui iuſtè loquutus eſt? Errores enim nõ de diuino præcepto, ſed de nequiſſima veſtra voluntate concipiuntur. Talia poſtquam prefatus eſt Dauid, interrogationi reſpondet, oſtendens imprimis quid CHRISTVS faciat ſuis. & idcirco dicit, Dominus in templo ſancto ſuo, &c.

Dominus in templo ſancto ſuo, Dominus in cælo ſedes eius.

Eccleſia in Sacris frequenter templum appellatur, vt 1.ad Corinth.3, Templum Dei eſtis vos, & Spiritus Dei in vobis habitat. Et id quidem imprimis propter ſimilitudinem ædificij templi Salomonis, in quo fuerunt lapides, cæmentum, ligna cedrina, & aurum. Lapides, fideles deſignant, ex quibus fit Eccleſia: Cæmentum, eſt charitas, quæ eſt iũctura ipſorum lapidum viuentium: Ligna cedrina, ſunt exempla ſan
2.Cor.2. ctæ conuerſationis, quę ſunt Chriſti bonus odor: Aurum eſt ſapientia diuina, quę ſplendet in catholicis doctoribus. De quibus ad Philippen.cap.2, Lucetis ſicut luminaria in mun-
3.Reg. 6. do, verbum vitæ continentes. Et ſicut primũ templum ſeptem annis ædificatũ eſt, & octauo dedicatio eius inſtituta. ita hoc toto æuo noſtro quod ſeptem diebus voluitur, ſtructura Eccleſię creſcit: dedicatio autem octaui anni feſtiuitatem deſignat cæleſtis patriæ. Altera ratio cur Eccleſia templũ Dei dicta ſit, hæc adfertur, quòd ſcilicet in ea oramus & adoramus Deũ. Quippe (teſtãte Auguſtino) catholicã extra Eccleſiam non eſt locus veri ſacrificij. Sed (vt inquit Damaſcenus) quemadmodum duplici ex ſubſtantia cõſtamus, intellectuali videlicet & ſenſibili, ita duplicem adorationem in hac Deo offerimus: Spiritualem, quę eſt in interiori mẽtis deuotione: de qua 1.ad Corinth.cap.14, Orabo ſpiritu,

orabo &

orabo & mente. & Ioannis cap. 4, Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & charitate. Alia adoratio eſt corporalis, quæ fit per ſigna exteriora, interioris fidei teſtimonia: vt eſt genuũ flexio, cereorum oblatio, & cætera huiuſmodi, quæ duæ Latriæ præſignabantur in duobus altaribus quæ fuerunt in templo Salomonis: vnum erat altare incenſi intra ſanctuarium, in quo adolebatur timiama, quod ſignificauit ſpiritualem orationis dulcedinem: alterum altare fuit in atrio, in quo immolabantur animalia, per quod indicatur ſacrificium boni operis, prout ſunt maceratio & caſtigatio carnis, ieiunia, vigiliæ, & alia ſancta exercitia. De quibus ad Ro. cap. 12, Obſecro fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra (licet caro repugnet) hoſtiam in mortificatione carnalium deſyderiorum, viuentẽ per bona opera, & Deo placentem, ſcilicet vt honeſto fine hæc ſemper faciatis. Itaque cum Eccleſia ſit tẽplum Domini, in quo præſidet vt caput membris, ex hoc nunc Propheta (ſaltem terrore) nititur hæreticos à ſuo malo dimouere propoſito, vt ſic tãdem metu iudiciorum Dei, humana peruerſitas cõquieſcat, & amplius ipſi templum Dei vnitatem inuertẽdo violare non præſumãt: quin animaduertat zizaniorum in agro Dominico ſeminator à Deo ſe poſſe diſperdi, à quo noſcuntur corda rectè credentiũ poſſideri. Quapropter ſubſequitur in verſiculo, Dominus in cælo ſedes eius. Cælum verò hîc ſanctos viros ſignificat, quos præſentia maieſtatis ſuæ diuinitas inſidere dignatur, vt quos aliquando facit ſibi templum, faciat & cælum, id eſt, arcana ſcientes. Vnde probe ſubnectitur, Et oculi eius, &c.

3.Reg. 7.

2.Paral. 8

Matth. 13.

Oculi eius in pauperem reſpiciunt, palpebræ eius interrogant filios hominum.

Metaphoricus eſt iſte ſermo ad ſimilitudinem hominis claudentis oculos, vt experiatur quid ſe nõ vidente alij faciant: & iuxta hanc ſimilitudinem deſcribit Propheta diuinam prouidentiam: quo ad actum quidem videndi, quòd ſemper videt, & propterea dicit Oculi eius &c. quo ad actum verò cauendi, præſeruandi, puniendi, &c. dicit quòd ſe habet tanquam habens oculos clauſos ad experimento

probandum homines: hoc enim ſignificatur dicendo, Palpebrę eius, &c. Per palpebras igitur ſignificare voluit, quòd ſi quando videtur Deus non aſpicere, ſed in abſconditis animi ac mentis morari, tũc tamẽ nihilominus videt, vel quòd omnia proſpicit, veluti qui non oculis tantũ, ſed ipſis etiam palpebris intueatur, & ex omni parte omnia cognoſcat. Nũquid ergo metuendum eſt ne in turba diuitum paucos pauperes videre non poſſis, quos in catholicæ gremio Eccleſię cuſtoditos enutrit Domin⁹? Certe ſicut infelices ſunt à quibus auertitur Deus, ita hi beati ad quos propitius reſpicit: quoniã intuitus eius, beneficium eſt: nam peccatorũ tenebris non offenditur, qui tanta claritate luſtratur. Hîc autem filios hominum, illa regula lubẽter acceperim de veterib⁹, regeneratos per fidem. Hi quippe quibuſdam Scripturarũ locis obſcuris, tanquã clauſis oculis Dei, exercentur vt quęrãt, & rurſus quibuſdam locis manifeſtis, tãquam apertis oculis Dei, illuminantur vt gaudeant. Et iſta in ſanctis Libris crebra opertio atq; adapertio, etiam tanquã palpebræ ſunt Dei, quæ interrogãt, id eſt probant filios hominũ: qui neq; fatigantur rerum obſcuritate, ſed exercentur: neq; extollũtur cognitione, ſed in omni ſtudioſo ſtabiliũtur. Quare (inquit Auguſtinus) bonę in Scripturis ſanctis myſteriorũ profunditates, quæ ob hoc tegũtur, ne vileſcant: ob hoc quęrũtur, vt placeant: ob hoc deniq; aperiũtur, vt homines magis atq; magis deguſtent. Sicut & lac (medicorum ſentẽtia) melius nutrit ſi ipſum aliquando fuggamus. Sic diuinae loquia plus habent in receſſu quàm fronte promittãt: quæ etſi prima facie ieiuna & arida appareant, ſemper tamẽ intus dulcoris & ſaporis plena ſunt: atq; ſub his Domin⁹ melius corda hominum videri facit, quæ (ſicut ocularia) vnicuiq; ætati mortaliũ relucent, atq; in his, velut in ſpeculo, vnuſquiſque ſeipſũ videt, agnoſcit quoq; ſuos defectus ſine verecũdia vel pudore alicuius aut inſpicientis aut culpantis. Quapropter nunc ſubnectit Propheta, Dominus interrogat iuſtum, &c.

Dominus interrogat iuſtum & impium: qui autẽ diligit iniquitatem, odit animam ſuam.

Clarius eſt quod hoc loco legit Hieronymus: Dominus probat

probat iuſtum & impium. Atque ex his intelligát arguentes quòd Deus permittit ſagittari rectos corde, diſſipari leges, & cętera iſtiuſmodi: ad hoc videlicet, vt probet qui ſunt iuſti, & qui ſunt impij, & hinc appareat quãta ſit vis iuſti animi. Iſto fine interrogat per tribulationes & hæreſes, per proſpera & aduerſa, neque eſt improborum derogatio cogitanda, quando Dominus iuſtum requirit & impium, qui omnia ſub veritate diſcernit: ſed vnuſquiſq; circũſpiciat cõſciẽtiam ſuam, de qua nouit ſolum Dominum ferre iudiciũ, & ad ſacra dicteria interdum recurrat: vt ſeipſum perfectius agnoſcat. Sequitur breuis & manifeſta ſententia, Quid eſt diligere iniquitatem? odiſſe animam ſuam. Sic enim ſe perſequitur, qui diabolũ ſequitur: dum illas ſemitas commeare vult, quæ ad pœnarum loca fugienda perducũt. Quapropter omnis peccator ſibi impius & crudelis eſt: ſe animámque ad mortem perpetuam ac æternam deſtinans. Deinde oſtẽdit regius Vates quid faciat Dominus malis. Pluet (inquit) ſuper peccatores, &c.

Pluet ſuper peccatores laqueos ignis & ſulphur: & ſpiritus procellarum pars calicis eorum.

Pluit, ad verba prædicatorũ refertur, quæ probis imbres, perfidis autem igniti laquei ſunt: illi enim bene intelligẽdo inde fructificant: iſti ſana doctrina abutẽdo, animas ſuas nodo peruerſitatis ſtrangulant. Et ſicut vna eadẽmq; pluuia irrigat terram fœcundam, & aridam: ſic vna prędicatio eſt à Deo, quæ perfundit terrã bonã, id eſt ſanctos: & terrã malã, id eſt peccatores. Quare eadẽ Scripturarũ nube pro ſuo cuiuſq; merito & peccatori pluuia laqueorum, & iuſto pluuia vbertatis infuſa eſt, dum vnus perperam, alius ſyncerè eundem Scripturæ locum recipit. Sic elatis mentibus lumẽ veritatis abſconditur, & omne peccatũ cęcitas quędã eſt menti: iuxta illud Sophoniæ cap. 1, Ambulabũt vt cæci, quia Domino peccauerunt. Sic obſcuratur cor inſipiens, & dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti fiunt. Adde quòd non propter ſolam iniquitatem propriam, permittit Deus hominẽ decipi: ſed etiam propter peccatum interrogantis aut diſcentis, doctorem alioqui bonum Deus permittit falli, vt inquiren- Rom. 1.

tem iniquum decipiat. Quemadmodum Ezechi .cap. 14. teſtatur dicens, Propheta quum errauerit, & loquutus fuerit verbum, ego Dominus decepi Prophetam illum. Vnde ipſis quoque miniſtris ſanctis hominibus, vel etiam ſanctis angelis operantibus, nemo rectè diſcit quæ pertinent ad viuendum cum Deo, niſi fiat à Deo docilis. Cui dicitur in a-
Pſal. 142. lio Pſalmo, Doce me facere voluntatem tuam, quia tu es Deus meus. Sicut enim corporis medicamenta quæ hominibus ab hominibus adhibentur, non niſi eis proſunt quibus Deus operatur ſalutem (qui & ſine illis mederi poteſt, quum ſine ipſo illa non poſſint) & tamen adhibentur, & ſi hoc officioſe fiat, inter opera miſericordiæ vel beneficentiæ deputatur: ita adiumenta doctrinæ tunc proſunt animę adhibita per hominem, quum Deus operatur vt proſint:
Gala. 1. qui potuit Euangelium dare homini etiam non ab hominibus, neq; per hominem. Quare ſi ſecus fiat, tunc malis Verbum ſapientiæ ignis eſt, quando eos flammea cura cupiditatis conſumit ſulphur: quia cogitationes eorum hoc modo deteſtabili fœtore ſordeſcunt. Cæterum ipſum fit & ſpiritus procellarum, dum ſe tumultuoſa vndique mente confundunt, & ſecum habitare neſciunt. Hęc verò omnia propterea puto hîc calicem appellata, nequid præter modum atq; menſuram in ipſis peccatorum ſuppliciis arbitremur: quin & pars ſunt calicis peccatoris, quia vnuſquiſque prout geſſit in corpore, vindictam recipit. Senſus itaque eſt. Quod pars calicis, hoc eſt pars ſupplicij à Deo infligendi, ignis eſt & ſulphur & ſpiritus procellarum. Quòd ſi vel ſola huius calicis pars adeo intolerabilis eſt, quid dicendum eſt de reliquis ſuppliciorum partibus, hoc eſt, de aliis ſuppliciorum generibus? Nam iuſtus Dominus, &c.

Quoniam iuſtus Dominus, & iuſtitias dilexit, æquitatem uidit uultus eius.

De æquitate æterni Regis nunc fit decora concluſio. Iuſtum Dominum dicit amare iuſtitiam, & ad hoc adferri po-
Eccle. 13. teſt ratio naturalis, quia vnumquodque diligit ſibi ſimile. Quid mirum ergo ſi ille, qui ipſa iuſtitia eſt, neſcit alios amare, niſi qui norunt cuſtodire iuſtitiam? Sed non fruſtra

hîc pluraliter

hîc pluraliter ſcribitur, Iuſtitias dilexit, quia homines dicit, vt pro iuſtis, iuſtitiæ intelligãtur poſitæ. In multis enim iuſtis quaſi multæ iuſtitiæ videntur eſſe, quum ſit vna Dei cui omnes participant, tanquam ſi vna facies intueatur plura ſpecula, quod in illa ſingulare eſt, de illis pluribus pluraliter redditur. Propterea rurſus ad ſingularitatem ſe refert, dicendo, AEquitatem vidit vultus eius: ad remunerandum ſcilicet, ſicut videt iniquitatem, ad puniẽdum. Niſi forte hîc quia dicitur, AEquitatem vidit vultus, &c. per vultũ dũtaxat propitiationem Domini accipias, quod & Videre facit intelligi. Nam in alio Pſalmo legimus, Vultus Domini ſuper facientes mala. At vtcũque res ſeſe habeat ſemper accipe quia Dominus iuſtis præmia, peccatoribus tribuat pœnas. Et quum ait, AEquitatem vidit vultus eius, ſeu (vt in Græco verius habetur) Rectitudines: idẽ ſignificat, quod Iuſtitiam dilexit. Nam quem quis amat, eundem etiam lubenter intuetur, quemadmodum contrà, ab illo quem quis odit, ſtatim auertitur. Per vultum vero ſeu faciem Domini, etiam intelligimus potentiam videndi quæ eſt in Deo. Pſal. 33.

IN PSALMVM VNDECIMVM.

Saluum me fac, Domine, quoniã defecit ſanctus; quoniã diminutæ ſunt ueritates à filÿs hominũ.

Huic Pſalmo talis apud Hebræos ſuperſcriptus eſt titulus, Victori pro octaua Pſalmus Dauid. Quo in loco animaduerte Octauam, nomẽ eſſe inſtrumenti muſici ab octo chordis denominati: & ſignificatur Pſalmum iſtum ſuper illo inſtrumento cantandũ. De argumento autem iſtius Pſalmi, ſi Rabinis credas, dices Dauid hunc modulatum fuiſſe, quando fugiens de Ceila, ſeruatus eſt cum viris ſuis à proditione habitatorum Ceilæ, qui ſpoponderant tradere ipſum Dauid cum ſuis, in manibus Saulis: hoc modo reddentes malum pro bono: vti perbelle ſcribitur 1. Regũ cap. 23. Sed quia ſic iſte Pſalmus non planè detegit theſaurũ latentem in hoc verſiculo, Propter miſeriam inopum & gemitũ pauperum, &c. idcirco de Chriſto ad literam interpretabi-

mur, quaſi nunc Propheta præuidens mala quæ præcederēt aduentum Meſſię, ab his per Chriſtum nunc liberari petat, & reuocet à falſitatibus ſeculi, ad eloquia Dei, vbi ſalus. In initio ſiquidem (quod tempus alij ætatem aureā appellant) vita hominū ſine cupiditate agitabatur, ſua cuique ſatis placebant. Tunc ius bonúmque non legibus magis quàm natura valebat, & illa tempora talia reperiuntur, quibus pulcherrima atque optima fuiſſe prædicatur quæuis Reſpublica, optimis moribus, ſine bellis, magna concordia generis humani, ſine litibus, ſine querelis: quæ Saturnia tempora nominātur. At diſcordia & auaritia & ambitio & cætera ſecundis rebus oriri ſueta mala, ſtatim ex abundantia ſucceſſerunt, ex quo tempore maiorum mores non paulatim, ſed torrentis modo præcipitati, adeo iuuentus luxu atque auaritia corrupta eſt, vt merito dicatur genitos eſſe, qui neque ipſi habere poſſent res familiares, neque alios pati. Tunc cœpit altera ætas argētea dicta, ſub Ioue, quum bella pullulaſcerēt, & curæ, & fraudes, & odia. Tertia fuit ænea, quū genus mortalium totū vndique bellis concuteretur, cruentáque eſſent omnia. Quarta eſt Heroum ſemideorū, quorū animi iuſtitiæ quidem erant dediti, ſed inſano ardore belligerandi flagrabant. Quinta appellatur ferrea, in qua nullus malorum eſt modus, cuncta ſeſe velut effractis carceribus in genus humanum ſimul effuderunt, apertæ fraudes, aperta odia, & capitalia bella, cædes, rapinæ, incendia, vaſtationes, immo vnicuique imprimis cura fuit ſi diuitias augeat, quæ quotidianis effuſionibus ſuppetant: per quas ſibi etiam infirmiores ſubdat quiſque potentior. Sufficit obſequantur diuitibus pauperes cauſa ſaturitatis, atque vt eorū patrociniis quieta inertia perfruantur: diuites pauperibus ad clientelas & ad miniſterium ſui faſtus abutantur: populi plaudant non conſultoribus vtilitatum ſuarum, ſed voluptatum largitoribus: non iubeantur dura, non prohibeantur impura; Reges non curēt quàm bonis ſed quàm ſubditis regnēt: Prouinciæ, Regibus, non tanquā rectoribus morum, ſed tanquam rerum dominatoribus, & deliciarū ſuarum prouiſoribus, ſeruiant: eóſque nō ſynceriter honorēt, ſed nequiter ac ſeruiliter timeāt. Cæterum de ſuis vel cum

ſuis

ſuis, vel cum quibuſcunque volentibus faciat quiſque quod lubet: extruãtur ampliſſimæ atque ornatiſſimæ domus, vbi oppipara cõuiuia frequẽtẽtur: ſaltationes vndiq; cõcrepẽt: ille ſit publicus inimicus cui hæc felicitas diſplicet: quiſquis eam mutare vel auferre tentauerit, eum libera multitudo auertat ab auribus, euertat à ſedibus, auferat à viuentibus. In hac igitur tãta colluuie morum peſſimorum, quaſi timẽs Propheta ſubito exclamat prę magnitudine periculi, petens ſaluari. Itaque ſtudioſè diſcutiamus hoc principiũ Pſalmi, quãdo magnorũ ſchematũ decore formatũ eſt. Sanctum enim dicit abeſſe de mundo vbi tanta malorũ reperta eſt multitudo: & hic modicum pro nihilo computatur. Et quemadmodum in area præ palea non vidẽtur à longo grana: ſic opinio eſt, abundante iniquitate multorum, nullum eſſe bonum. Quæ fuit in Helia, quando dixit, Domine, relictus ſum ſolus. Atque idcirco nunc petit Propheta à Deo vt ſaluet mundum deficientibus iuſtis ex falſa doctrina. 3.Reg.19 Nam vere deficit ſanctitas, ſi deficit veritas in hominibus: quum vtraque in hoc conueniat, quòd mortalem Deo conformat, à quo tota eſt & veritas & ſanctitas. Proinde qui declinat à mandatis, ita dicitur mendax: ſicut & qui deficit ab articulis. Ioan. cap. 18, Ad hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum vt teſtimonium perhibeam veritati. Omnis qui eſt ex veritate, audit vocẽ meam, &c. quare ſanctus merito vocatur qui eſt in his, iuſtitia ſcilicet & veritate, bene ordinatus. Tametſi Sanctus quum apud Græcos duplici dicatur nomine ὅσιος nimirũ, vt hîc, & ἅγιος (vtraque enim dictio ſanctũ ſignificat) conſequẽter in duplici ſumi poteſt ſignificatione. Ille autẽ proprie ὅσιος dicitur, qui pietatẽ & religionẽ colit, quę ad Deũ pertinet: ἅγιος verò ille, qui per ſemitã virtutũ diuinitatis efficitur particeps, atq; vtraq; nũc pręſenti literæ quadrãt. At intuẽdũ ꝙ plurali numero Propheta dixit (veritates) quum vna ſit veritas qua illuſtrantur animæ ſanctæ: ſed quoniã multæ ſunt animæ in ipſis, multæ veritates dici poſſunt, ſicut ab vna facie multæ in ſpeculis imagines apparent. Et verè hæ diminutæ ſunt: nanque ante aduentum Chriſti ſiue Prophetæ ſiue Patriarchæ, ſiue reliqua membra diminuta erant, donec caput eorum, quod

eſt Chriſtus, aduenit. Vel ea veritas diminuta eſt, quia creuit falſitas Scribis & Phariſæis ſacra Biblia deprauantibus, aliis Deo relicto ad idola confugientibus, ſuperſtitioſaque ſectantibus. Vnde ſequitur, Vana loquuti ſunt, &c.

Vana loquuti ſunt unuſquiſque ad proximũ ſuũ: labia doloſa in corde, & corde loquuti ſunt.

Proximum hîc, omnem hominem oportet intelligi, quia
Rom. 13. nemo eſt cum quo operandum ſit malum, & dilectio proximi malum non operatur. Imprimis vero vana loquuti ſunt fabuloſi Poetæ: nam iſta eſt fabularum garrulitas, æther tribuatur Ioui, aër Iunoni, mare Neptuno, terra Plutoni. Et ne ipſi quoque ſine coniugibus remanerent, additur Neptuno Salacia, Plutoni Proſerpina, vti & Ioui Iuno vxor. Nam ſicut inferiorẽ cæli partẽ, id eſt, aerẽ (inquiunt) Iuno tenet, ita inferiorẽ maris Salacia: & terræ inferiorẽ Proſerpina. Ecce quomodo quærunt quemadmodũ ſarciant fabulas, nec inueniũt. Si enim hæc ita erunt, tria potius elemẽta mundi eſſe non quatuor, eorũ veteres proderent: vt ſingula deorum coniugia diuiderẽtur ſingulis elemẽtis. Deinde quem locum tenebit Veſta, quam non niſi ignem eſſe perhibent pertinentem ad focos, ſine quibus ciuitas eſſe nõ poteſt? & ideo illi virgines ſolere ſeruire: quòd ſicut ex virgine, ita nihil ex igne naſcatur. Ignis enim ſiue ſuperior ſiue inferior, vtique ignis eſt, puta quia diſſimilis, num quid intantum vt ignis non ſit? Et inferior ignis quid aliud poteſt eſſe quàm ignis? tametſi non ſit tam purus ac elementaris. Ex his igitur coniice vanitatem in iſtis mendacij vatibus. Inſuper & vana loquuti ſunt hi protei Philoſophi, diuinorum criminum confictores: nam quas illi obducunt tenebras? quos inuehunt metus? quas inflammant cupiditates ſuis figmẽtis? virtutis ſemina à natura nobis indita corrumpunt? & hi quidem quum magnam ſpeciem doctrinæ ſapientiæque præ ſe ferant, audiuntur, leguntur, ediſcuntur & inhæreſcunt penitus in mentibus. Quum vero accedit eodem maximus quidam magiſter, populus, atque omnis vndique ad vitia conſentiẽs multitudo, tum plane inficimur

cimur

cimur opinionum prauitate, à naturáque ipſa deſciſcimus. Accipimus enim deorum cupiditates, ſolutam laſciuiam, cruentam iracũdiam, & innumera alia ſynceræ virtutis inimica. Vnde rectè noluit Plato corrumpi his figmentis animos ciuium: Socrates quoque iuſtè cenſuit expellendam à ciuitate poëſim, quæ affectus inducit parum viriles: licet illam retineat quæ maſcula eſt & caſta. Porro quid vanius fuit, quàm homines corui & coruiculæ vocibus, vitæ conſilia moderari. Hoc augurio (vt ait Apoſtolus) ſeruientes Rom. 1. creaturæ potius quàm Creatori. Quid præterea vanius quàm ex aſtris omnem hominis fortunam ſiue proſperam ſiue aduerſam metiri? Nam nouimus geminos eodem tempore & conceptos & natos, non ſolum actus & peregrinationes habere diuerſas, verumetiam diſpares ægritudines perpeti, moribúſque & conditione differre. Cuiuſce rei ſacrum exemplum legis in Geneſi de Eſaü & Iacob. Nihil Gen. 25. quippe in rebus humanis videtur voluiſſe natura eſſe tam ſimile, quod non aliqua proprietate ſecerneret. Quid refert an ex eiſdem prima illa duorum corporum animorúmque compago ſeminibus oriatur? Sibi quiſque firmatur, ſibi quiſque componitur, & duo pluréſve fratres naſcuntur fato ſingulorum. Fruſtra igitur (vt verbis Auguſtini vtar) affertur nobile illud commentum de figuli rota, quod reſpondiſſe ferunt Nigidium hac quæſtione turbatum, vnde & Figulus appellatus eſt. Quum enim rotam figuli vi quanta potuit, intorſiſſet, currente illa, bis numero de atramẽto tanquam vno eius loco ſumma celeritate percuſſit, deinde inuenta ſunt ſigna quæ fixerat deſiſtente motu non paruo interuallo in rotæ illius extremitate diſtantia. Sic (inquit) in tanta cæli rapacitate, etiam ſi alter poſt alterum tanta celeritate naſcatur, quanta rotam bis ipſe percuſſi, in cæli ſpatio plurimum eſt. Hinc ſunt (inquit) quæcunque diſſimilia perhibentur in moribus caſibúſque geminorum. Sed hæc ratio omnia Genethliacorum ſcita & placita euertit. Nam ſi tam multum in cælo intereſt quòd conſtellationibus comprehendi non poteſt, vt alteri geminorum hæreditas obueniat, alteri nõ obueniat, cur audent Aſtrologi cæteris qui gemini non ſunt, quum inſpexerint

conſtitutionem cæli ac ſyderum pro eis talia pronuntiare quæ ad illum ſecretum pertinent, quod nemo poteſt comprehendere, & momentis annotare naſcentium? Quamobrem ſufficiat Mathematico, effectus qui pendent à cauſis naturalibus prædicet, vt defectus & incrementa Lunæ: alios autem euentus ex ſola cauſa libera, vt eſt hominis voluntas, profluentes, relinquat Dei arcano deſignandos. Nam etiam ſi detur multum in nos virium poteſtatiſque habere ſydera, tamen illud quicquid eſt hominibus incomprehenſibile fit: quum momenta, in quibus aſtrorum poſitus neceſſe eſt collocare, certo deprehendi non poſſint, & ſyderum incitatiſſimus curſus tarditatem noſtræ conſiderationis anteuertat. Ecce vanitatem quam loquuti ſunt ſtulti philoſophi, ignorantes ſe totos ab vno Deo, Saluatoréque noſtro IESV CHRISTO pendere: in illo ſolo ſita eſſe fata omnium, ab illo ſolo petenda. Sed quoniam hæc talia etiam & falſa erant (quippe vbi & vanitas ibi & falſitas) nunc ait Dauid, In corde & corde loquuti ſunt: vt ſic duplicia fuiſſe iſtorum ſuſurronum corda demonſtret, qui de corde in corde loquuti ſunt mala, & ſcelus quod corde conceperunt, protulerunt ore, perfecerunt in opere, ſub typo conſulentis, occultantes venenum perimentis. Sed diſperdat Dominus, &c.

Diſperdat Dominus vniuerſa labia doloſa, & linguam magniloquam.

En iam ſequitur ſententia generalis, ſicut ſolet lege ſanciri quando vnus peccat, & vniuerſale malum ſeueritas promulgat ac condemnat. Verum enimuero nunquid maledicendo præſentia ſcripſit Dauid? abſit: quia non eſt mos ſanctorum maledicere: ſed annuntiando quod futurum eſt, dixit, non optando, ſed prophetando. Labia verò doloſa, ſunt hæretici & ſuperbi philoſophi, qui nunquam erubeſcunt nec conſiderant quid, ſed quantum dicant: & ſæpe in tantam veniunt opinionem eloquentię, vt ſoleant dicta eorum, cirratorum eſſe dictata. Liberatus (crede) eſt mundus à periculo, & hereditariæ vel Centumuirales cauſæ de

barathro erutæ, ſi ſemel ad Eccleſiam ſeſe tranſtulerint, intepdunt oculos (ait Hieronymus) rugant frontem, iactant manum, verba tonant, qui & eloquentia Tullium, argumentis Ariſtotelem, prudentia Platonem, eruditione Ariſtarchum, multitudine librorum Chacenterum, Didimum ſcientia Scripturarum, omnéſque ſui temporis putant vincere tractatores. At certe non eſt grande garrire per angulos & medicorum tabernas, ac de mundo ferre ſententiam: Hic bene dixit, ille male, iſte Scripturas nouit, ille delirat, iſte loquax, ille infantiſſimus eſt. Nam vt de omnibus iudicent, cuius hoc iudicio meruerunt? Contra quemlibet paſſim in triuiis ſtrepere, & congerere maledicta, non crimina, ſcurrarum eſt & paraſitorum. Vtinam meminerint dicti Apoſtoli 1. ad Corinthios ſcribentis, Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſaluos facere credentes, non in ſapientia verbi, vt non euacuetur crux CHRISTI. Nam imprimis prędicatio Chriſtiana non indiget hac pompa & cultu ſermonis: ideóque piſcatores, homines imperiti, electi ſunt qui euangelizarent, vt doctrinæ veritas ipſa ſe commendaret, teſte virtute: ne hominum verſutia & calliditate humanæ ſapientiæ acceptabilis videretur, non veritate. Sic ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi: nam putans ſapere, inuenta eſt imprudens. Quod enim impoſſibile iudicabat, poſſibile declaratum eſt, Deum incurioſum æſtimans. Eſt aliquid hac aſſeueratione ſtultius, vt feciſſe dicatur mundum, & curam eius non agere? vt quid fecit, ſi non ad illum pertinet quod fecit? Sed quia vident quoſdam feliciter mundo frui, quoſdam deprimi, & bene agentes deſpici, maleuolos gloriari: idcirco incurioſum Deum eſſe crediderunt. Si tamen animaduertant ſepoſito odio diuinæ legis, poſſunt videre cauſam iſtam à nobis terminari, qui Dei iudicium expectamus, in quo depreſſi exaltabuntur, & violenti humiliabuntur: quia non eſt perſonarum acceptio apud Deum. Ecce quomodo non bene in Eccleſia Chriſti loquitur lingua magniloqua, tumens ornatu verborũ & rationibus ſumptis ex apparẽtib⁹, ſecũdũ ſenſum dũtaxat innitens, quæ ſibi aliquid magnæ poteſtatis aſſumit, nec intelligit à Creatore datum, dum euentus rerũ

1.Cor.1.

1.Cor.1.

Rom.2

ſibi putat eſſe ſubiectos. Sed ne in bono linguam magniloquam potuiſſes accipere, præmiſit Dauid, Labia doloſa. Atque certe iſti magniloqui ne ſtulti videātur prudentibus mundi, in ſapientia hominum, Chriſtum prædicant duplici genere: vt & eloquentiæ ſtudeant, & ea quæ mundus in nobis ſtulta iudicat, euitent. Quare neque incarnatum Dei filium, & de Virgine natum docuerūt, neque carnis futuram reſurrectionem: quia mundi iſtud ſapientiæ ratio ſtultum
1.Cor.1. iudicauit. Quapropter (inquit Apoſtolus) non cognouerūt homines, per ſapientiam carnis, Deum, putantes hęc debere coli quæ viderentur. Et idcirco placuit Deo prædicationem ordinare, quæ illis ſtultitia videretur, vt credentes quæ illi diffidunt, ſalui fierēt illis damnatis. Viciſſitudo ergo hęc eſt per quam Dei conſilio falſum à vero damnatur. Et iuſtè interim diſperdendi ſunt, Qui dixerunt, linguam noſtram magnificabimus, &c.

Qui dixerunt linguam noſtram magnificabimus: labia noſtra à nobis ſunt, quis noſter Dominus *eſt?*

Illos deſcribit qui nimia loquacitatę turgentes, gloriam ſuam exaltare pręſumunt: iactant ſe de poteſtate labiorum, quaſi non à Deo acceperint: loquacitate ſe extollunt, & ponunt in ſua poteſtate quod à Deo ſe accepiſſe non putant. Nam quando in re qualiter differenda magnum habent ornatum, elegātiam, ſplendorémque ſermonis, hęc omnia eis vires ſunt efficaciſſimę ad animos extollendos. Sic enim putant per famam in æternum viuere, & ſemper inter homines magnificari, quemadmodum ita ſibi repromittebat Ouidius, dum talia ſcripſit,

Iámque opus exegi, quod nec Iouis ira, nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetuſtas:
Quáque patet domitis Romana potentia terris,
Ore legar populi, pérque omnia ſecula fama,
(Si quid habent veri vatum præſagia) viuam.

Denique eò tandem pergunt illorū mēdacia, robur linguę, duplicitas ſermonis, vt neque Deum timeant, ſed euaneſcūt in ſtultis cogitationibus ſuis, dicētes, Quis noſter Domin⁹
Rom.1. eſt? & putantes eſſe ſapientes, ſtulti fiunt. Sapientes enim ſe arbitrantur

ſe arbitrantur, quia rationes phyſicas inueſtigare putant, ſcrutantes curſus ſyderum, & qualitates elementorum: dominum autem horum ſpernentes. Ideo ſtulti fiunt, quum ſi hæc laudanda ſint, quanto magis creator illorum? Solent tamen ſuos fucos, ſuáque venena verborum lenocinio obtegere, afferentes quæ ad perſuadendum plurimum valent: tametſi tota via à veritate aberrent. De quibus ſcripſit Apoſtolus ad Rom. Per dulces ſermones, & benedictiones ſeducunt corda innocentium: hoc modo vnuſquiſque poetarum (qui putantur apud nos diſſertiſſimi) calicem aureum temperauit, & in calicem aureũ venenũ iniecit idololatriæ, & venenum turpiloquij, venenum eorum dogmatum quæ animam hominis interimunt, venenum falſi nominis ſciẽtiæ. Iſta ſcribo, non quòd dicam elegantiam ſermonis indignam Chriſtiano: fateor quidem illa ſimul coire in vnum poſſe, vt verè quis Chriſtianus ſit, & eloquens: quales fuêre ex Græcis Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Cryſoſtomus: ex noſtris, Hieronymus, Cyprianus, Ambroſius, Hilarius. Eſt enim elegantia ſermonis, orationíſq; cultus res talis, vt bonis & malis hęreticis, catholicíſq; cõmunis ſit, qua & bene quiſq; vti poteſt: bonis enim, catholicíſq; viris maximũ eſt ornamẽtum ad virtutum perſuaſionem, inſectationémq; vitiorũ vtiliſſima: quia ſi hæc alicui hæretico contigerit, eũ ad fallendum potentiorẽ reddet. Nam venuſtate ſermonis, quaſi quibuſdam blanditiis, lectoris animum in ſuam ſententiam trahit. Atque ideo hæc dixi, ne ſcilicet ſolo ſermonis ſplendore, tanquam aureo poculo intoxicato quis allectus, dogma venenoſum ebibat. Mirum enim in modum delectant ſermonis ſplendor, orationíſque cultus: verum minime reficiunt, niſi ſub illo verborum fuco, aliquis ſolidus veræ doctrinæ cibus lateat. Nam ſermonis elegantia, videtur mihi velut condimentum vt cibus auidius ſumatur. At ſolum condimentum in conuiuio apponere, eſt irritare famem, non prandium parare: quia ſi oratio fuerit rebus & verbis copioſa, & ornata oppipare, certe erit conuiuium, cui adſtare nullus meritò dedignari poterit. Inſuper hîc lectorem admoneo ne præſentibus ſcriptis omnino Gentilium libri deſerantur, quoniam in multis nos docere poſ-

Rom. 16.

ſunt: quorum cognitio eſt admodum neceſſaria ad ſacrorũ Librorum intelligentiam: diffinitiones & diuiſiones habemus à Logico & Metaphiſico: rerum proprietates oſtendit Phyſicus, ex quarum cognitione multa in Scripturis abſcondita nobis reuelantur. De Moyſe dicitur, quòd doctus fuerit in omni ſapientia AEgyptiorum. Auguſtinus libro 2. de doctrina Chriſtiana, aſſerit Gentiles hiſtorias plurimum conferre ad intellectum Scripturæ ſacræ: oſtendítque ex earum ignorantia aliquos circa Scripturas erraſſe: necnon troporum & figurarum cognitionem eſſe omnino ad Scripturarum ſenſum capeſcendum neceſſariam, quæ à Grammaticis & Oratoribus petenda eſt. Demum eodem libro cap. 40, de omnium Philoſophorum doctrina ſic ait, Sicut AEgyptij non ſolum idola habebant, & onera grauia quæ populus Iſrael deteſtaretur & fugeret, ſed etiam vaſa & ornamenta de auro & argento & veſtem (quæ ille populus exiens de AEgypto ſibi potius tanquam ad vſum meliorem clanculo vendicauit, non authoritate propria, ſed præcepto Dei, ipſis AEgyptiis neſcienter commodantibus ea quibus non bene vtebantur) ſic doctrinæ omnes Gentilium, nõ ſolum ſimulata & ſuperſtitioſa figmenta, grauéſque ſarcinas ſuperuacanei laboris habẽt (quę vnuſquiſque noſtrum, duce CHRISTO, de ſocietate Gentilium exiens, debet abominari atque deuitare) ſed etiam liberales diſciplinas vſui veritatis aptiores, & quędam morum pręcepta vtiliſſima continent: déq; ipſo vno Deo colendo nõnulla vera inueniuntur apud eos, quod eorum tanquam aurum & argentũ, quod non ipſi effoderunt, ſed de quibuſdam quaſi metallis diuinæ prouidentiæ (quę vbique infuſa eſt) eruerunt, & quo peruerſe atq; iniurioſe ad obſequia dæmonum abutuntur. Quum ab eorum miſera ſocietate ſeſe animo ſeparat Chriſtianus, debet ab eis auferre, ad vſum iuſtum prædicandi Euangelij, veſtem quoque illorum: id eſt, Hominum quidem inſtituta, ſed tamen accomodata humanæ ſocietati, qua in hac vita carere non poſſumus, accipere atque habere licebit in vſum conuertenda Chriſtianum. Hæc Auguſtinus.

Act. 7.

Exod. 12.

Ex his itaque hoc ſolo lectorem admoneo, vt quum per Gentilium libros ſpatiatur, caueat ne dum flores in eorum

campo legere voluerit, à ſpinis pungatur. Quorum ſtultæ & vanæ philoſophiæ tandem Deus pater mederi volens, facit quod ſequitur, Propter miſeriam inopum, &c.

Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus.

Hîc ſignificatur amor diuinus ad releuandos pauperes, ſatisfaciendúmque deſyderio inopum. Inops vero iuxta Græci nominis ethymologiam, is dicitur qui à ſtatu ſuo decidit: quẽ & nos dicimus, ſine opibus: iuxta illud, Inopes facti ſunt diuites. Pauper vero iuxta eandem Græci nominis ethymologiam, is dici poteſt qui proprio labore neceſſarium ſibi victum parit: cuiuſmodi fuêre omnes qui primi fidem ſuſcepturi erant, quippe qui bonis omnibus priuati, propriis manibus neceſſaria ſibi omnia parauerunt: tametſi ſępenumero promiſcue alterũ pro altero accipiatur. Sed nunc Dauid teſtatur reuelationẽ ac pollicitationẽ quam habuit de Saluatore mũdi. Quare in hoc & ſequenti verſiculo ſubtiliter Patris & Filij inſpiciendæ perſonæ ſunt, vt nobis intelligentiæ cõfuſio poſſit auferri. Intelligamus autẽ nũc quæ ſit pietas Creatoris, quando propter miſeriã inopũ Gẽtiliũ, videlicet qui nec legẽ nec Prophetas habuerũt, & gemitũ pauperũ, id eſt Iudæorũ bonis ſpiritualibus carẽtium, clarificatus eſt Dominus IESVS CHRISTVS, ne eius fideles diuturna iſta tribulatione vexarẽtur. Verũtamen tãquã hactenus ſederit Deus pater quieſcẽdo ab opitulatione prædicta, iam dicit, Exurgã: ad ſimilitudinẽ ſurgẽtis ad opẽ ferẽdam: & manifeſtabor in Filio. Apparet ſiquidem & manifeſtatur Pater in Filio, ſicut ipſe in Euãgelio dicit, Qui videt me videt & Patrẽ. Vna enim virtus & indiſcreta maieſtas amborũ. Et quoniã neq; lõgiſſime differẽdũ erat iſtiuſmodi auxiliũ, ait NVNC, nõ in fine quidẽ mundi, ſed tempore gratiæ, quod nõ in priori populo feci. Ad tẽpus tamẽ tardauit Meſſias venire, vt oſtẽderetur quãtus rigor vindictæ Dei, quę tantos patrũ clamores ſuſtinuit, antequã ad redimendũ Redẽptor mitteretur: & interim retardatione tãti beneficij creuit illius deſyderium: atq;, ſic homo proſtratus ſuam & ignorantiam & infirmitatẽ agnouit. Et ne in lege

Ioan. 14.

naturæ, aut in lege ſcripta ſideret, ſed in ſolo Chriſto, qui mundum de præfatis miſeriis infidelitatis, idololatriæ, & gentilitatis ſuo aduentu liberauit. Ita enim quando aduenit, res ſeſe habebant: iacebat in malis vel etiam voluebatur, & de malis in mala præcipitabatur totius humani generis maſſa, damnata & adiuncta parti eorum qui peccauerant angelorum: luebat impiæ deſertionis digniſſimas pœnas, nunc à dæmonibus nunc à Phitoniſſis omnia ſua conſilia capiens: & eo vſque excæcata, vt patres filios idolis immolarent: quemadodum fecit Agamemnon, filiam diis ſacrificans, vt proſperos haberet ventos. Et Priamus Aſtianacten, filium Hectoris, ad ſepulchrum Achillis mactauit. Plura ſuper his exempla ſunt apud Euſebium libro 5. de Præparatione Euangelica, quæ nunc breuitati ſtudens miſſa facio. At Chriſtus dum intrauit domum huius mundi,
Matth. 12. alligauit fortem, id eſt diabolum, & vaſa eius diripuit. Licet
Ioan. 14. enim diabolus ſemper fuerit princeps huius mundi, poſtquam ei homo ſe peccando ſubdidit, tamen eiuſdem diaboli
Luc 11. li poteſtas fuit ligata in aduentu & morte Chriſti. Nam quũ fortis armatus, id eſt diabolus, cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet: & Sathanas, quum aliquem ſua arte deceperit, & proprium ei impoſuerit iugum, vltra ad abundantiam vitiorum non impellit, ſciens eſſe iam mortuum: ſemper tamen malos bonis dominari facit, neque bonos vſquam imperare permittit, ne quod ſemel poſſidet, aliquãdo
Luc. 11. perdat. Si autẽ fortior cacodæmone, Chriſt⁹ videlicet ſuperueniẽs, vicerit eũ, vniuerſa arma eius auferet, in quibus cõfidebat, & ſpolia eius diſtribuet. Princeps quidẽ huius mũ-
Ioan. 14. di in Chriſto non habet quicquam. Vnde neque poſtea potuit idem diabolus impedire Gentium ad Deum conuerſionem, quod antè faciebat vigente idololatria: ſed Chriſtus
Matth. 10 verbo ſpiritus immundos eiecit, atque eoſdem eiiciendi poteſtatem, Diſcipulis dedit. Morte quoque ſua dicitur viciſſe diabolum, vt vinceret Gentes infideles per prædicationem Apoſtolorum. Per exteriorem inſuper carnis Dominicæ occiſionẽ, poteſtas diaboli interior, qua nos tenebat, occiſa eſt: factum eſt enim vt vincula multorũ peccatorum in multis ſpiritualibus mortibus ſoluerentur per vnicã corporalem mortem

ralem mortẽ Chriſti. Vnde dicit Apoſtolus ad Rom.cap.5, Si quum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius, multo magis reconciliati nunc in ſanguine eius, ſalui erimus ab ira per ipſum. Hac ſimiliter de cauſa Chriſtus & ſeipſum tentandum præbuit, vtpote ad ſuperãdas etiam tentationes mediator noſter eſſet, non ſolum per adiutorium, ſed & per exemplum. Quapropter hæc tãta de Chriſto præuidens Propheta ſuper redemptione totius humanæ ſobolis, voce Patris ſubdit, Ponam in ſalutari, &c. Matth. 4.

Ponam in ſalutari, fiducialiter agam in eo.

Salutare ſuum dicit Pater, Verbum quod eſt caro factum, per quod vita perdito humano generi reſtituta eſt: ſicut & vnius delicto omnes mortui. Sed quid ſuper eum poſuit Deus pater? certe contra gemitum lętitiam, contra paupertatem ſpirituales diuitias, vt illius nuditate vere locupletes ſimus, illius quoque egeſtate vere abundemus: qui nobis factus eſt optimum repurgamẽtum. Nempe propter ſimilitudinem carnis peccati in qua venit, dictus eſt & ipſe peccatum: ſacrificandus ad diluenda peccata. In veteri nãque lege peccata vocabantur ſacrificia pro peccatis. Quod vere iſte factus eſt, cuius erant vmbræ illa. Hinc Apoſtolus quũ 2.ad Corinth.cap.5. dixiſſet, Obſecramus pro Chriſto recõciliari Deo: ſtatim ſubiũxit, atq; ait, Eũ qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit, vt nos ſimus iuſtitia Dei in ipſo. Hoc eſt ſacrificium pro peccatis, per quod reconciliari valeremus. Ipſe ergo peccatum, vt nos iuſtitia, nec noſtra, ſed Dei, nec in nobis, ſed in ipſo: ſicut ipſe peccatum non ſuum, ſed noſtrum: nec in ſe, ſed in nobis conſtitutum, ſimilitudine carnis peccati, in qua crucifixus eſt, demonſtrauit. Vt quoniam peccatum ei non inerat, ita quodã modo peccato moreretur, dum moritur carni, in qua erat ſimilitudo peccati. Et quum ſecundum vetuſtatem peccati, nunquam ipſe vixiſſet, noſtram ex morte veteri qua in peccato mortui fueramus, reuiuiſcentem vitam noua ſua reſurrectione ſignaret. Quapropter in fiducia ſemper cũ Chriſto operari poſſumus: credita ſiquidem Domini à mortuis reſurrectio, & in cælum aſcenſio, magna ſpe fulcit fidẽ no-

Ioan. 1.
2. Cor. 8.
2. Cor. 5.
Oſeæ 4.

Ioan. 10. ſtram. Multum enim oſtendit quàm voluntarie pro nobis animã poſuerit, qui ſic eam habuit in poteſtatem reſumere. Quanta ergo ſe fiducia ſpes credentium conſolatur, conſiderans quanta prò nondum credentibus paſſus ſit? Quum enim iudex viuorum atque mortuorum expectatur è cælo, magnum timorem incutit negligentibus, vt ſe ad veniam prȩparent, eúmque magis bene agendo deſyderét, quàm male agendo formident. Quibus autem verbis dici, aut qua cogitatione capi poteſt præmium quod ille in fine daturus eſt, quando ad conſolationem huius itineris tantũ dedit de ſpiritu ſuo, quo in aduerſis vitæ huius fiduciam, charitatémque tantam eius, quem nõdum videmus, habeamus: & dona vnicuique propria ad inſtructionem Eccleſiæ ſuæ, vt id quod oſtendit eſſe faciendũ, non ſolum ſine murmure, ſed etiam cum delectatione faciamus. Nunc vero de perfectione iſtius Eccleſiæ atque legis Euangelicæ ab ipſo inſtitutæ, ſubnectit Pſalmographus. Sequitur, Eloquia Domini & cæt.

Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum ignẽ examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplũ.

Vtriuſque Teſtamenti doctrinam ſimul comprehendit: carmina Poetarũ, ſecularem ſapientiam, Rhetoricorũ põpam verborum explodit. Hæc ſua omnes ſuauitate delectant, & dum aures verſibus dulci modulatione currentibus capiunt, animam quoque penetrant & pectoris interna deuinciunt: verũ vbi cum ſummo ſtudio fuerint ac labore perlecta, nihil aliud niſi inanem ſomnum, & ſermonum ſtrepitũ ſuis lectoribus tribuunt: nulla ibi vel modica caſtitas, nulla ſaturitas veritatis, nulla refectio iuſtitiæ reperitur. Studioſi earum in fame veri, & virtutum penuria perſeuerant.
Deut. 21. Huius ſapientiæ typus in Deuteronomio ſub mulieris captiuæ figura deſcribuntur: de qua diuina vox præcipit vt ſi Iſraelites eam habere voluerit vxorem, caluitium ei faciat, vngues præſecet, & pilos auferat: & cum munda fuerit effecta, tunc tranſeat in victoris amplexus. Hæc ſi ſecundum grammaticũ ſenſum intelligimus, nõne ridicula ſunt? Ita tamen nos facere debemus quando philoſophos legimus:

mus:quando in manus noſtras libri veniunt ſapientiæ ſecu laris, ſiquid in eis vtile reperimus, ad noſtrum dogma conectimus: ſiquid vero ſuperfluum de idolis, de amore, de cura ſecularium rerũ, hæc radimus, his caluitium inducimus: hæc in vnguium morem ferro acutiſſimo deſecamus. Abſit igitur (vt verbis Hieronymi vtar) de ore Chriſtiano amodo ſonet Iupiter omnipotẽs, & Mehercule & Mecaſtor, & cætera magis portenta quàm numina. Eloquia Domini eloquia caſta ſunt. Nam ſicut caſtitas ignorat pollutionem, ita verbum Dei neſcit cum aliqua ſorde miſceri. Quapropter nunc Propheta metaphorico ſermone deſcribit officium Meſſiæ ad ſimilitudinem argentarij purificantis argentum follibus, igne, collatione, &c. Sicut etiam Malachias eadem ſimilitudine forte hinc accepta, deſcribit officiũ Meſſiæ cap. 3. dicens, Ipſe quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum: & ſedebit conflans & emundans quaſi argentũ. Nam Dominus IESVS CHRISTVS his qui peccant grauiter ignis conflans eſt, atque conſumens: qui autẽ leuia peccata cõmittunt, herba fullonũ, vt lotis munditiã reſtituat: ſecundum illud quod ſcriptũ eſt in Eſaia, Lauabit Dominus ſordes filiorum & filiarum Sion, & ſanguinẽ emundabit de medio eorum ſpiritu iudicij & ſpiritu cõbuſtionis. Eſa. 4. Qui ſordes habent, ſpiritu iudicij indigent vt lauẽtur: qui ſanguine pleni ſunt, ſpiritu combuſtionis, vt ſanguis qui in eis extrinſecus litus eſt, auferatur. Et ſedebit cõflans & emũdans ſicut argentum: vt ſecundum Ezechielem quicquid Ezech. 22. in auro noſtro & argento, id eſt ſenſu & eloquio, ære, ſtanno, ferro, plumbóque commixtum eſt, in camino Domini percoquatur, vt purum aurum remaneat, & argentum. Lex etiam diuina, quam ipſe Chriſtus nobis dedit, vere hoc argentum eſſe dici poteſt, quæ ſicut in veteri Inſtrumento latuit, tanquam vinũ expreſſum ab vuis ceremoniarum, & ſicut granum trituratum ex ſegete iudicialium, aut oleum ab oleis Prophetarum excuſſum, ita nunc ſplendet, tanquam argentum effoſum à minera, quod per ignem repurgatur à terra cęteriſq; aliis vilibus metallis cũ quibus eſt admixtũ. Nam igne Spiritus Sancti atq; ab ipſo Chriſto ſepties eſt ipſa purificata: Imprimis quia ab eo & inſtituta

& promulgata·Secundo quia eius paſſione & ſanguine(ſeu
Luc. 14. teſtamentum morte teſtatoris) obfirmata: Tertio per reſur-
Mar. 16. rectionem eſt declarata: quando Diſcipulis aperuit ſenſum
Acto. 2. & Scripturas: Quarto in aſcenſione palam facta, dum Apoſtolos miſit prædicare Euangelium omni creaturæ: Inſuper & in die Penthecoſtes prorſus elucidata, dum docuit eos omnem veritaté. Præterea & examinata & purgata & probata, tum Pauli aliiſque canonicis Epiſtolis, quum & ſanctis catholicorũ doctorum definitionibus, qui Spiritu Sancto afflãte loquuti ſunt. Vnde & ipſa ſacra philoſophia differt à cęteris ſcientiis humanis, quæ in ſolo lumine intus agentis ſunt traditæ, licet hoc non fiat ſine communi influxu ſuperiori. Nũc vero Pſalmographus more Græco poſuit genitiuũ pro ablatiuo, dicens ipſam doctrinam Euangelicam eſſe argentum probatum terræ, id eſt ſeparatum à terræ & terrenis ſordibus: atq; more Hebræo aſtruit eandé doctrinam eſſe purgatam ſeptuplum, hoc eſt ſæpius. Solent enim Hebræi ſepties ponere, pro pluries. Multi autem hãc prædicant, ſed non caſte, non probe: quia vendunt illã pretio commoditatũ huius ſeculi, & potius in ea terrena quàm cæleſtia ambiunt. Quare Propheta præuidens adhuc ſuo tépore multum diſtare aduentum Meſſiæ, qui tanta mala reformaret, idcirco nunc petit interim ſeruari à generatione falſiloqua ſibi contemporanea. vnde ait, Tu, Domine, ſeruabis nos, & cæt.

Tu, Domine, ſeruabis & cuſtodies nos à generatione hac in æternum.

Petit quod in principio efflagitauit, ſcilicet liberari à perditorum conſortio: proinde ait, Tu, Domine, ſeruabis nos, non ipſi nos: quia pro hac via poteſtas nocendi hominibus non eſt omnino ablata cacodæmoni, licet ad tempus quandoque ligetur, vt antè ſcriptum eſt: & omnium malorũ turbam ſimul nunc vitat Dauid, non ſperans in viribus ſuis, ſed ſemper ad Dei auxiliũ confugiens, omnia dat Domini volũtati, vt mereatur accipere quod precatur. Oritur ergo
Malach. 4 nobis Sol iuſtitiæ, quando vultu Dei confirmamur. Neque
Gene. 32. enim Iacob ad fratrem crudeliſſimum audebat reuerti, niſi

Domini

Domini præſidio roboratus. Vnde loquitur Moyſes, Vidi Dominum facie ad facie, & ſalua facta eſt anima mea. Non proprietate quidem naturæ, ſed dignatione miſerentis. Ioſeph in Aegypto clauditur carcere, ibiq; infertur ꝙ cuſtos carceris omnia poteſtati eius fideiq; commiſerit, ſed cauſa redditur, quia Dominus erat cum eo. Liberatur populus de AEgypto in manu forti & brachio excelſo, non Moyſis & Aaron, ſed eius qui ſignorū miraculis populū liberauit, & ad extremum percuſſit primogenita AEgypti, vt qui prius retinebant pertinaciter, ardenter exire cōpellerent. Audemus igitur per liberū arbitriū ſuperbire & abuti beneficiis Dei in contumeliā largitoris? quū vas electionis Paulus apertiſſime ſcribat, Habemus theſaurū iſtū in vaſis fictilibus, vt abūdantia fortitudinis noſtræ ſit ex Deo & nō ex nobis. Quare qui gloriatur, in Domino glorietur: neq; enim qui ſeipſum cōmendat, ille probatus eſt: ſed quē Deus cōmendat. Sicut enim rami & flagella vitium illico contabeſcunt quū fuerint à matrice præciſa, ita omnis hominū fortitudo marceſcit & deperit ſi à Dei auxilio deſeratur. Quare loquitur Salomon, Eſto confidens in Dominum in toto corde tuo: in tua autē ſapientia ne exalteris: in omnibus viis tuis cognoſce eū, vt rectas faciat vias tuas. At nunc Propheta rogat in æternum cuſtodiri à generatione hac peſſima. Totus ſermo, ad Deū oratio eſt, tota oratio & deprecatio extorquet clementiam Creatoris, vt qui noſtris viribus & ſtudio ſaluari non poſſumus, illius miſericordia cōſeruemur. Iam in Domini poteſtate eſt, vt id quod cupimus, quod laboramus ac nitimur, illius ope & auxilio implere valeamus. Additur autē IN æternū, quia hîc nos in tribulationibus cōſolatur, ibi in æterna ſecuritate conſtituet: hîc adiuuat, illic beatificat: vt nullatenus amplius miſeri eſſe valeamus. Veruntamen regius Vates quo magis oſtendat ſe indigere Dei cuſtodia, ſubnectit, in circuitu impij ambulant, &c.

Gen. 39.
Exod. 12.
2. Cor. 4.
2. Cor. 10.
Prouer. 3.

In circuitu impij ambulant: ſecundum altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum.

Adiungitur hoc ad manifeſtandum quòd aduentus Meſſiæ non ſaluaret omnes, ſed erunt etiam poſt illius aduen-

tum impij, qui circũ circa ambulabunt in circunferentia? hoc eſt in remotis à veritate & virtute facti extra centrum illarum. Et aſſimilantur iſti monſtrantibus pudenda coram hominibus, nam manifeſta erunt vitia eorum, quorum deberet eos pudere. Quare poſtquã Dauid ſermones iniquorum in prima parte magna execratione redarguit, & in ſecunda parte eloquia Domini mirabili prædicatione laudauit, nunc venit ad cõcluſionem Pſalmi, in qua ſingulis partibus ſub vno verſu digna reſtituit. Dicit enim ſub breuiſſima ſententia (ſicut nunc nunc expoſuimus) in circuitu impios ambulare: vt nũquam ad rectam poſſint ſemitam peruenire. Tortuoſæ ſiquidem viæ malis ſemper moribus applicãtur: ſicut Salomon de impiis ſcribit, Dereliquerũt vias

Prouer. 2. rectas, vt ambularent in vias prauas, atque temporalium cu piditate, quæ ſeptem diebus voluuntur, detinentur: & ideo peruenire ad requiem octauæ diei nequeunt, qui rotarum more in ſua ſemper terga vertuntur. Sequitur, Secũdum altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum. Hoc ad illos pertinet qui ſyncere eloquiis Domini caſtis puriſſimíſque crediderunt. Et vide quantum illis in iſto verbo promittitur. Dicit enim, Secundum altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum, non ſecundum meritum ſuum, ſed ſecundum illud quod humanas neſcit anguſtias ſuſtinere. Altum enim ſæpe dicimus quod comprehendere non valemus. Sub menſura autẽ Creator non eſt, quæ creaturis omnibus data eſt, nec aliqua in eo poteſt eſſe dimenſio: à quo rebus omnibus numerus, pondus, menſuráque præſtatur.

Pſal. 83. Multiplicantur vero iuſti ſecundum altitudinem, quando ibunt de virtute in virtutẽ, vt videatur Deus deorũ in Sion.

IN PSALMVM DVODECIMVM.

Vsquequo, Domine, obliuiſceris me in finem: uſquequo auertis faciem tuam à me?

Titulus eſt, Vincenti Pſalmus Dauidi. & patet titulus ex dictis in aliis titulis. Nam hîc, Vincenti, eſt nomen officij aut modi muſici. Vnde nunc ſignificari videtur quòd Pſalmus

mus iſte aſſignatus ſit ipſi Dauidi tanquam præſidenti in illo actu muſico. Argumẽtum autem huius Pſalmi reperitur multiplex. Quidam exiſtimant, quòd ſit vltima anxietas Dauidis timentis incidere in manus Saulis. de qua 1. Regũ cap. 27. Quare nunc voce fere querula exponit Deo ſtatum periculi ſui à Saule. petitque vt ſibi ſuccurrat illuminando, &c. Et promittit ſeu prophetat gratiarum actiones. Verum quia ſciebat quòd non ſemper duratura eſſet diuina obliuio reſpectu ſui, (ipſi quippe iam reuelatum erat quòd futurus eſſet Rex) neſciens tamen quãdiu duratura eſſet, ſuſpirat ad Deum, Vſquequo obliuiſceris mei, Domine, id eſt, Ad ſimilitudinẽ obliti te habebis reſpectu mei. In idem redit auerſio faciei quæ ſequitur, quæ ſignificat denegationem gratiæ ſuccurſiuæ, ne ſcilicet miſereatur, ne requiratur. Et hæc auerſio faciei tanquam prima cauſa ſubſequentium præponitur. Facies enim Dei potentia illa in Deo eſt, quã aſpicit nos ac cuſtodit, & beneficiis donat. Auerſio vero Dei, cõtraria operatio eſt, quando nimirum indignos quoſque à cuſtodia & protectione ſua auertit, tanquam ea operentur quæ in cõſpectu eius abominabilia videri poſſint. Verum humanis loquendi modis Propheta diuinas nobis actiones exprimit. Puto etiã non indecenter nunc iſta accipiemus tanquam Propheta in perſona antiquorum patrum de dilatione aduentus Chriſti, per quem futurã redemptionẽ expectabãt, cõqueratur. Nã omni deſyderãti, moleſtia eſt cunctatio: & (vt inquit Salomõ,) Spes quæ differtur affligit animũ. Ipſam tamẽ ſuã redemptionem omnis mundus per Chriſtum efflagitabat, quæ & nõ prius contigit, quàm in plenitudine temporum & complemento figurarum (vt inquit Apoſtolus,) Dum venit plenitudo temporis, miſit Deus Filiũ ſuum factum de muliere, factum ſub lege, vt eos qui ſub lege erant, redimeret. Ipſum autem tempus plenitudinis, dicitur tempus gratiæ, quod ab aduentu Saluatoris ſumpſit exordium: hoc eſt tempus miſerendi, & annus benignitatis, in quo gratia & veritas per IESVM CHRISTVM facta eſt. Gratia, quia per charitatẽ impletur quod in lege præcipiebatur: Veritas, quia per Chriſti aduentũ exhibetur atq; perficitur humanæ re-

1. Reg. 18
Prouer. 13
Gala. 4.
Pſal. 101. & 64.
Ioan. 1.

déptionis ſponſio facta ab antiquo. At diu(vt nunc nūc dicitur)tardauit is venire qui dudum pridē & per Prophetas & per Patriarchas vēturus annūtiabatur. Vnde & modo querelæ ſunt. Nā ab Adā vſque ad Chriſtū natū(Euſebio teſte) fluxerūt anni 5190, & ſexta ætate Meſſias oritur, ſicut ſexto die mundus cōſummatur. Toto hoc tempore Adam cum

Gen. 1. & 2. ſua poſteritate expectauit in limbo exul à paradyſo, donec CHRISTVS ſua paſſione ſeras mortis, & vectes inferni ferreos, claue crucis confregit. Quæ res cauſa fuit cur clamarent captiui patres Redemptorem mundi cito aduenire. Talis querela ſemper fideles animas pulſabat, vt iugiter cælum deſyderarent. Nanque licet paſſione Chriſti præuiſa gratia humano generi collata ſit, tamē ea ſola paſſio actu exhibita, ianuam regni aperuit, quæ prius ſemper peccato Adæ clauſa erat. Sicut ſi multi offenderunt Regem, & pro crimine exulant, venit vnus innocens de ſanguine eorum, promittit facere vnū opus pro Rege certo die à Rege ſtatuto, vt Rex dimittat eis offenſam & recōcilietur eis, Rex acceptās ſeruitiū promiſſum, condonat culpā: ita tamē ꝙ nullus peccantiū intret palatiū, donec ſeruitiū promiſſum exhibeatur. Tunc opus illud promiſſum, vt præuiſum, meretur recōciliationē, ſed præciſe quādo eſt exhibitū, palatiū aperit. Itaq; in hoc CHRISTI ſanguine, qui ſoluit quę nō rapuit, redēpti ſumus, omniū culparū chirographa tūc deleta ſunt, quibus debitores antè tenebamur. De obediētia & iuſtitia mortē guſtauit CHRISTVS, per quā nos redemit à ſeruitute diaboli: vnde ipſe vere dicitur Redēptor mundi, & Dei hominúmq; Mediator: ſed Mediator in Scriptura dicitur ſolus Filius: Redemptor vero aliquādo etiā Pater vel Spiritus Sanctus dicitur: & hoc propter vſum poteſtatis, nō propter exhibitionem humilitatis & obediētię. Quòd ſi vis ſcire quia cum Filio in opere redēptionis fuit & Pater, Nō ſum(inquit Dominus IESVS)ſol⁹, ſed Pater mecū eſt. Audi quomodo adfuit & Spiritus Sāctus: nam refert Euangeliū quòd IESVS plenus Spiritu Sancto regreſſus eſt à Iordane. Et huiuſce rei habes ſimilitudinē in cithara. Nam vt muſicū ſonū reddat, tria pariter in ea adeſſe videntur, ars, manus, & chorda, & tamen vnus ſonus auditur. Ars dictat, manus

[Margin: Pſal. 68. Coloſſ. 2. 1. Tim. 2. Ioan. 8. Luc. 4.]

manus tangit, reſonat chorda. Tria pariter in cithara operantur, ſed ſola chorda perſonat quod auditur, nec ars nec manus ſonũ reddunt, ſed cũ chorda pariter operantur. Sic nec Pater nec Spiritus Sanctus aſſumpſerũt carnẽ, & tamẽ cũ Filio pariter operantur. Sonũ ſola chorda excutit, carnẽ ſolus CHRISTVS accepit: operatio in tribus conſtat, ſed queẽadmodũ pertinet ad ſolã chordã ſoni redditio, ſic pertinet ad Chriſtũ ſolũ carnis humanæ aſſumptio. Hic eſt arbiter quẽ Iob deſiderat, hic eſt agnus qui peccata noſtra pertulit in corpore ſuo, ſuper lignũ: ea eſt facies quã tãdiu eſſe auerſam à militante Eccleſia nũc dolet Propheta, & quam Moyſes (Exodo cap. 33.) videre rogabat, quum tamẽ ſolum poſteriora viderit, Nam incarnationẽ Chriſti futurã quidẽ credidit, ſed præſentiã Domini in carne, cernere nõ potuit: quæ fuit facies à patribus veteris Inſtrumenti multũ cõcupita. Et rectè Dauid nunc addit, IN finẽ, vt ſignificet hoc myſteriũ perficiendũ in fine temporũ: vel iſtud aggrauatio mœſtitudinis eſt. Nam videtur afflicto quòd nunquam finiri debeat ſua afflictio. Quare ſequitur in contextu,

Iob. 9. 13.
1. Petr. 2.

Quandiu ponam conſilia in anima mea, dolorẽ in corde meo per diem.

Nunc Propheta declarat ſe eſſe vehementer anxium in anima, & doloroſum in corde ex magnitudine timoris, quiquidẽ eſt de malo futuro: & propterea ſententia philoſophi conſiliatiuos facit. Mutauit autẽ multa conſilia Dauid in perſequutione illa Saulis. Nam primũ fugit in Geth, inde venit ad ſpeluncã Odollã, vbi congregauit viros quadringentos: inde iuit ad Moabitas, & poſtea venit in terrã Iuda, vagus nunc hîc nunc ibi: quo in loco demum anxius in corde, & timens incidere in manus inimici, poſt tot mutata conſilia, dicit, Quandiu ponam cõſilia in anima mea: addit, Dolorem in corde meo per diem. & id certe ad differentiam triſtitiæ nocturnæ. Die ſiquidem dolorem premebat corde, hilari vultu alios confortans, nocte autem ſolus triſtitiam habebat intus & extra. Et aiunt Hebræi dictionem Hebraicam hîc interpretatã DIEM, ſignificare apud eos diem artificialem. Poſſunt inſuper his verbis deſigna-

1. Reg. 21.
1. Re. 22.

rí querelæ patrum Meſſiam in limbo expectantium: præſertim quum indicibile tormentum ſit concupiſcere bonũ, & diutius expectare venturum. Sed quantum antiqui Patriarchæ & Prophetæ deſyderarunt in carne videre Chri-
Gen. 49. ſtum, indicat venerabilis Iacob, qui quum moriturus filios benediceret, ait, Salutare tuum expectabo, Domine: quaſi, Non vt infideles expectabo Antichriſtũ, ſed verũ CHRI-
Eſaiæ 64. STVM Redemptorem mũdi. & Eſaias, Vtinam diſrumperes cælos & deſcenderes, & qui ſemper promitteris, tu aliquando promiſſa compleres. Hoc autẽ eo tempore dicebatur, quando necdũ Saluator aduenerat, nec de vtero Virginali naturæ noſtræ atque ſubſtantię aſſumpſerat hominem, quẽ ſaluaret. Quæ omnia & poſtulationes & ardẽtes precationes de Redemptore mundi fuerunt. Verũtamen neque ipſam Domini incarnationẽ vſque meruerũt, quæ fuit opus meræ gratiæ, cuius nullũ meritũ præceſſit: vti ſcribitur Ioãnis cap. 1, Gratia & veritas per IESVM CHRISTVM facta eſt. Et (teſtante Auguſtino) in rebus per tempus ortis illa ſumma gratia eſt, quòd homo in vnitate perſonę cõiunctus eſt Deo. Nec etiam ipſi patres petebãt vt Chriſtus aliquando incarnaretur, quod ex diuino promiſſo certũ habębant: ſed tantũ petierunt vt veniret & incarnari nõ differret. Quare hoc meruerunt quod petebãt, puta accelerationem incarnationis: & id imprimis beata Virgo Maria, de qua canit Eccleſia, Quem meruiſti portare, reſurrexit: non quòd ipſam incarnationem Chriſti meruerit: nã potuit ille de alia matre incarnari. Sed prædefinito ab Alto quòd aliquando filius Dei incarnaretur, meruit potius de ea, quàm de alia muliere hominẽ aſſumeret. Iſtius ſigilli manifeſtatio fuit hominibus tantũ bonũ, vt propterea Chriſtus Lucæ cap. 10, Apoſtolis dixerit, Beati oculi qui vident quæ vos videtis (Chriſtum ſcilicet in carne.) Dico enim vobis quia multi Prophetæ & Reges voluerũt videre quæ vos videtis, & non viderũt. Puta liberatorẽ captiuæ carnis. Quapropter
Matth. 11. huiuſce rei cauſa Ioannes in vinculis, mittẽs Diſcipulos, ſciſcitatur à Chriſto, Tu es qui venturus es, an aliũ expectamus? Non quia ipſum eſſe mundi Redemptorẽ dubitet, de
Ioan. 1. quo iam dixerat, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata

mundi,

mundi. Sed quærit vt ſciat ſi is qui per ſe in mundum venerat, per ſe etiam ad inferni clauſtra deſcendat. Quem enim præcurrens mundo nuntiauerat, hunc moriendo, & ad inferos præcurrebat. Quærebat igitur vt qui natiuitatis illius præcurſor extiterat mundo, deſcenſionis etiam illius ad limbum præcurſor fieret, & proximè venturum inferno nuntiaret, quem iam veniſſe mundo dixerat: vt ſic tandem grata patribus noua perferret, quorum vota breui implenda aſſereret: & tanto magis acceptum foret hoc nuntium, quanto diutius ipſum antè expectatum. Nam opportune poſt ſollicitudinem, gaudium: poſt laborem, quies ſequitur. Placet cunctis ſecuritas, ſed magis ei qui timuit: iucunda omnibus lux, ſed plus his qui de tenebris ad diem tranſeunt. Proinde & voluit Baptiſta, ipſi patres ſuper hoc nouo rumore exultantes iam reſonare inciperent iſtud Dauiticum, Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti: annis quibus vidimus mala. Pſal. 89. Quæquidem mala etiam aliquantiſper durare nunc iterum deplorat Propheta, dicens: Vſquequo exaltabitur inimicus, & cæt.

Vſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me? reſpice & exaudi me, Domine, *Deus meus.*

Crebra hîc eſt repetitio vnius & eiuſdem, ad maiorem firmitatem ſeu expreſſionem conceptus mentis. Quare iam tertio conqueritur Dauid vel ſuper eleuatione Saul, dicens: Vſquequo in exaltatione perſeuerabit inimicus meus? Et ſupplex recurrens ad Deum, tanquam in ſublimi conſtitutus, orat, Reſpice oculo miſericordiæ: exaudi me liberando à tantis anguſtiis, Domine per omnium gubernationem, Deus per creationem, Meus per verum cultum & fidem. Seu vox Patriarcharum & Eccleſiæ eſt, qui de regno diaboli (quod paſſim ante CHRISTVM per idololatriam colebatur) lugent, & ipſum ocius per Meſſiam exterminari deſyderant: vti repromittebat Daniel cap. 9. ita ſcribens, Dum vrgetur Sanctus ſanctorum, tunc implebitur Prophetia (quippe lex &

Prophetæ vſque ad Ioannem) & delebitur iniquitas, vi-
Matth.11. delicet idololatria, quæ fere vniuerſum orbem labefa-
ctabat. Nam homines aliis adulando, ſuos proauos deos
eſſe finxerunt: ipſos primum ſtatuis donantes. Quemadmodum geſſit Ninus fabricans ſtatuam Beli patris ſui, quam & adorari præcepit: atque hæc paulatim per animas hominũ, dæmonibus ſimiles & ludicrarum rerum auidas, irrependo, longè latéque vulgantur: & interim dæmon has ſtatuas ſubintrat, & in his conſultus reſponſa dabat: ex quibus cœperunt varia ſacra variis diis inſtitui. Tria quoque genera Deorũ per Scæuolam Pontificem diſputata: vnum à poetis, alterum à philoſophis, tertium à principibus ciuitatis traditum. Quod vtique tertium, non aliam ob cauſam forte factum videtur, niſi quia hominũ velut prudentium & ſapientium negotium fuit populum in religionibus fallere, & in eo ipſo nõ ſolum colere, ſed imitari etiã dæmones, quibus maxima eſt fallendi cupiditas. Sicut enim dæmones niſi eos quos fallendo deceperint, poſſidere non poſſunt: ſic & homines principes non ſane iuſti, ſed dæmonũ ſimiles, ea quæ vana eſſe nouerunt, religionis nomine, populis tãquam vera ſuadebant: hoc modo eos ciuili ſocietati velut arctius alligantes, quo ſimiliter ſubditos poſſiderent. Quis autem infirmus & indoctus euadere potuit ſimul fallaces & principes ciuitatis, & dæmones? Sed quum iſtud venenum tam late funderetur, recte nunc petunt fide-
Pſal.39. les huic malo mederi. Quippe beatus eſt populus cuius eſt Dominus ſpes eius, & qui non reſpexit in vanitates, & in has inſanias falſas. Quare optime contigit naturæ huma-
Lucæ 1. næ quando viſitauit Deus, & fecit redemptionẽ plebis ſuæ: Et erexit cornu ſalutis nobis in domo Dauid. In qua ſecundum carnẽ natus eſt CHRISTVS. Iſtud nunc impleri obnixe pro ſuis deprecatur Eccleſia, veniátque Dominus
Pſal.23. & IESVS fortis in prælio, deſtruere omnes hos ſpirituales
Lucæ 11. inimicos, facere miſericordiã cũ patribus. Quod & cõpletũ exiſtimat Origenes, ita ſcribens, Ego puto (inquit) quòd in aduentu Domini Saluatoris & Abraham & Iſaac & Iacob frui voluerũt miſericordia Dei. Neque enim credibile eſt,
Ioan.8. vt qui prius viderunt diem illius & lætati ſunt, poſtea in

aduentu

aduetu ipſius & natiuitate de Virgine, nihil vtilitatis acceperint. At poſt longa ſuſpiria petitur etiã aſpectus Dei, vt ſeruet, ne aliquando fraudibus inimici cadamus: ſimul vt exaudiat mittendo cito eum quem miſſurus erat. At dicitur, Illumina oculos meos, & cæt.

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte: nequando dicat inimicus meus, præualui aduerſus eum.

Iſtud accipi poteſt ſiue Dauid dicat, Illumina oculos meos ad optimum conſilium capiẽdum vt vitem decipulas atque laqueos inimici: & periculum explicat, Ne aliquãdo obdormiam morte, incidendo in manus Saulis. Et talia loquitur non diffidens de diuina promiſſione, ſed ſecundum humanas rationes & cauſas territus, ac petens illuminatum conſilium, ne alioqui videatur tentare Deum: ſimul ne vſquam extolleretur Saul, quòd viribus propriis Dauidem oppreſſiſſet. Siue quum diabolus per peccatum primi parentis de homine triumpharet, eum & ſua captiuans, Ioan. 8. à qua ſeruitute ſolus filius Dei liberabat: nunc regius Vates pro cunctis filiis Adæ Propheticum carmen exorat, vt Meſſias reſpiciat, vt exaudiat, vt illuminet oculos qui obdormierant in morte, vt non dicat malus angelus, Præualui, obtinui, & ero Dominus in æternum. Atque ita iſta eſt vox læſæ humanæ naturæ ad Deum, Illumina oculos meos, & cæt. hoc eſt, Ope tua, tanquam ſplendidiſſimo candore ſolis, diſſipa noctem calamitatum mearum, ne creſcentibus malorum tenebris, duriſſimo mortis ſomno mei conſopiantur. Quapropter (teſtante Auguſtino) quãuis potuit Deus hominem aliunde ſuſcipere in quo eſſet Mediator Dei & hominum, nõ de genere illius Adam, qui Gene. 3. peccato ſuo obligauit genus humanum, ſicut ipſum quem primo creauit, non de genere alicuius creauit. Poterat ergo vel ſic vel alio quo vellet modo creare vnum alium quo vinceretur victor prioris: ſed melius iudicauit & de ipſo, quod victum fuerat, genere aſſumere hominem, per quem hominis vinceret inimicum: vt eiuſdem generis eſ-

ſet ſatisfactor, cuius erat prævaricator. Iuſte ſiquidem ab eo exigitur emenda, in quo reperta eſt offenſa. Simul etiam vt magis atque magis innoteſceret miſericordia Redēptoris, qui etſi ab aduerſario ſpretus, tamen vt ipſum redimeret ſuo generi perſonaliter vniri voluit: non quòd ſimul maculam originalis aſſumpſerit, ſed ad oſtendendam dignitatem humanæ naturæ, illius voluit Deus eſſe redemptor, cuius fuit & creator. Interim vero donec Saluator veniſſet, nunc petit Propheta oculos cordis Chriſticolarum illuminari, qui in mortem obdormiunt: quando fidei lumine ſepulto, carnali delectatione clauduntur. Ipſe eſt enim ſomnus de quo lætatur inimicus: hæc eſt, quam timere oportet, inſultatio Diaboli: qui ſi ſemel vicerit, propterea ſemper magis audet. Vnde ſubnectit Propheta, Qui tribulant me, & cæt.

Qui tribulant me, exultabunt ſi motus fuero: ego autem in miſericordia tua ſperaui.

Nota locum: ſicut Moyſes Exodi cap. 32. placauit Deum talia allegās, Ne quęſo dicāt AEgyptij, callide eduxit eos vt interficeret in mōtibus & deleret è terra: quieſcat tua &c. & ipſe Deus affirmat ſe rationem habuiſſe, ne forte ſuperbirent hoſtes Iſrael, & dicerent: Manus noſtra excelſa, &c. Deutero. 32. Ita Dauid modo à Deo petit vt illuminet, ne moriatur, ne incidat in manus Saulis, ne inimici gloriētur, quòd præualuerint: præſertim quum ipſe Dauid ſpem fiduciámque ſuam omnem in Deum repoſuerit, hoſtes vero eius in viribus & perſequutionibus ſuis. In periculis ergo nec debemus deſperare, nec de noſtris viribus præſumere: ſed totam ſpem noſtram in Dei miſericordia figere, qui potens eſt & nos ſubleuare ſi cadimus, & ſtabiles facere, ne labamur. Aſpice inſuper, quamuis deſyderio magno aduētus Chriſti teneretur Propheta, patientiæ ſuæ tamen momenta declarat, dicens, Etſi adhuc contingat propria vota
Rom. 5. differri, ipſe tamen ſuperna miſericordia ſuffragante, in ſpe venturi ſum firmiſſimus, quæ ſpes non confundit. Nam eius pignus, Deus, qui non fallit. Vnde probatur non habere ſpem, qui aut præceptis aut promiſſis confunditur Chriſti.

Chriſti. Sed ô virtus fidei, & firmitas magna credentis! Gaudebat ad præſentis abſentiam, & interior homo Dei ſalutatare iam conſpexerat, quem adhuc exterior carnalibus oculis cernere cupiebat. Veruntamen quia hæc ſpes in Deo lætitiám cordis generat, ideo ait, Exultabit cor meum, &c.

Exultabit cor meum in ſalutari tuo: cantabo Domino qui bona tribuit mihi, & pſallam nomini Domini altiſſimi.

Propheta Dauid futuram exauditionem diuinam prædicit, tum ſuam ſalutem, tum retributionem, gratias agendo Deo, qui eum in Regem exaltauit. Et præteritum TRIBVIT, refert non ad tempus Pſalmi, ſed iſtius futuri regni. Aut quum in principio huius Pſalmi crebra conqueſtione à deſyderio ſuo dicat Vates ſe eſſe retardatum, hîc ſibi beneficia Domini iam lætus aſſerit condonata: ſiue quia per Prophetię virtuté accepiſſe ſe dicit, quod manifeſtè nouerat eſſe venturũ, ſiue quia hoc ipſum crediſſe iam præuium erat. Sicut legimus Gen͂. cap. 15, Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. Meritò ergo ſe accepiſſe dicit, cui tanta fidei fuerat firmitas conceſſa: & magna hæc virtus per quam iam habet quod futurum eſt: quomodo per hanc Abraham vidit diem Domini, & in eo lætatus Ioan. 4.
eſt. Sed nota quòd hic primum dixit, Cantabo, deinde Pſallam: ſi autem aliqua differentia conſideranda eſt, Cantabo corde, pſallam operibus bonis: vt CANTABO pertineat ad contemplatiuum, PSALLAM ad practicum conuictum. Quæ duo tanquam gemini oculi pulcherrimè ſociata, reddunt fulgentiſſimum Chriſtianum. Tria verò nunc nobis inculcat Pſalmographus, Nam Chriſto exultat corde, cantat voce, pſallit opere. & meritò quidem: nempe diues eſt pietate, qui & iuſtis victoriam præſtat, & peccatores vt ad eum conuertantur, inuitat. Atque ſic oſtéditur perfectio diuinæ laudis. Si enim Deum pure & perfecte laudare cupimus cuncta quæ in nobis ſunt, in eius laudem reſonare debent, videlicet lingua, vita, conſcientia, &c.

IN PSALMVM XIII.

DIxit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus.

Titulus huius Pſalmi ſecundum Hieronymũ eſt, Victori Dauid: qui ſatis patet ex præcedentibus. Propheta vero nunc depingit qualiter radix omnium vitiorũ, eſt male ſentire de Deo. Et imprimis facies illa Domini quæ in duodecimo Pſalmo tam ardenter petitur, hîc cõtra Iudæos quaſi aduenerit, dicitur: arguitur quoque eorum & inſipientia & duritia, quòd præſentem non receperunt, quem abſentem deſyderabant. Similiter & philoſophorum ac totius mundi deteſtandum carpitur ſacrilegium, dum peruerſa atq; falſa de Deo ſentiẽtes niſi ſunt dicere, Non eſt Deus. Quem quidem errorem, etſi corde conceperint, non tamẽ auſi ſunt hanc ore proferre. Quippe omnes tales facti ſunt, vt Deum poſſint agnoſcere ſi velint, ſiue per naturam, ſiue per facturam & rationem: vt vnus creator ex creaturis co-

Rom. 1. gnoſcatur. Atque idcirco tam pulchra aſtra condidit, vt ex his illius maieſtas, & quantus & quàm admirabilis ſit, poſſit agnoſci. Fabrica ſiquidem huius mundi, Deum manifeſtat: vt enim Deus, qui inuiſibilis eſt, etiam viſibilibus poſſit ſciri. Opus factum eſt ab eo, quod opificem viſibilitate ſua manifeſtaret, vt per certum incertum poſſit ſciri, vt per hoc quod cæteris impoſſibile eſt, ille eſſe Deus omnium crederetur, qui hoc opus fecit. Sic Ariſtoteles iſtorum conſideratione, & ad vitãdam infinitam circuitio-

Act. 17. nem, tandem ad cognitionem vnius primæ cauſæ deuenit, quã eſſe Ens entium fatetur. Sic Pythagoras in finibus veritatis philoſophatus, dum exiſtimauit Deũ eſſe animã motu ac ratione mundũ gubernantẽ. Sic Paulus, vbi Atheniẽſibus loquens, quũ rem magnã de Deo dixiſſet, & quę à paucis poſſet intelligi, quòd in illo viuimus, & mouemur & ſumus, adiecit & ait, Sicut quidam veſtrorum Poetarum dixerunt: in hoc teſtimoniũ ex Arato accipiẽs, qui de Deo dixit, Ipſius enim & genus ſumus. Sic Plato in his meditatus, ſcripſit ſapientẽ eſſe & imitatorẽ & cognitorem & amatorem huius Dei, cuius participatione ſit beatus. Diffiniuit quoque

quoq; finem boni eſſe, ſecundum virtutem viuere, & ei ſoli euenire poſſe, qui notitiam Dei habeat, & imitationẽ: nec eſſe aliam ob cauſam beatum. Ideóque non dubitat hoc eſſe philoſophari, Amare Deum, cuius natura ſit incorporalis. Qua in ſententia quum in aliis pene rebus cæteros omnes philoſophos vincat, tũc ſeipſum ſuperat, nec immeritò diuinus dictus eſt, non quòd Hieremiam prophetam audiuerit, vel ſcripturas Septuaginta Propheticas in ſua peregrinatione legerit. Quippe (Auguſtino teſtante) diligenter ſupputata temporum ratio Platonem indicat à tempore quo prophetauit Hieremias, centum ferme annos poſtea natum fuiſſe. Qui quum octoginta & vnum vixiſſet, ab anno mortis eius vſque ad tempus quo Ptolomæus Rex AEgypti ſcripturas Propheticas gentis Hebræorum de Iudęa popoſcit, & per ſeptuaginta viros Hebræos qui etiam Græcam linguam nouerant, interpretandas, habendáſque curauit, anni ferme reperiuntur ſexaginta. Quapropter in illa peregrinatione ſua Plato nec Hieremiã videre potuit tãtò antè defunctũ, nec eaſdem ſcripturas Septuaginta legere, quæ nondum fuerant in Gręcam linguam trãſlatæ, qua ille pollebat. Sed forte quia fuit acerrimi ſtudij, ſicut AEgyptias ita & Moſaicas ſcripturas per interpretem didicit colloquendo, quid continerẽt, quantum capere potuit addiſcẽs. Inſuper AEgyptiorum philoſophia fuit peruetus, à Chaldæis magna ex parte tradita, imprimíſq; ab Abraham: quo in ſtudio multa diuina comprehẽdere potuit. Quid mirum ergo dum ſcribit Apoſtolus ad Hebræos, Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirẽtibus ſe remunerator ſit. Nam credere Dei vnitatem, & eius æternam remunerationem, ſemper fuit poſt lapſum, homini plena ratione vtenti, præceptum. Quæquidem duo, perpenſo ordine rerum, conditionéque fragilis naturæ diſcuſſa, argumento tam efficaci demonſtrãtur, vt neque in contrarium aliquid validũ adduci poſſit. Quare etiã ante legem reuelatã tenebãtur primi homines pro tẽpore induciarũ perfecti vſus rationis non habere hunc actum, Credo non eſſe aliquẽ Deũ: nam ſemper tenebantur velle quod recta ratio dictabat. Et dum ita natura bene vterentur, ſtatim prope aderat Domi- Hebr. 11.

nus inuocantibus eum, ipſos illuminando quantum eis neceſſe erat ad ſalutem, ſiue per hominem ſiue per angelum. Act.10. Vti & Cornelio contigit, de quo in Actis Apoſtolorum. Adde quòd ſemper à conſtructione mundi fuerunt aliqui famoſi cultores vnius Dei: prout ante diluuium, Gen. cap. 5. enumerātur ab Adam vſque ad Noe, decem duces fidem Iob.1. vnius Dei ſectantes: apud Gentiles etiam fuit Iob vir iuſtus & timens Dominum: legimúſque Adam docuiſſe filios ſuos Altiſſimo ſacrificare. Quæ omnia ſatis indicāt ſemper fuiſſe homini poſſibile (ſi voluit) peruenire ad fidem cognitionémque vnius primæ cauſæ, à qua cætera omnia emanant, & ita ſaltem implicitam fidem vnius Dei aſſequi. Quapropter ſemper etiam fuit poſt lapſum homini neceſſaria fides Mediatoris: videlicet quemadmodum credebant vnum Deū remuneratorem inquirentium ipſum, ita crederent eum de ſalute hominum curam habere. Quum enim cernerent naturam humanam variè ægrotam, & adiutore indigere, ipſum verò Creatorem eſſe bonum, qui ſuam creaturam diligeret, exiſtimare oportuit tādem Creator ſuæ creaturæ miſereretur, & eum ſanaret. Quæ fides implicitè fuit Mediatoris. De qua Actorum cap. 4, Non eſt in aliquo alio ſalus, neq; aliud nomen ſub cęlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Modum autem, ſiue quonā pacto Deus humanum genus redimeret, explicitè credere tunc non oportuit: neque obligabantur mortales penſitare eſſe pec- Ro.5. catum originale, quo in Adam ſinguli peccauerunt: nam iſtud ex reuelatione habuit Moyſes: fuit tamen ante circuncisionem pro tempore legis naturæ, iſta fides ſigno ſenſibili proteſtata medicina cōtra labem hanc originalis: ſicut poſtea contra id valuit circunciſio, & nunc baptiſmus. Vti per- Gen.17. belle ſcribit Gregorius, talia aſſerens, Quod apud nos valet Ioan.3. aqua baptiſmi, hoc egit apud veteres vel pro paruulis ſola fides, vel pro maioribus virtus ſacrificij. Et forte quicunque actus ſatis proteſtatiuus iſtius fidei interioris ſufficiebat in parente ad emundationem originalis, vel pro ſe, vel pro paruulo: ſicut & nunc adhuc non eſt nobis præciſa forma ſacramenti matrimonij, ſed quicunque actus ſufficienter declarans conſenſum inter contrahentes, facit contractum

cui iure

cui iure diuino poſitiuo connectitur ſacramentum, à quo inde oritur indiſſolubilitas: teſtante Matthæo, Quos Deus coniunxit homo nō ſeparet. Vnde talibus verbis, Commēdo tibi paruulum meum, Prima cauſa, quæcūque ſis, potuit pater ſuum filium emundare: quanuis non improbabile ſit etiam tunc fuiſſe aliqua ſigna ſenſibilia inſtituta, hāc fidem declarantia, licet pro his certum quid nō habeamus. Quare pium videtur exiſtimare parentes fideles pro paruulis recenter natis nondum à culpa protoplauſti repurgatis, aliquas preces funderent, vel aliquam benedictionem, adhiberent. Ecce igitur quàm ſtolide dixit inſipiens, ſiue Gētilis, ſiue Iudæus. Nō eſt Deus, Quapropter ſequitur, Corrupti ſunt, &c. Matth. 12

Corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.

Comprimis Gentes arguit, quæ corruptæ ſunt, quia, vt inquit Paulus, Quum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis. Putantes enim iſti hominum philoſophi ſe Dei magnitudinem in cogitatione poſſe comprehēdere, perierunt, creaturas pro Creatore venerati, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Nam nebula erroris ita oculos eis faſcinauit, vt mutauerint gloriam incorruptibilis Dei, in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum & ſerpentium. Nempe vſque adeo excæcatum eſt cor illorum, vt maieſtatem inuiſibilis Dei, quem ex ſuis factis agnouerant, non in homines, ſed (quod peius eſt & inexcuſabile crimen) in ſimilitudinem hominum mutauerint: ſic formam corruptibilis hominis Deum appellantes: vt quos viuos numine donare non audebant, horum mortuorum imagines in gloriam Dei reciperent. Quanta ægritudo, quanta ſtultitia, hos ſe ſapientes appellare ad ſuam damnationem, apud quos plus mortui poſſunt, quàm viui, & mortui potiores ſunt viuis? A viuo enim Deo recedentes, mortuis fauent. Propter quod hac idololatria Rom. 1.

abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis, affectibus videlicet, verbis atque geſtis. Hoc modo enim Dei maieſtatem & gloriam minuerunt, vt his quæ minima & praua ſunt, ſimilitudinis Dei honorem darent. Primi horum Babylonij Deum vocauerunt figmentum Beli, cuiuſdam quondam hominis mortui, qui principatum in eos dicitur egiſſe. Coluerunt & ſerpẽtem dracone͂, quem occidit Daniel homo Dei,
Danie. 14 cuius ſimilitudinem habent. AEgyptij autem colebãt quadrupedem, quam dicebant Apim, in ſimilitudinem vaccæ. Quod malum imitatus eſt Hieroboam, vaccas inſtituens in
3. Reg. 12 Samaria, quibus ſacrificarent Iudæi: & volucres, quia cora-
& Oſeę 10 cina ſacra habent Pagani. Hæc ab his facta ſunt qui ſe ſapie͂tes exiſtimauerunt in mundo: quia enim inuiſibilem Deum non honorauerunt, iſta faciendo, nec his quæ viſibilia ſunt ſapere potuerunt. Itidem fecerunt Romani & Græci, excepto quòd ſimulachra hominum pro diis colebant, dum AEgyptij beſtias adorarent. Romanos tamen plus quàm annos centum & ſeptuaginta Deos ſine ſimulachro coluiſſe teſtatur Auguſtinus lib. 4. de Ciuitate Dei, nec fuit apud eos neque picta, neq; ficta Dei prius ſpecies: ſed in his prioribus centum & ſeptuaginta annis templa quidam ædificabant, ſacráque tuguria erigebant: ſimulachrum verò nullum corporeum dicabant, perinde atque nefas eſſet deterioribus meliora aſſimilare, neque aliter atque intelligentia Deus percipi poſſit. Sed poſtea Tarquinius Priſcus vanitate & ſtultitia Græcarũ religionũ, Ethruſcarúmq; domi imbutus, Romanos edocuit ſimulachra diis ponere: ſicut prius Numa ipſis templa erexerat. Sed forſan (inſinuabit aliquis) Quid nunc dicemus de noſtris, qui & ſanctam Trinitatem imaginibus depingunt? Etſi verò ſuper hoc controuerſia quędam videatur, nihil tamen improbabile exiſtimo, ſi ad denotandum ſimplicibus trinitatem perſonarum, in diuinis Pater ſub imagine antiqui dierum, Filius in forma hominis aſſumpta, & Spiritus Sanctus ſub columbæ ſpecie tradantur. Danielis enim cap. 7, ipſe Pater antiquus dierum nominatur. & ad Philippenſes cap. 2, de Filio ait Paulus, Semetipſum exinaniuit, formam ſerui accipie͂s, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.

Porro Spiritus Sanctus in columbæ ſpecie ſupra Chriſtum baptizatū apparuit. Hoc modo inuiſibilia per viſibilia, quātum poſſumus, cōprehendimus: ménſque noſtra iſtarū imaginū inſpectione ad credenda mirabilia diuinitatis opera (quæ maxime repræſentant) excitatur, atque coram ipſis diuinas perſonas adoramus: ſicut neque adoro imaginē Chriſti, quia lignū, nec, quia imago: ſed adoro Chriſtū corā imagine Chriſti: præſertim cum hæc imago Chriſti excitet me ad amandū Chriſtū. Aliud eſt enim picturam adorare, aliud per picturæ hiſtoriā quid ſit adorādum addiſcere. Nā quod legentibus præſtat ſcriptura, hoc idiotis cernentibus dat pictura: in ipſa legunt, qui literas neſciunt, atque ipſis pro lectione pictura eſt. Sed adhuc pictura maiorem fert opem contuentibus, ad quippiam deſignandum, quàm ſcriptura: vnico ſiquidem contuitu ipſa imago proponit oculis inſpectantium ea quæ ex ſcriptura non niſi paulatim, & per lectiones ipſius moram atque ſucceſſionem poſſunt comprehēdi. Multo itaque celerius obiectat imago noſtris obtutibus id quod ſignatur per eam, quàm ſcriptura. Quare, inquit Damaſcenus, quum non omnes calleant literas, neque lectioni vacent, excogitauerunt patres velut quoſdam triumphos in imaginibus deſcribere, ad velocem memoriam. Inde ſepiuſcule accidit non habentes præ oculis Domini paſſionem, facti obuij imagini crucifixi, procidentes adoremus Chriſtū, illiúſque paſſionē veneremur. Quapropter imagines Chriſti & ſanctorum in templis ac viis publicis religioſe eriguntur, quarum vſus fuit etiam tempore quatuor primorum generalium conciliorum receptus. Quod & ita fieri approbat cap. Venerabiles de conſecra. diſtinct. tertia. Neque olim Dominus (Exodi cap. 20,) prohibuit abſolute filiis Iſrael facere ſculptile: ipſi enim in tēplo habebant duos Cherubim aureos, (Exodi 25.) ſed illud tātum ſculptile vetat effigiari, cui diuinus cultus exhibeatur, more idololatrarum. Sic igitur ibi, vti & nunc, ſolum exploditur idololatria, retrahuntúrque mortales à cultu idolorum, in quo nullus facit bonum: quia qui cum Chriſto non colligit, ſpargit: & qui non eſt ſecum, contra eum eſt. Quod vero nunc in præſenti verſiculo ſequitur, NON

[Margin: Matth. 3. — 4. de orthod. fide. cap. 17. — Matth. 12.]

eſt vſque ad vnum:tametſi plures dicant iſtud in codice Hebræo non inueniri, tamen hanc ſententiam (quæ digna ſit recipiatur)cum ſacris doctoribus exponemus:vt ſit exceptiua loquutio, CHRISTVM à communi labe generis humani excludens, tanquam nullus eo dempto à natura bonus ſit: ſed ipſe ſolus eſt inter mortuos liber:quemadmodum ſi dicimus, Iſte ager vſque ad mare tenditur, non vtique ſimul computamus & mare. Seu vt hæ duæ negationes, NON eſt qui faciat bonum, NON eſt vſque ad vnum, adhuc tibi magis eluceant: certe ſolus eſt Chriſtus ſine quo bonum aliquod incipere vel implere fragilis natura non valet. Quamobrem iure negatum eſt vllum facere bonum, niſi vſque ad ipſum fuerit, eo miſerente, peruentum. Sed interim qui peccant, ſunt inexcuſabiles, quia Dominus de cælo proſpexit, &c.

Pſal. 87.

Dominus de cælo proſpexit ſuper filios hominũ, ut uideat ſi eſt intelligens aut requirens Deum.

Eſa. 66. Proſpicit per animas ſanctas Dominus quas ſæpe Cælũ dicimus, quæ & ſedes eius ſunt, non quòd aliquid Dominũ lateat, ſed ita Deus per iuſtos, proſpicit peccatores, vt per ſtudioſorum opera, malorum iniuſtitiam arguat. Nunc vero honoratius Iudæos appellat filios hominum, ad rationẽ compoſitorum, propter vnius Dei cultum, quem aliquãdo ſeruauit Synagoga:& illos Iſraelitas proſpexit, quia imprimis ad eos miſit Filium ſuũ, qui inter eos de tribu Iuda, ſecundum carnem, deſcendit: quemadmodum teſtatur Paulus ad Heb. cap. 7, dicens, Manifeſtum eſt quod ex Iuda ortus ſit Dominus noſter. In qua tribu nihil de ſacerdotibus

Gen. 49. Moyſes loquutus eſt. Quibus patet iuxta Prophetiam Iacob Dominũ ex Iudæa veniſſe, niſi forte quis dubitet quia

Luc. 1. Helizabet(quæ fuit de tribu Leui) dicitur à Luca cognata beatæ Virginis, matris Chriſti. Sed iuxta Ambroſium, morem Hebræorum attendas, qui omnes Iudæos cognatos ap

Rom. 9. pellabant: dicente Paulo, Optabam ego eſſe anathema pro fratribus meis, cognatis ſecundũ carnem. Adde quòd Heli-

Luc. 1. zabet dicitur de filiabus Aaron, ſiue quia nupta Leuitico, &

proinde

proinde de familia & filiabus Aaron: aut quia Eſmeria ſoror beatæ Annæ, & mater ipſi⁹ Helizabet, nupſit Leuitico, quũ & tribus Leui cum reliquis tribubus miſceretur. Nec eſt quòd quis obiiciat legẽ pro filiabus Salphat, qua, Numer. cap. vltimo, cautum erat, vnuſquiſque in ſua tribu nuberet. Nam ſolum iſtud ſancitũ eſt pro primogenitis, & his ad quos hæreditas ſpectabat: quales erãt ipſæ filiæ Salphat, quæ fratres ad ſuccedendum non habebant: & iſtius edicti cauſa fuit, ne forte tandem eſſet commixtio ſortium & hæreditatum in anno iubileo. Mulieres vero apud Hebræos, ex edicto diuino, Numeri cap. 27, non ſuccedebant in hæreditate, niſi illæ quæ non habebant fratres. Quare etiam inter Iudæos genealogiæ à viris non à mulieribus deſcribebãtur. Quid mirum ergo ſi ipſa Eſmeria minor natu, ad quam hæreditas non ſpectabat, extra tribum ſuam nupſerit, & inde Helizabet nata ſimul ſit, & de Leui à patre, & cognata Virginis ex ſtipite matris de Iuda? Quippe Anna & Eſmeria (teſtante Hieronymo) ambæ de Iuda, quia de Bethleem, præſertim quum Moyſes præceperit vnumquenque habitare iuxta tribum ſuam. Ecce igitur quomodo Dominus oculo miſericordiæ proſpexit Iſrael dilectum ſuum: illi enim populo mire cognoſcitur datum, quod repellendo ſacrilegus à ſe reddit alienum. Propterea vero nunc ſequitur in litera, VT videat, id eſt videri faciat ſi eſt intelligens, &c. Nempe deſyderat Dauid Iudæos intelligere & ſapere per Verbum factum hominem. Nam ſic Meſſias ab eis Deus intelligi debuiſſet, qui multis miraculis aduentum ſuæ diuinitatis oſtendit. Hoc quoque myſterium vitæ æternæ iam inde ab exordio generis humani per quædam ſigna & ſacramenta temporibus congrua, quibus oportuit, per angelos prædicatum eſt. Deinde ipſe populus Hebræus in vnam quandam rempublicam, quæ hoc ſacramentum ageret, congregatus eſt: vbi per Prophetas id quod ex aduentu CHRISTI vſque nunc & deinceps agitur, prænuntiaretur eſſe venturum. Omnes inſuper non ſolum Prophetiæ (quæ in verbis & intelligentia ſunt) nec tantum præcepta vitæ, quæ mores pietatémque cõformant, atque illis literis continentur, verumetiam ſacra ſacerdotia,

Num. 34.

Ioan. 1.

tabernaculum ſiue templum, altaria, ſacrificia, ceremoniæ, dies feſti, & quicquid aliud ad eam ſeruitutẽ pertinet quæ Deo debetur: & Græcè propriè: Latria dicitur, ipſis ea omnia ſignificata & prænũtiata ſunt. Quare debuit & ipſe populus eſſe requirens Deum, illius fidẽ mandatáque ſequẽdo. Et hîc vnico verſiculo arcanum ſanctæ incarnationis aperte oſtenditur, fidéſque noſtra & Iudæorum ad id excitatur, atque Gentium idololatria exploditur. Per hanc ſiquidem religionem vnam & veram potuit etiam aperiri deos Ethnicorum eſſe immundiſſimos dæmones, ſub defunctarum occaſionibus animarum vel creaturarũ ſpecie mundanarum, deos ſe putari cupientes, & quaſi diuinis honoribus eiſdémque ſceleſtis ac turpibus rebus ſuperba impuritate lætantes, atque ad verum Deum conuerſionem humanis animis inuidentes: ex quorum immaniſſimo & impiiſſimo dominatu, homo liberatur quũ credit in eum qui præbuit ad exurgendum tantæ humilitatis exemplũ, quanta illi ſuperbia ceciderunt. Sed audiat lector cenſuram quæ ſuper his omnibus ſequitur, Omnes declinauerũt, &c. Veruntamen quia temerarium videtur quòd Dauid adhuc mortalis, iudicem ſe præſtiterit omnium & ſingulorum hominum, dicens quòd nullus eſt faciens bonum: idcirco nũc pro hoc inducit Deum inquiſitorẽ & teſtem: inquiſitorem quidem, quia Dominus de cælo proſpexit: teſtem autẽ, ſubiungendo quod vidit, Omnes declinauerunt, &c.

Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum.

Hæc verba perbellè quadrãt obſtinatis Iudæis, qui vſq; in hodiernũ diẽ negant filiũ Dei aduenisse, nõ cognoſcẽtes Saluatorẽ, qui operatus eſt ſalutẽ in medio terræ eorũ: quorum pertinaciã etiã inſenſibiles creaturæ cõuincunt. Omnia quippe elementa authorẽ ſuũ veniſſe teſtata ſunt. Nam (vt cum Gregorio de eis quodã vſu humano loquar) Deum hunc cæli eſſe cognouerunt, quia protinus ſtellã miſerũt. Matthæi cap. 2. de Magis, Vidimus ſtellã eius in Oriẽte, &c. Mare cognouit, quia ſub plantis eius ſe calcabile præbuit. Terra cognouit, quia eo moriẽte cõtremuit: Sol cognouit, quia

Pſal. 73. Matt. 14. & 27. Luc. 23. Matt. 27.

quia lucis ſuæ radios abſcondit: Saxa & parietes cognouerunt, quia tempore mortis eius ſciſſa ſunt: Infernus cognouit, quia hos quos tenebat mortuos, reddidit. Cur ergo hūc quē Deum omnia inſenſibilia elementa ſenſerūt, adhuc infidelium Iudæorum corda minime cognoſcunt, & duriora ſaxis ſcindi ad pœnitentiam nolunt? eúmque cōfiteri abnegant, quem elementa (vt diximus) aut ſignis aut ſciſſionibus Deum clamant? qui etiam ad damnationis ſuę cumulum eū quem natum deſpiciunt, naſciturū longe antè prȩſciuerunt: & nō quòd naſceretur nouerūt, ſed etiā vbi naſceretur ſolū. Nā ab Herode requiſiti, locū natiuitatis eius exprimūt, quē Scripturæ authoritate didicerant: vt ipſa eorū ſcientia & illis fieret ad teſtimonium damnationis, & nobis ad adiutorium credulitatis. Porro hunc Meſſiam veniſſe eis ſatis demonſtrat Prophetia Iacob, de qua Gen̄.cap. 49, Non auferetur ſceptrum de Iuda, & dux de fœmore ei⁹, donec veniat qui mittēdus eſt: & ipſe erit expectatio Gentium. Quæ quidē ſolum impleta fuit triceſimo primo anno regni Herodis Aſcalonitæ, quo anno (teſte Philone) ipſe cœpit primū iure regnare ſuper Iudæos. Nā prius idem Herodes longo bello contra Ariſtobolū pugnauit: & interim Ioannes Hircanus, magnus Sacerdos (cui⁹ filiā ipſe Herodes in vxorē duxerat, circūcidens ſe ob regni & eius amorē) à captiuitate Parthica rediit: quem poſtea idem Herodes, vnà cum ipſo Ariſtobolo, qui patre abſente regnum Iuda moderatus erat, dolo interemit, ſimúlque omne ſemē Regium, & omnē Regiam genealogiam deſtruxit, perdítque pueros Betheemitas Zanedrim, & omnes iudices interfecit, vno dempto, qui dicebatur Baba filius Bota (vt aſtruit Ioānes Annius) cui oculos eruit. Tum & vxorem ſuā, filiam Ioannis Hircani cū duob⁹ filiis iā adoleſcentibus, atq; matrē vxoris occiſæ, ſocrū ſuam (narrante Euſebio) crudeliſſimè interemit: ſimúlq; (teſtante Philone) Salomē ſororem ſuam, & virū eius de tribu Iuda impie necauit. Quo tēpore tandem feſſi Hebræi concuſſionibus & tumultibus ipſius Herodis, vltro ipſi ac eius poſteris regnum obtulerunt, iurantes in fide ipſius ac poſterorum ſeſe permanſuros: & tunc ſolum fuit verè ablatum ſceptrum de Iuda. Nam tunc ſolum cœpit iure regnare in Iu-

Matth. 2. Matth. 2.

dæa, & ante duntaxat tyrannice & per vſurpationem regnabat:quippe & cui ſemper reſiſtebant Iudæi, & domus Aſmonai,ſiue(Græcè)Machabæorum, aut(Latinè)pugnatorum. Quare(teſte Philone) ſolum ſex annis idem Herodes legitime regnauit in Iudæa,& annis vno & triginta tyrannicè antea regnum occupauit· quo anno tricesimo ſecundo CHRISTVS natus eſt,qui erat Octauiani Augu-ſti annus quadrageſimus ſecũdus. Quapropter plurimi Iudæi tunc vidẽtes iſtum Herodem alienigenam,quippe qui ex patre Antipatro,Idumæus,& ex matre Cypride,Arabs, in Iuda legitimè regnare, primo anno huiuſce veri regni dixerũt ſceptrum à Iuda ablatum, & tempus aduentus Meſ-
Gen.49.] ſiæ adeſſe. Nam Deus hac prophetia Iacob dederat regnũ tribui Iuda,vſque ad natiuitatem CHRISTI, & tantun-
Ioan.19. dem omnes Iudæi tacitè in paſſione confeſſi ſunt,dicentes, Non habemus Regem niſi Cæſarem: ſic agnoſcentes ſceptrum à ſua prole & tribu Iuda ablatum. Nec eſt quis obiiciat quod de Ieconia dixit Hieremias cap.22, Scribe virum iſtum ſterilem,virum qui in diebus ſuis non proſperabitur. Nec enim erit de ſemine eius vir qui ſedeat ſuper ſolium Dauid,& poteſtatem habeat vltra in Iuda. Quaſi in eo verè
Matth.1. fuerit ſceptrum à Iuda ablatum. Nam de Ioachim natus eſt Ieconias,de quo Salatiel,de quo Zorobabel, & per ordinẽ venitur ad Chriſtum. Sed id verum eſt:in diebus Ieconiæ non ſucceſſit ei filius dictus Rex,ſicut ipſe patri ita ſucceſſerat. Nam in reditu à captiuitate Babylonica nõ dicebantur amplius Reges,vt patet de Zorobabel & aliis:de quibus Matth.cap.1. Quare alia tranſlatio habet, Scribe virũ non creſcentem,&c.tamen ex iſto Ieconia natus eſt Salatiel,qui propterea (teſte Philone) à populo nominatus eſt Ner(quod verbum lumen ſignificat) nam lucerna Dauid quę extincta videbatur,in eo ſuſcitata eſt:vnde Lucę cap.3, de Salatiel dicitur, Qui fuit Neri: quiquidem Salatiel genuit Barachiam,qui Barachias à ducatu populi Zorobabel dictus eſt. Quare adhuc ſemper remanſit ſceptrum in Iuda, etſi amplius Reges apud eos non nominarẽtur,ſed Duces. Adde quòd tũc fuit apud eos Zanedrim:nã durãte captiuitate Babylonica Hebræi iudicabant legibus ſuis,quibus ex

rebus

rebus ſatis ſceptrũ in Iuda ſeruabatur. Nam, ſententia Philonis, Zanedrim erat congregatio ſeptuaginta & vnius ex maioribus de tribu Iuda, & aliis tribubus ad regimen totius populi, qui à Deo inſtituti. Numer. cap. 11, quãdo iuſſu Dei tempore Moyſi ſeptuaginta ſeniores ætate prouecti ac ſciẽtia probati delecti fuerunt, qui ipſius Moyſi in populi regimine coadiutores eſſent, ad quos omnes legis ac fidei difficultates ſeu dubia declarare ac deffinire, & in rebus grauibus atq; cauſis arduis iudicare pertinebat. Deutero. cap. 17. & in ipſis vere ſceptrũ Iuda reſidebat. Quare & in eis requirebatur ſapiẽtia, ſenectus, ſtatura pulchra & conueniens, ac peritia linguarum, qui & quatuor prima iudicia habebant, videlicet lapidare, comburere, occidere, ſtrangulare. Et quum aliquem condemnabant ad mortem, ſtabant ieiuni in conſiſtorio dolato à Sole oriente vſque ad Solem occidentem: & tunc primum iudicium ferebant. Et ſicut Moſes fuit ſuper ſeptuaginta ſibi aſſeſſores, ita in Zanedrim debebant eſſe ſeptuaginta & vnus: & ille vnus (teſtimonio Talmudiſtarum) ſemper erat de Iuda: qua de re ſemper erat regimen populi Hebræi monarchicum (quippe ad illum vnum omnes cauſas arduas referebant) neque ſic vſquam ſceptrum de Iuda recedebat. Vnde & exiſtimant quamplurimi, Gen. cap. 46. ad veritatem Hebraicam eſſe legendum, Non auferetur ſceptrum de Iuda: & Scriba ſiue Legumlator de medio pedum eius: donec veniat Silo, id eſt Meſſias. Tunc primùm verò tempore Herodis Aſcalonitæ cœpit hoc Zanedrim deleri, quando expulſi fuerunt de conſiſtorio dolato propter falſum teſtimonium in ſanguine. Vnde & in paſſione CHRISTI Pilato dixerunt Iudæi, Nobis non licet occidere quenquam: quia iam eis ablatum erat iudicium ſanguinis. At ſi alius forſan nobiſcum contendat de Machabæis, qui de Leui fuerunt: tamen longe ante Herodem ſceptrum in Iuda habuerant, quippe duces & principes totius populi hoc ſufficiet ex parte matrum eos de Iuda fuiſſe, quum tribus Leui cum reliquis miſceatur, ne cultus Dei tantum ad vnam tribum pertinere videretur: & ne ipſi nimium ſuos fratres grauarent, ſi tantum ad vnam tribum pertinerẽt, qui partem in Iſrael non habebant.

Exod. 18.
Num. 11.
Ioan. 18.

Aut hîc ſententia Philonis notanda eſt, qui tradit ipſos Machabæos nuſquam fuiſſe Duces aut Reges populi Hebræi, ſed ſolum habebât nudum vſum defendẽdi Iſrael, & cum eis ſemper fuit aliquis de Iuda, ad quẽ verè ſpectabat talis ducatus & ſceptrum. Quinimmo aſſerit idem Philo ambitionem dominandi in Machabæis fuiſſe cauſam depreſſionis Regni Iudæ. nam Duces Dauitici ſpreti quidem iure iraſcebantur. Memineris tamen Philonem non ſcribere qui Duces de Iuda regnauerint tempore Machabæorum. Nam (vt dicit Ioannes Annius) Philo ſtuduit per Duces notiores tempora exprimere, Et ne propterea fatearis tandem potuiſſe fieri deficientibus viris in linea Regia, fœminæ ſceptro ſuccederent, quę extra tribum, puta Leuitico nubentes, ſic verè ſceptrum à Iuda tractu tẽporis transferre potuerũt. Quæſo animaduerte quæ de ſceptro ſeu regia dignitate apud Hebræos tradit idẽ Philo. Nã (vt ait) pro regno lex Salica apud Hebræos ſeruabatur, quomodo & nũc apud Gallos: quippe fœminæ in hoc non ſuccedebant. Nam Ocho-

2. Para. 22 zias, qui fuit vltimus Rex de linea Salomonis, habebat ſororem Ioſabech nuptam ſacerdoti, quæ tamen ei non ſucceſſit in Regno, ſed Ioab, à linea Nathan fratris Salomonis deſcendens. Iſta igitur de ſceptro Iudæ, illiúſque ablatione ad perfidiam Iudæorum deſtruendam, breuiter ſcripta ſint.

Enumerationẽ autem Ducum & Sacerdotum in populo Iſrael à reditu captiuitatis Babylonicæ, vide in Philone: quam omittimus, ne nimia prolixitate lectorem grauemus. Interim autẽ vtinam his ſuorum hiſtoriographorũ ſcriptis reſipiſcant Iudęi, quorum cæcitatem nunc dure carpit Propheta. Aut ſi ad omnes ipſum loqui intelligas, per præſentia attende deſcribi vires naturæ, & ſtatum mundi ante aduentum Meſſiæ. Et ſic proculdubio vera eſt tota ſententia huius verſiculi, quoniam ex viribus naturæ nullus inuẽtus faciens bonum: & hic ſenſus directè quadrat mẽti Apoſtoli ad Rom. cap. 3. Nec obſtat quòd multi ſancti viri fuerunt ante aduẽtum CHRISTI: nam gratia, quocũque tẽpore data eſt, ad tempus Meſſiæ refertur. Iuxta illud Ioan-

Ioan. 1. nis, Lex per Moyſen data eſt, gratia per IESVM CHRISTVM facta. Quantum autem à via veritatis ante Meſ-

ſiam declinauerint homines, nõ ſolum ſibi, ſed aliis nocentes oſtendit Dauid, dicens, Sepulchrum patens, &c.

Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant, uenenum aſpidum ſub labiis eorũ.

Ab hoc verſu vſque ad eum vbi dicit, Nonne cognoſcent omnes, &c. licet iudicio Hieronymi & plurimorum aliorum hi tres verſus in Hebræis codicibus non habeantur, ſed Apoſtolus in epiſtola ad Rom. hoc teſtimonium contra Iudæos partim de Deuteronomio, partim de Pſalterio, & cæteris Scripturarum locis texuit: nos tamẽ hos tres verſiculos pro viribus paucis declarabimus: quandoquidem in vſum Eccleſiæ conſuetudine longa recepti videntur. Rom. 3.

Nunc verò Sepulchrum patens vel pro Iudæis reliquiſque peccãtibus, perditorum fœtorem verborum ſignificat, qui omnes contaminat, & interficit audientes: quippe ex abundantia cordis os eorum loquitur: & ideo non indecenter hoc ſepulchrũ claudendum eſt, ne adhuc viuentibus exhalatione ſua generet peſtẽ. Nam ſicut ſepulchrũ, quũ patet, fœtidos odores emittit, ita & iſtorum infidelium guttur peſtiferos ſermones, abominabileſq; blaſphemias in Chriſtũ & ſanctam eius Eccleſiã profert. Aut hoc ſepulchrũ rectè contra iſtos blaſphemos intelligitur, qui occidũt & quaſi deuorant (ſicut ſepulchrum) quos ſpiritualiter interficiũt: per ſeductiones enim ſuas in ora, tanquã in ſepulchra homines cõiiciunt, & iam malis mãcipati, bonos, ſi poſſit fieri, deuorare volunt: vt ſicut ſepulchrũ patet ad recipiẽda cadauera, ita & aduerſus bonos guttur eorum. Propterea ſequitur, Linguis ſuis doloſe agebant. Corrumpunt ſiquidem mores bonos colloquiis malis, praua ſub ſpecie boni ſuadentes: & vbi non audent aperte, verbis quidem nonnunquam ſancta dicunt, ſed malum ſemper in corde cogitãt, aliud ore promittentes, aliud corde volutantes. Inde fit venenũ aſpidum ſub labiis eorũ. Hoc dicit Propheta, quia verba huiuſmodi hominum muſcipula ſunt. Ad hoc enim loquũtur vt decipiant, vt ſicut per labia ſerpentis venenum infunditur, ita & per labia horum, dolus & circumuentiones. Aſpidum peſſimum traditur eſſe venenum, quo per-

Marginalia: Matth. 12. — 1. Cor. 15.

cuſſa membra intumeſcunt, & vix ſine partium amputatio-
ne conualeſcunt: quæ & natura dipſadis ſerpentis (qui genus aſpidis eſt) mire iſtis ſanctiſſimarum inſtitutionum cõtradictoribus quadrat. His quoque ſerpentibus Iudæi imprimis aſſimilantur: nam quemadmodum aſpidum genus natura obſtinatiſſimum eſt, ita vt (Iſidoro teſte) quum cœperit pati incantatorem, qui ipſum quibuſdam carminibus propriis euocat, vt ab antro ſuo exeat, & quum exire noluerit, vnam aurem in terram premit, alteram verò cauda obturat & operit, & ſic illas voces magicas non audiens, ad incantatorem non exit, & eius imperio non obedit. Tantundem fecerunt moroſiſſimi Iudæi, CHRISTO dicentes, Scientiam viarum tuarum nolumus, diſcede à nobis: hoc modo miſerrimi aduerſus verba ſalutaria inducentes lætiferam ſurditatem, & maluerunt conſilia venenoſa ſequi, quàm ad ſalubria inſtituta perduci: vt meritò de illis dictum eſſe videatur, Elegerunt tenebras magis quàm lucem. Vnde ſequitur, Quorum os, &c.

Pſal. 57. Iob 21. Ioan. 3.

Quorum os maledictione & amaritudine plenũ eſt: ueloces pedes eorum ad effundẽdum ſanguinem.

Non eſt vnius generis maledictio. Quicquid enim malo voto dicitur, ſine dubio male dicitur. Manifeſtũ eſt autẽ quia cõtra bonos mali ſemper maledicta & amara proponũt, in cõuitiũ illorũ prorũpentes, & detractionẽ. Peruerſis quippe veritas diſplicet, ſicut ægris oculis odioſa eſt lux, quæ puris eſt amabilis, & palato nõ ſano pœna eſt panis, qui valẽtibus vita eſt. Hoc vitio cõprimis in Chriſtũ peccauerũt blaſphemi Iudæi, ei falſo impingẽdo quòd dæmoniũ haberet, & in Belzebuth principe dæmoniorũ, dęmones eiiceret. Amaritudo verò ad id refertur, quia dulcia eloquia Dei, male ſentiendo in ſuam perniciẽ amara fecerunt: amaritudo ſiquidẽ cõtraria eſt dulcedini verborũ Dei. Et id etiam omnibus in proximum peccantibus referri poteſt, qui inconſultis minis & terroribus, quoſcunque in ſuam ſiniſtram ſententiam trahere nituntur. Proinde veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem. Pedes appellantur conſilij progreſſus, quibus de incœpto mouemur ad exitus rerum, qui &

Ioan. 8. 4 10. Luc 11.

prauis veloces,id eſt,expediti ſunt cõſuetudine male agen-
di, quando eis iuſti moderaminis ſana conſilia deſunt, &
præcipites in omne vitium feruntur,ſic ſemper parati effun
dere ſanguinem Chriſti & ſanctorũ. Siue de Iudæis hanc
ſanguinis effuſionem intelligas propter necem Propheta-
rum quos occiderunt, impigre ad bonum ſegnes,ad parri-
cidium veloces:qui & propterea Actorum cap. 7. à Stepha
no arguuntur his verbis,Dura ceruice & incircuncisis cor-
dibus & auribus, vos ſemper Spiritui Sancto reſtitiſtis : ſi-
cut & patres, ita & vos. Quem Prophetarũ non ſunt perſe-
quuti patres veſtri? & occiderunt eos qui prænuntiabãt de
aduentu iuſti, cuius vos proditores & homicidæ fuiſtis,
qui accepiſtis legem in diſpoſitione angelorum, & non cu-
ſtodiſtis. Siue ſimpliciter homicidas dicit aut interficien-
tes animas adulando. Vnde in eiſdem Actis Apoſtolorum,
inquit Paulus,Mundus ſum ab omni ſanguine. Non enim Act.20.
ſubterfugi quominus vobis annuntiarem omne conſilium
Dei:Sic profecto mali & corporaliter & ſpiritualiter occi-
dunt,dum Chriſtum (qui vita eſt animæ) in proximo per-
dunt, Quapropter contritio, &c.

Contritio & infelicitas in uiis eorũ, & uiã pacis non cognouerunt: nõ eſt timor Dei ante oculos eorũ.

Iſtud optime pro Iudæis ſcriptum recipi poteſt, qui ſicut Ioan.19.
Dei filium,vna cum Patre negauerũt,dicentes, Non habe-
mus Regẽ niſi Cæſarem,ita patri & filio, Vaſpaſiano ſci-
licet & Tito,merito exterminãdi traditi ſunt. Et ij quidem
in feſto Azimorũ,in quo Iudæi ipſi perfidi Chriſti mortem
perpetrauerant,innumeros ferè eorũ populos qui Hieroſo
lymã ad ipſum feſtũ celebrandum cõuenerant,obſidione cõ
cluſerunt,atq; ſecũdo anno principatus Vaſpaſiani,Septẽ-
bris menſis octauo die,(referẽte Ioſepho) Hieroſolyma ca- De bello
pta eſt:quo in tempore neque antiquitas,neq; ingentes di- Iud.lib.7.
uitiæ,neque per totũ orbem terrę diffuſa notio, nec magna cap.18.
religionis gloria quicquã iuuit quominus periret.Sed pro-
culdubio Deo volente,ea menſura qua Chriſto menſi fue- De bello
rant Hebræi, eis tunc remenſum fuit. Tanta nempe fuit Iud.lib.7.
(teſtę eodem Ioſepho qui aderat)proſtratorum multitudo, cap.17.

vt decies centena millia perempta fuiſſe dicantur. Alios autem ad ſpectacula reſeruatos fuiſſe audimus adiunctis eorum nonaginta & ſeptem millibus qui in captiuitatem ducti ſunt: tam magna quoque tunc eodem in populo vilitas fuit, vt quis denario vno triginta ſibi emeret Iudæos, quatenus qui Deum ac Dominũ ſuum quaſi vile mancipiũ triginta denariis emerant, viliori pretio ipſi denario vno triginta venderentur. Sic igitur contritio & infelicitas in viis eorum. Sed poteſt aliquis & in via peccatorum eſſe, & ad viam iterum redire iuſtitiæ. Hîc autem negat Dauid illos aliqua conuerſione liberatos, quum dicit, Viam pacis non cognouerunt: quando ipſum Dominum, qui eſt pax & reconciliatio noſtra, excæcati nullatenus intelligere meruerunt. Et ſubditur prædictorum cauſa, Non eſt timor Dei ante oculos eorum. Præcedentibus rebus ſubiuncta eſt ſententia quæ pulchre cuncta concluderet. Ideo enim illi tam horrenda perpetrarunt, quia timorem Dei præ oculis non habebant: ſicut de ipſis ſcribit Apoſtolus, Si cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent: ſaltem timor Dei inflexiſſet eos à malo. Congruè itaque IN timore Dei, concluſit Propheta: qui ſi Altiſſimum timuiſſent, non vtique deliquiſſent. Neque enim audet ſeruus domino præſente peccare: & tantũdem de vnoquoque peccante dici poteſt. Quipppe (vti ſcribitur Prouerbiorũ 15.) per timorẽ Domini declinat omnis à malo. Quare ſubſtracto huius timoris fræno, vagamur per deuia vitiorũ: ſeu nauis fracto gubernaculo mediis in vndis periclitatur. Non enim metuimus futurũ iudiciũ, & propterea non obſeruamus legem & mandata. Hæ tamen omnes viæ impie agentium, ærumnis, & labore plenæ ſunt. Conteruntur ſiquidem, & infelices ſunt animæ in exemplis conuerſationis eorum. Quamobrẽ Dominus in Euangelio clamat, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos, & cæt. Nam grauia eſſe onera peccati & Zacharias Propheta teſtatur, dicens, Iniquitatem ſedere ſuper talentum plumbi. In operibus vero præuaricantium nulla requies, quia viam pacis non cognoſcunt. Omnis enim bona vita, tranquilla eſt: & actus modeſti, ipſi ſunt pacifici, per quos itur ad Deum. Illi ergo

Mat. 26. Epheſ. 2. 1. Cor. 2. Matth. 11. Zacha. 5.

ergo nolentes hęc ſcire, eligunt viã tribulationum, per quã currrunt in gehennam. Sed nõne cognoſcẽt omnes &c.

Nõne cognoſcent omnes qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam ſicut eſcam panis?

Per interrogationem hoc legẽdum eſt, vt huiuſmodi efficiatur ſenſus: Ij qui Deũ Iſrael dixerunt verum Deum non eſſe, qui & lingua ſua & omnibus aliis voluptatib⁹ adeo intemperantes ſunt, nónne aliquando cognoſcent quòd Iudæorum Deus, verus Deus eſt? Certe aliquando id cognoſcent, quando nimirum centum octoginta quinque millia eorum interempta erunt ab angelo Dei. Ipſe etiam Sen- 4.Re. 19.
nacherib turpiter fugiens, tunc cognoſcet quíſnam fuerit qui in hoc populo triumphum erexit. Nec tantum (inquit) Aſſyrij, ſed omnes etiam Gentes, vbi tantam illorum ſtragem didicerint, cognoſcent Iudæorum Deum, qui ita eos perdidit. Hic inſuper Propheta minatur iudicium impiis, vt qui negligunt beneficentiæ conſolatione ad Deum adduci, hos minis & terroribus reſipiſcere compellat. Cognoſcent (inquit) peccatores in iudicio vindictam, qui modo impune mala operantur, & tunc iuſtum iudicem experientur, quem nunc patrem miſericordem nihilifaciunt. Cognoſcent Dominum iuſtorum protectorem & malorum punitorem, qui iam ſine timore peccant. Et hi imprimis qui deuorant plebem CHRISTI ſicut eſcam panis, id eſt quotidie, quemadmodum panis cibus quotidianus eſt. Deuorãt autẽ plebẽ vel populũ qui ſua cõmoda ex illo capiũt, non referentes miniſterium ſuum ad gloriam Dei, & ad eorum quibus præſunt ſalutẽ. Sed & ad quoſcunque principes iſtud referri poteſt, ſi atterant ſubiectam ſibi plebem, & pauperes delinquentes publice arguant atque confundant: diuitibus autem peiora peccantibus ne nutum quidem facere audeant. Et rapina pauperum ſic in domo paſtorum Ec- Eſa. 3.
cleſiæ eſt, quando replent theſauros ſuos, & Eccleſiæ opibus abutuntur in delicias, publicáſque ſtipes, quæ ad ſuſtẽtationem pauperum datæ ſunt, vel ſibi reſeruant, vel propinquis diſtribuunt, & alienam inopiam ſuas ſuorúmque faciunt eſſe diuitias. vnde Hieronymus, De altario tibi, ô

ſacerdos viuere licet, non luxuriari. Luxuriatur autem quiſ-
cunque præter ſtatus decentem neceſſitatem, CHRISTI
patrimonium conſumit. Non nego tamen quin ex hoc ſuis
ſubuenire liceat, ſic tamen (vt inquit Ambroſius) quòd il-
los propterea ditiores nõ facias, neque illos ditare velis, ſi
Eſa. 58. opibus Eccleſiæ abũdas. Sufficit carnẽ tuam ne deſpexeris.
neque enim propterea te Deo dedicaſti: vt illos ditiſſimos
facias, ſed vt tibi vitam perpetuam, fructum boni operis
acquiras, & pretio miſerationis peccata tua redimas. Quid
autem ſi hæc bona prodigè diſſipantur, nunquid ſemper re-
ſtituenda? Ego certe hoc puto verius Eccleſiaſticum in his
quæ nominatim fundatorum decreto pauperibus addicta
nõ ſunt, habere dominiũ, ſi alias oneri ex ordine & ſuſcepto
beneficio reſpondet. vt patet in cap. Vnicũ. De cleri. non re-
ſidente. lib. 6. & propterea clericũ iſta prodigè exponentẽ
minime reſtitutioni obnoxium, etſi grauiſſime peccet. Qua
ex re tale crimen doctores horrendo vocabulo furti & ſa-
crilegij in execrationẽ aliquando nominarunt: vti Bernar-
dus his verbis ad quẽdam canonicum, Quicquid præter ne-
ceſſarium victum retinens, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrile-
gium eſt. Quæ verba enorme quoddam vitium deſignant:
quomodo ſimili ratione ira in proximum, nonnunquam in
1. Ioan. 3. horrorem à catholicis doctoribus homicidium appellatur,
id eſt grauiſſimum peccatum. Secus vero arbitrandum eſt
pro his bonis quę iure proprietario vel ſpecialiter vſui pau-
perum deſtinata ſunt, qualiter contingit in bonis hoſpita-
lium, in quibus quod ſupereſt vltra quottã miniſtri, nomi-
natim pauperum eſt: & propterea quod aliter male conſu-
mitur, reſtituẽdũ. Et de iſtis exiſtimo Hieronymũ ſcripſiſſe
bona clericorũ, eſſe pauperũ. Seu ſi indiſtinctè intelligas, di-
xit eſſe pauperũ, quomodo ſuperfluũ diuitis de quo Chri-
Luc. 11. ſtus in Euãgelio. Quod ſupereſt in eleemoſynam date. Sed
hoc debitũ tantũ eſt charitatis nõ iuſtitię, & ideo ſi præter-
mittitur, obligationẽ ad reſtituẽdũ nõ adducit, quãuis pec-
cet, qui ita omittit. Hæc pauca nunc ſufficiant pro his qui
abũdant, & egenorũ œconomi à Domino electi ſunt. Idcir-
co autẽ malis hæc vſqueadeo execrabilis cæcitas quæ præ-
narrata eſt, contigit, quia Dominũ nõ inuocauerunt, &c.

Dominum

Dominum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore ubi non erat timor.

Tribulatio hac in valle miſeriæ vna præcipua res eſt quę nos ad Deum confugere docet. Nam quum deficiunt vires, quum nulla ſpes auxilij amplius relinquitur, hoc ſolum 2.Para.20. reſidui habemus oculos noſtros ad Altiſſimum dirigamus, qui potens eſt in abſcondito tempeſtatis exaudire: quippe nunquã à ſuis miſericordiam amouet, corripiens interdum quos diligit: in aduerſis verò nuſquã derelinquẽs, qui & di- Roma. 10. ues eſt in omnes qui inuocant illum, vt poſtquã ſemel quis reddidit, non deſinat deinceps id poſtulare quod ab eo doctus eſt ſemper eſſe petendũ. Sed Iudæi atque Gentes dum malis vndique premerẽtur, propterea Dominũ non inuocauerunt, quia in eum non crediderũt. Ad Ro. cap. 10, Quomodo inuocabunt in quem non crediderunt? Nempe prius credendum eſt, vt ſit fiducia poſtulandi: & oratio prærequirit fidem orantis: neque potuerunt vere Creatorẽ inuocare, qui ea deſyderabant illi quę diſplicent, ipſum poſtergantes. At ſequitur iuſta vindicta: Nam trepidauerunt timore vbi non erat timor. Siue vt alij legunt, Cuius non erat timor. Cuius lectionis diuerſitas ex vicinitate prouenit Græcarum vocum. Merito autem inani tremore concuſſi ſunt, qui timorem Domini ſalutarem in hoc ſeculo de ſuis mentibus abiecerunt: pro quibus ſcribitur Prouerbiorum cap. 28, Fugit impius nemine perſequente: iuſtus autem quaſi leo confidens erit. In occurſu beſtiarum idcirco leo trepidat, quia præualere ſe omnibus non ignorat. Vnde viri iuſti ſecuritas leoni recte comparatur, quia contra ſe quum quoſlibet inſurgere deſpicit, ad mentis ſuæ confidentiam redit, & ſcit quia cunctos aduerſantes ſuperat: nã illũ ſolũ diligit quẽ nemo inuitus admittit. Cõtra vero qui non eſt in fide fortis, etiamſi nullus perſequatur, ſponte fidem deſerit: dũ innumeris flagitiis infideli ſe ſimilem reddit. Sicut autem eſt cautela, opportune timere, ita ignauia eſt inepte trepidare: qualiter & Gentibus & Iudæis contigit. Nam Gentes fruſtra ſuos timebant deos, qui cacodæmones erant: Iudæi vero ipſos potentes Romanos abſque

cauſa obſeruabant, & Chriſti doctrinam, quaſi ad templi atque patriæ euerſionem tenderet, condemnabant: & immerito de Meſſia dixerunt quod Ioannis cap. 11. legimus, Si dimittimus hunc ſic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent noſtrum locum & gentem. De temporalibus ſiquidem timebant, non de æternis, quorum tamen iactura præcauenda erat, ſed vtraque perdiderũt. Locus quidem erat Hieruſalem quam amiſerunt: gens vero eorũ iam vbique diſperſa iacet, & cunctis turpiſſime ſeruit. Ad quod graue iugum ipſimet ſeſe obligarunt, quando dixerunt, Sãguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros. Vt ſicut Adam primum peccando ſeipſum cum ſuis poſteris morti obnoxium fecit, ita & hi miſeri Chriſtum crucifigentes ad continuam diſperſionem & ſeruitutem ſeſe addixerunt: & dum
Matt. 27. plus timuerunt perdere caduca ſecularia, quàm æterna ſpi
Gene. 3. ritualia, vtraque ſimul amiſerunt. Porro audiant iudiciũ Prophetæ quod ſequitur, Quoniã Dominus in generatione iuſta eſt. Siue hæc verba ad ſequentẽ, ſiue ad præſentẽ verſiculum (vt nonnullis placet) pertinent.

Quoniam Dominus *in generatione iuſta eſt, conſiliũ inopis confudiſtis, quoniã* Dominus *ſpes eius eſt.*

Hic Deus dicitur eſſe non in eis qui diligũt ſeculum, ſed in generatione iuſta. Quod ideo prædicitur, vt improborũ mens ſacrilega corrigatur. Iniuſtum ſiquidem eſt relinquere ſeculorum conditorem, & diligere ſeculum. Poſſunt
Roma. 9. etiam per generationem iuſtam intelligi Iudæi, quos tam magno honore dignatus eſt Chriſtus, vt ex eis ſecundum carnem deſcenderit. Sed ab Abraham frequẽter hoc in populo deſcribitur iſta generatio iuſtorum, qui etiam forte vna eadẽ de cauſa Pater credentium dictus eſt, non quòd ante eum nullus fidelis fuerit, ſed quia ipſe inchoante idololatria ſegregatus eſt vocatione diuina (qui & propterea ſignaculum accepit circunciſionis) vt eſſet pater colentium vnum verum Deum, paſſim diuertente mundo ad idololatriam. Nunc vero ingratitudine erga redemptorem notantur ipſi Iſraelitæ, ſiquidem humilem aduentum Chriſti contempſerunt: non animaduertentes Dominum idcirco cũ

faſtu

faſtu aut pompa, ſed in humilitate veniſſe, vt in eo ſolo ſpẽ ponerent, nõ in ſeculo, atque rebus vanis & caducis. Quare is aduentus nunc conſilium inopis Domini dicitur. De quo ita ſcripſit Zacharias cap. 9, Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Hieruſalem: Ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus & Saluator: ipſe pauper & aſcendens ſuper aſinam & ſuper pullum filium aſinæ. Quam prophetiam Euangeliſtæ ſcribunt eſſe completam, quando Dominus ingreſſus eſt Hieruſalem, ſedens ſuper aſinam, id eſt populum circunciſionis iugo legis preſſum, & ſuper pullum aſinæ, id eſt populum Gentium antea nulla lege gubernatũ, ſed in præcipitia idololatrię eliſum: modo vero, ſeſſione Domini, rectos greſſus facientem, qui & ſic didicit ambulare, & rectam viã ingredi. Veruntamen ſuperbi atque auari Iudæi conſilium hoc & doctrinam Chriſti Euangelicam exploſerunt, quia non viderunt Dominum ſuum purpuratũ atque auro gemmíſque vndique rutilantem, vel innumera ſatellitũ clientela paſſim vallatum, reliquo denique mundi applauſu turgentem. Ipſi enim quærebant tum diuitias, tum primos honores huius ſeculi, atque Chriſtum ipſos in armorum tumultu à poteſtate Romanorum liberare. Quapropter quũ nulla talia ſigna in eo proſpexerint, exiſtimarunt ipſum ex quadam impotentia factum egenum, neque credebãt: quia (vt inquit Paulus) quũ diues eſſet, voluntarie pro omnibus inops factus eſt, vt illius inopia omnes diuites faceret. Vnde in paſſione ei illudebant, dicentes, Si filius Dei eſt, deſcendat de cruce, &c. neque cognoſcebant maius eſſe è tumulo ſurgere, quàm de cruce deſcendere. Qua ex re contigit, hi perfidi Iudæi myſterium de aduentu incarnationis Meſſiæ nuſquam crediderint, ſed eorum peruicacia factum eſt, vt qui dare diſpoſuerat receptus ſalutem, ſpretus adduxerit ſuper eos afflictionẽ. Eum tamen nunc Propheta oſtendit fruſtra ab eis illuſum eſſe, ipſumque à Deo proceſſiſſe, dicẽs, Quoniam Dominus ſpes eius eſt. Nam vt diuinitatem oſtẽderet, omnes imprimis ad pœnitentiam inuitauit, & ſeruantibus ſuam legem, vitam æternam repromiſit, quam nemo niſi Deus dare poteſt. Quæ quidem lex, nunc conſilium appellatur: vt dulcor illius appareat, quæ

Mat. 21. & Ioan. 12.

2. Cor. 8. Matt. 27.

non comminatione (quemadmodum lex vetus) ſed quaſi
Matth.19. conſulendo tradita eſt, his verbis, Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. At hoc vnum verum aptius quàm humanitate aſſumpta Saluatoris humilitas per quam nos redimere venit, apparere non potuit. Itaque hac iuſtitia & miſericordia ſimul oſtenditur Chriſtus eſſe diues & pauper: diues virtute deitatis: pauper, humilis ac paſſibilis, ratione carnis. Sed dicite inquam, ô ſtulti Iudæi, Quis dabit ex Sion, &c.

Quis dabit ex Sion ſalutare Iſrael? quum auerterit Dominus captiuitatem plebis ſuæ, exultabit Iacob & lætabitur Iſrael.

Suſpirat Propheta, Quis dabit? non quòd dubitet de donatore Deo, ſed vſitato loquendi modo explicans cupientis affectum, dicit, Quis dabit ſalutem expectatam de Sion contra tot mala? Quum vero ait QVIS, nullum vult intelligi niſi Deum patrem, qui Chriſtum in Sion (vbi erat templum) mittere ac præſtare dignatus eſt. Ipſe eſt vtique ſalutare Iſrael, ipſe eſt qui dedit ex Sion ſalutem, non ex Synagoga Sathanæ, vti prędixerat Eſaias cap. 59, iuxta Septuaginta, Veniet ex Sion qui liberet & auertat impietates Iacob. Si ergo de Sion veniet qui liberet & auertat impietates à Iacob, hoc intelligimus (inquit Hieronymus)
Pſal. 86. quòd homo natus ſit in Sion, & fundauerit eam Altiſſimus, qui auertit ſcelera à Iacob. Et declarans Dauid qualis futura ſit ſalus, hæc affirmat: reducente Domino captiuitatem populi ſui, exultabit Iacob, lætabitur Iſrael: qui-
Rom. 11. bus Iudæorum conuerſio prædicitur, quæ fiet quum plenitudo Gentium intrauerit. Et quando geminata deſcribitur lætitia, non vnius tribus aut duarum, ſed Iacob & Iſrael, (hoc eſt totius populi) apparet etiam de redemptione vniuerſali per Meſſiam ſit ſermo. Iam primo in aduentu redempti ſumus de illa captiuitate tranſgreſſionis, ſed adhuc in captiuitate vitæ iſtius peregrinamur. In ſecun-
1. Cor. 15. do aduentu abſorbebitur, dum mortale hoc induerit immortalitatem. Vnde hîc eſt Iacob, illic erit Iſrael, hîc ſupplantator

plantator vitiorum, illic videns Deum facie ad faciem: quando erit Deus omnia in omnibus. Memineris tamen nunc Pſalmographum explicare lætitiam Hebræi populi tantum, nō quòd ipſius ſolum ſit ſalus expectata de Sion, ſed ad explicandum nullum partem habiturum in ſalute quam operaretur Meſſias, de Sion: niſi fidē haberet quā populus ex Iacob deſcendens profeſſus eſt, eúmque ſequeretur. Qui quidem Meſſias nobis tribuere dignetur, vt nos actu Iacob effecti, ſupplantatis vitiis, & vere Iſraelitæ, ipſum mente videre, ipſum corde tenere mereamur. Ibidem.

IN PSALMVM XIIII.

Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo, aūt quis requieſcet in monte ſancto tuo?

Titulus eſt, Pſalmus Dauid: qui patet ex ſupradictis. Nōnulli hîc pro Habitabit, legunt Peregrinabitur: quaſi nunc intendat Propheta deſcribere cōditiones requiſitas ad hoc, vt populus Iſrael permaneret in terra promiſſionis. Nempe terra illa ea lege ipſis tradita videtur, videlicet tandiu eam incolerent, quandiu Dominum Deum ſuum obſeruarent. Quemadmodum eis optime ſcripſit Moyſes Deutero. cap. 11, En propono in conſpectu veſtro hodie benedictionem & maledictionem: benedictionem, ſi obedieritis mandatis Domini: maledictionem, ſi non audieritis mandata Dei veſtri. Quid mirum ergo ſi peregrinum ſe agnoſcat Dauid in terra hac, in qua cito & velut ex hoſpitiolo abeundum erat? Vnde 1. Paralipom. cap. 29, ideo dicit, Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi: peregrini enim ſumus coram te, & aduenæ ſicut omnes patres noſtri: dies noſtri quaſi vmbra ſuper terram, & nulla eſt mora. Adde quòd terra hæc promiſſionis non erat populi, ſed Dei, vt propria: populus autem habitabat ibi tanquam incola in terra aliena: iuxta illud Leuitici cap. 25, Terra mea eſt, & vos aduenæ & coloni mei eſtis. Quaſi Hebræus ipſe populus duntaxat vſum illius terræ haberet, vt ſic figura perfectæ paupertatis Euangelicæ præce-

deret, quæ nec poſſeſſiones in terra, nec in vrbibus domos habere permittit. Et quid dico domos? nec plures tu-
Matt.10. nicas, nec multam concedit poſſidere pecuniam. De qua Nicolaus Papa tertius in cap. Exiit qui ſeminat: Duas ſiquidem paupertates CHRISTVS inſtituit: prima fuit pro illis qui prædicaturi mittendi erant in Iudæam, ad annuntiandum aduentum Regis, quæ eſt, Nihil proprium habere ſub cælo, nec in ſpeciali nec in communi: immo in re quæ vſu conſumitur (vti ſcribit Occam in opere nonaginta dierum) tantum habetur nudus vſus facti, quemadmodum & ſeruus licite vtitur pane & vino magiſtri ſui, abſque tamen vllo illorum dominio: & hanc paupertatem approbat Dominus. Matth. cap. 10, Nolite poſſidere aurum nec argentum, nec pecuniam in zonis veſtris, non peram, nec duas tunicas, nec calciamenta, neque virgam: dignus eſt enim operarius cibo ſuo. Quæ propterea ita ſtatuit IESVS (ait Hieronymus) ne cauſa lucri & non cauſa ſalutis ſui, Diſcipuli prædicare viderentur. De qua paupertate ſermo eſt in prædicto capite, Exiit qui ſeminat: quæ vere hodie eſt Franciſcanorum, quorum bonorum do-
Leuit. 25. minium penes ſedem Apoſtolicam reſidet, ſicut Deus ſibi reſeruauerat dominium terræ promiſſionis, relicto vſu i-
Deut.23. pſis filiis Iſrael, prout in Deuteronomio dicitur, Ingreſſus vineam proximi tui, comede vuas quãtum placuerit. Secunda paupertas eſt pro illis qui fixi manſuri erant in congregatione. Et iſta dicit nihil habere vt proprium, ſed præciſe vt commune. De qua Actorũ cap. 4, Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna, nec quiſquam eorum quæ poſſidebat ſuum eſſe dicebat, ſed erant eis omnia communia. Qui ita viuunt, cœnobitæ vocantur, quæ vita tanto felicior, quanto ſtatum futuri ſeculi propius imitatur,
1.Cor. 15. vbi omnia communia, quia Deus eſt omnia in omnibus. De hac paupertate loquitur Ioannes viceſimus ſecundus, in cap. Quum inter nonnullos. Sed vtranque hanc paupertatem Chriſtus diuerſis temporibus facto approbauit. Primam, Lucæ cap. 8. nihil poſſidens, vt peculium vel commune, ſed ſolum viuens ex his quæ deuotæ fœminę ſequẽtes eum, adminiſtrabãt. Nam (vt inquit Beda) antiquus mos

erat

erat Iudæorum: nec ducebant in culpam vt mulieres ſua ſubſtantia paſcerēt doctores: quod & in Veteri lege, de Su namite illa ſcribitur, quæ ſolita ſit Eliſeum recipere, & ponere ei menſam & panem & candelabrum, &c. Secundam 4.Reg.4.
autem paupertatem laudauit Lucæ cap.22, dicens Apoſtolis, Quando miſi vos ſine ſacculo & pera & calciamentis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt, Nihil. Dixit ergo eis, Sed nunc qui habet ſacculum tollat, ſimiliter & peram, &c. vbi gloſa interlinealis, In hoc nobis datur exēplum, vt nonnunquam cauſa inſtante de noſtri propoſiti rigore ſine culpa intermittere poſſimus. Itidem geſſit Ioannis cap.13. loculos ſuos Iudæ committens: & tunc primum (inquit Auguſtinus) Eccleſiæ, pecuniæ forma eſt inſtituta, vt intelligeremus quod præcepit non cogitandum eſſe Math. 6.
de craſtino, non ad hoc fuiſſe præceptum, vt nihil pecuniæ ſeruaretur à ſanctis: ſed ne Deo propter iſta ſeruiatur, & propter inopiæ timorem iuſtitia deſeratur. Quærit ergo nunc Dauid ſub forma peregrini incolatus, vt intelligas quòd loquitur de manſuro recognoſcente terram eſſe Dei, & ſe incolam. Aut (ſi legas Quis habitabit, &c.) hîc Dauid exprimit mores miniſtrantibus in templo Domini deſyderatos. De quibus Leuitici cap.21, Omnis qui habuerit maculam de ſemine Aaron ſacerdotis, non accedet offerre hoſtias Domino: ſi cæcus fuerit, ſi claudus, ſi vel paruo vel grandi & torto naſo, ſi fracto pede, ſi gibbus, ſi lippus, ſi albuginem habens in oculis, ſi iugem ſcabiem, ſi impetiginem in corpore, ſi hernioſus. Quæ omnia præſignabant quales in anima debebant eſſe ſacerdotes & pro veteri & pro noſtra noua lege: qui ſicut præſunt honore, ita ſubditos ſibi populos virtutibus præcellere habent, tanto quanto Saul ab humero reliquum populum ſuperemi- 1.Re.10.
nebat. Pro hoc autē meminit regius Vates de tabernaculo, vt ſimul Eccleſiam intelligas. Nam ſuo tempore (vti ſcribitur 1.Paralipo. cap.16.) arca adhuc fuit ſub tabernaculo quod ei tetenderat. Non enim ædificauit domum Domini, ſed Salomon filius eius. Ille quippe (inquit Hierony- 2.Reg.11.
mus) occidit Vriam Etheum, mœchus extitit in Bethſabea: & quia erat vir ſanguinarius, non (vt plerique exiſtimant)

propter bella, ſed propter homicidium: templum Domini ædificare prohibetur. Tabernaculum verò quum propriè accipitur, belli res eſt, vnde & Contubernales milites dicuntur, tanquam ſimul habentes tabernacula. Quare tabernaculum hoc, tempore Dauid & Moſis, quod fuit mobile, Eccleſiam militantem figurauit, in qua ad triumphantem peregrinamur: quemadmodum teſtatur Paulus, dicẽs, Non habemus hîc ciuitatem permanẽtem, ſed futuram inquirimus. & 2. ad Corinth. cap. 5, Quandiu in hoc corpore ſumus, à Deo peregrinamur. Tabernaculum quoq; hoc quũ proprie ſit belli atque militantium, anteſignauit pręſentem Eccleſiam, in qua contra diabolum dimicamus. Porro meminit diuinus Pſaltes de monte ſancto Dei, quiquidem fuit mons Moria in Hieruſalem, electus ad cultum diuinitatis: in quo ædificatum eſt poſtea templum, in quo vidit Iacob ſcalam, &c. in quo fide obtulit Abraham Iſaac filium ſuum, quum tentaretur: in quo ne Iſaac à patre occideretur (teſte Ioſepho) produxit Deus ex improuiſo arietem ad ſacrificium. Sed templum iſtud quod poſtea in hoc monte ædificatum eſt, figurauit permanentem & perpetuam, quam in cæleſti patria ſperamus, vitam. Vnde intuere quàm pulcherrimè varios ſenſus iam apta verba diſtingant. In tabernaculo dicitur quis habitare, qui adhuc in huius ſeculi agone contendit: in monte verò quis requieſcit, quando iam vnuſquiſque fidelium poſt labores huius vitæ, æternæ pacis ſecuritate reficitur. Nunc incipit Dauid ſuum aut pugilem aut miniſtrum in Eccleſia militante depingere, ex his ſanctiſſimis inſtitutis quę voluit Dominus ſuo in populo Iſrael obſeruari.

Hebr. 13. — Gen̄. 28. — Gen̄. 22. — Antiquit. Iud. lib. 1. cap. 32.

Qui ingreditur ſine macula, & operatur iuſtitiam.

En dicitur qualis quiſque in Eccleſia ſiue ad miniſteriũ ſiue ad ſacerdotium præficiendus. Is ingrediatur ſine macula: ſeu potius, vt Græca dictio verius ſignificat, irreprehenſibilis ambulet. Quare, ſententia Origenis, requiritur in ordinando Sacerdote, etiam populi præſentia, vt

ſciant

ſciant omnes & certi ſint quòd qui præſtantior eſt ex omni plebe, qui doctior, qui ſanctior, qui in omni virtute eminentior, ille legitur ad ſacerdotium. Vtinam adhuc nunc pro hoc rite apud nos ſeruaretur quod ſtatuit primum Braccarenſe concilium, decretúmque Zozimi Papæ iterum ad memoriam reuocaretur. Si enim ſacerdotium integrum fuerit, tota Eccleſia floret: ſi autem corruptum fuerit, omnium fides & virtus marcida eſt. Nam ſicut quum videris arborem pallentibus foliis, intelligas quia vitium habet in radice: ſic quum videris populum indiſciplinatum, ſine dubio cognoſce quia ſacerdotium eius non eſt ſanum. Vnde admonebat Paulus Timotheum, dicens, Manus nemini cito impoſueris, ne videlicet quis facile accipiat Eccleſiaſticam dignitatem, niſi prius de vita & moribus eius fuerit diſputatum: vt dignus, approbatus miniſter aut ſacerdos conſtituatur. Hoc enim eſt manus cito imponere (inquit Leo Papa) ante maturitatem ætatis, ante tempus examinis, ante tempus emeritum obedientiæ, ante experientiam diſciplinę, ſacerdotalem honorem tribuere non probatis. Nolo tamen negare quin aliquando iuuenes prouehi liceat. vti Paulus Timotheo ſcribebat, Nemo adoleſcentiam tuam contemnat, ſed id cautiſſimè fiat, puta ſi apertè multam frugem de ſe poſtea promittat ipſa iuuentus. Hoc vnum verò maxime miniſtros Eccleſiæ deterrere habet, ne quandoque indigni ad ſancta facienda accedant, aut ſceleſtas blaſphemias ſuas (neque enim preces dixerim, ait Dionyſius) ſacris aris inferant. Nam communis doctorum ſententia eſt, Quicunque miniſter Eccleſiæ exequitur in peccato mortali actum ſui ordinis, nouo mortali peccat: quia contemnens ſacramentum. Et Leuitici cap. 22, voluit lex, Omnis homo qui acceſſerit ad ea quæ conſecrata ſunt, in quo eſt immundicia, peribit coram Domino. Itaque eſtote mundi, vos qui portatis vaſa Domini. Nam dicit Dionyſius de cæleſti hierarchia, Immundis ſacra ſymbola & ſigna ſacramentalia tangere nefas eſt. Porro ſubnectit Propheta aliud requiſitum ad debitum pugilem, vel miniſtrum in Eccleſia, Is ſcilicet operetur iuſtitiam. Non dicit operetur caſtitatem, operetur ſapientiam, operetur fortitu-

1. Tim. 5.
1. Tim. 4.
Eſa. 52.

diné. Iuſtitia legalis ſola magna virtus eſt & mater omniũ, quam ſi damnaueris, Solem è mũdo ſubſtraxiſſe videberis. Ipſa enim generalis virtus & concordia aliarum, præſertim quum rectificet atque regulet omnes alias virtutes iuxta medium ſuum, actus quoque humanos in debitum finem dirigit, ſicut & tantundem de prudentia, generali nomine ſumpta, Plato dicebat. Cæteræ virtutes habentem delectãt, iuſtitia non ſolum habenti, ſed & aliis prodeſt, reddens vnicuique quod ſuum eſt. Pingitur cæca, quippe non nouit patrem vel matrem: nouit perſonam, nõ acceptat, Deum imitatur. Ea remota (inquit Auguſtinus) quid ſunt regna, niſi magna latrocinia? nihil quoque tam inimicum, quàm iniuſtitia, ciuitati: nec omnino niſi magna iuſtitia geritur aut ſtare poteſt reſpublica. Atque ex his collige tunc eſſe rempublicam, id eſt rem populi iuris conſenſu & vtilitatis communione ſociati, quum bene ac iuſte geritur, ſiue ab vno Rege ſiue à paucis optimatibus, ſiue ab vniuerſo populo. At ſi cũ Cicerone de republica diſputante, loquendum eſt, noſtra ætas quum rempublicam ſicut picturam accepit egregiam, ſed euaneſcentẽ vetuſtate, non modo eam coloribus iiſdem quibus fuerat, renouare negligit, ſed ne id quidem curat, vt formam ſaltem eius, & extrema tanquam lineamẽta ſeruet. Quid enim manet ex antiquis moribus, quibus ſapiẽtes dixerunt rem ſtare publicam? quos ita obliuione obſoletos videmus, vt non modo non colantur, ſed etiam ignorentur. Iuſtitia videtur nunc non eſſe viua moribus, ſed tantum picta coloribus. Veruntamen regius Pſaltes oſtendit quid ſit operari iuſtitiam, dicens, Qui loquitur veritatem. &c.

Qui loquitur ueritatem in corde ſuo: qui non egit dolum in lingua ſua.

Iuſtitia nouæ legis explicatur, Matthæi cap. 5. his verbis, Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarũ & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Sed tametſi quidam in expoſitione laborent, volentes annotare ſuperabundantiam eſſe in nouo quæ non obſeruaretur in veteri Inſtrumento, quum tamen & in illo mali actus & mala cõ-

cupiſcentia prohiberentur, nobis nunc ſufficiet in hoc maior iuſtitiæ abundantia quàm Scribarum & Phariſæorum: quia illi ſecundum opera magis iuſti appellari, quàm ſecũdum voluntatem affectabant. Inde nonnulli ſenſerunt legẽ veterem ſolum cohibere manum, non animum: quanuis vtrunque prohiberet. At fatemur, forte duntaxat opus exterius puniebat: & tantum extenditur coactio legis, quantum inflictio pœnarum per legem determinatarũ ſe habet. Proinde iuſtitia Chriſtiani modo exigit, veritas ſit non ſolum in corde, ſed & in lingua ac opere: vt ſicut corpus & anima debent in patria pręmiari, ita nunc totum hominem iuſtitia ſanet. Eſt autem veritas (teſtante Philoſopho) virtus per quam homo talem in verbis & factis ſe oſtendit exterius qualis eſt interius. Nonnulli in labiis habent veritatẽ, quam in corde non geſtant: vt ſi aliquis doloſe oſtendat viam, ſciẽs in ea eſſe latrones, & dicat, Si hâc ieris, à latronibus tutus eris: & contingat ibi latrones non inueniantur: verum ille loquutus eſt, ſed non in corde ſuo: & propterea fallax dicitur: aliud enim putabat, & neſciens, verũ dixit. Quare mendacium inadæquationem ſermonis ad rem, aut ad proferẽtis intentionem includit. Mentiri autem, vnam tantum falſitatem dicit, ſcilicet inadæquationem ſermonis ad intentionem ſiue credulitatem mentis. Vnde Auguſtinus aliter Mendacium, aliter Mentiri diffiniuit: nam ſententia eius, Mendacium eſt falſa ſignificatio vocis cum intentione fallendi, id eſt falſum dicendi: quippe nuſquam aliter in loco eſſet mẽdacium. quandoquidem ſic neminem decipere intẽdimus. Sed Mẽtiri eſt loqui contra illud quod animo ſentimus. Qua de re Abraham, Geñ. 22. ſeruis in immolatione Iſaac, dicens, Ego & puer reuertemur ad vos: non eſt mentitus, licet filium occidere crederet. Nam (vt ait Apoſtolus ad Hebr.) fide obtulit Abraham Iſaac, quum tentaretur, arbitrans quòd & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus. Credidit enim ſe cum filio poſt eius ſuſcitationem reuerſurum, in quo promiſerat Deus, multiplicationem ſeminis: nec facile Abrahæ mendacium eſt impingendum, cuius vita & obedientia omnibus cædunt in exemplum. Itaque parum eſt verum loqui, niſi etiam in corde ita ſit. Multi loquuntur veri-

Ethic. 4.

Hebr. 11.

Geñ. 22.

tatem in labiis, ſed non in corde, qui videntur vera dicere, ſed cor cum labiis non ſonat. Quapropter omne mendaciũ peccatum eſt. Nam quum loquela data ſit homini ad exprimendum conceptum animi, quotieſcunque aliquis loquitur quod in animo non habet, abutitur ſermone: & is abuſus rei, peccatum eſt, quia ſic vtitur creatura Dei contra finem proprium. Quamobrem nũquam mendacio tanquam helleboro vtendum eſt ad cuſtodiam virtutum, vel ſalutem ſuam, aut proximi ſeruandam. Non enim ſunt facienda mala, vt inde veniant bona. ad Rom. cap. 3. neque aliquis ducendus eſt ad æternam ſalutem opitulante mendacio, ait Auguſtinus, ſed ſemper infinitus Deus magis quàm proximus diligendus. Nec Abraham Geñ. cap. 12. dicens Saram eſſe ſororem ſuam, mentitus, vt vitam ſeruaret, ſed caute veritatem celauit. Nam filia fratris in Scriptura etiam dicitur ſoror, vt patet Geñ. cap. 20. Sic enim Loth, qui eodem gradu iungebatur Abrahæ, dictus eſt eius frater. Geñ. cap. 13. Ex quo facto animaduerte (ait gloſſa) quandoque licere hoſtẽ per æquiuocationem deludere, dicendo de eo qui quæritur ad iniuſte occidendum, Non eſt hîc, pro non comedit hîc. Iſtud tamen ita fiat vt nuſquam coram quo veritatem interrogati agnoſcere debemus, illi celemus, ſed ſemper verum ad mentem illius interrogantis reſpondeamus. Sic Iacob dicens Iſaac patri ſuo, Ego ſum Eſau primogenitus tuus, non eſt mentitus: quærebat enim pater de eo cui benedictio debebatur. Propter quod non decepit patrem: ipſe enim dignitate ac officio erat Eſau. Nam matri prægnanti prædictum erat, Maior ſeruiet minori. quemadmodum ſimili ratione de Ioãne Matthæi cap. 11. dixit Dominus, Ipſe eſt Helias. Hæc ſi ita obſeruemus, non erit dolus in lingua noſtra. Eſt autem quidam dolus pietatis, qui aliud non includit niſi prudentem occultationem veritatis: & is non reprobandus, ſi cum modo & requiſitis circunſtantiis fiat. Viceſima ſecũda quæſt. 1. Vtilem. Nunc autẽ damnatur dolus fraudis videlicet quũ aliud ore profertur, aliud pectore tegitur. De quo Eccleſiaſtici cap. 2, Væ duplici corde & labiis ſceleſtis, & peccatori terram ingredienti duabus viis. Doloſus enim quum aliud cogitet, & aliud dicat, & frequẽter quod

Geñ. 26. Geñ. 25.

ter quod Dei eſt, opere exhibeat, licet ardenter quod mundi ſit cogitatione quærat, ſic tortuoſè & non plana via graditur. Quare Iacobi cap. 1. ſcribitur, Vir duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis, qui vult gaudere cum ſeculo, & gaudere cum Deo: qui de bonis quæ agit, non Deũ, ſed fauorem quærit: cuius quum oculus, id eſt finis ſimplex Matth. 6.
non ſit: neque corpus, id eſt opus lucidum eſſe poteſt. Sequitur in litera, alia pars iuſtitiæ: Nec fecit proximo ſuo malum, & cætera.

Nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit aduerſus proximos ſuos.

De parabola, Lucæ cap. 10. omnes homines nobis proximi ſunt, & nulli debemus malum facere, ſed quod quiſque ſibi non vult fieri, alteri ne fecerit. Nam ſcriptũ eſt, Diliges Matth. 22.
proximum tuum ſicut teipſum. Quare nemo peccet in proximum corde, malũ contra eum cogitando, aut lingua ipſi in faciẽ exprobrando, vel opere eũ lædendo, ſed charitas cõmunis ſit ad omnes, etiam ad aduerſarios. Quòd ſi de ini- Roma. 12.
micis nobis pręcipitur, vt ſi eſurierint, demus eis cibum, ſi ſitierint, demus eis potum: & hæc facientes congeramus carbones ſuper caput eorũ, quãto magis de his qui nõ ſunt inimici? Neque verò hoc quod dicitur, Hoc enim faciẽs carbones ignis congeres ſuper caput eius, in malam partem accipiendum eſt, ſed in bonam. Quando enim inimicis noſtris præbemus beneficia, malitiã eorum noſtra bonitate ſuperamus, & mollimus duritiam, iratúmque animum ad mollitiem & beneuolentiam flectimus, atque ita congerimus carbones ſuper capita eorum. De quibus ſcriptum eſt, Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatoriis. Vt Pſal. 119.
quomodo de altari à Seraphin carbo ſublatus, Prophetæ Eſa. 6.
labia purgauit, ita & inimicorũ peccata purgentur, & vin- Rom. 12.
camus in bono malum, & benedicamus maledicentibus, Luc. 6.
& imitemur Patrem noſtrum, qui ſolem ſuum oriri facit ſu- Matth. 5.
per bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Sequitur, ET opprobrium non accepit aduerſus proximos. Nonnulli hîc clarius legunt, Et opprobrium aduerſus pro-

ximum non ſuſtinuit:tanquam vtrunque malum ſit, & de-
trahere, & detrahentem audire (tametſi opprobrium com-
primis ad deriſionem tendat.) Sane ridiculum eſt accuſare
aliena, & non ſeipſum potius, qui facile ab his capiatur.
Quare(inquit Hieronymus)nulli detrahas, nec in eo te ſan
ctum putes, ſi cæteros laceres. Accuſamus ſæpe quod faci-
mus, & cõtra noſmetipſos diſerti in noſtra vitia inuehimur,
muti de eloquẽtibus iudicantes. Nunquam Chriſtianus ta-
les detractores videat, nec huiuſmodi hominibus applice-
tur, nec declinet cor eius in verba malitiæ, & audiat, Sedens
Pſal. 49. aduerſus fratrem tuum loquebaris, & aduerſus filium ma-
Pſal. 56. tris tuæ ponebas ſcandalum: & iterum, Filij hominum den-
Pſal. 54. tes eorum arma & ſagittæ. & alibi, Molliti ſunt ſermones
Eccle. 10. eius ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula. & apertius in Eccle-
ſiaſte, Sicut mordet ſerpens in ſilentio, ſic qui fratri ſuo oc-
culte detrahit. Sed dices, Ipſe non detraho, aliis loquen-
Pſal. 140. tibus quid facere poſſum? Ad excuſandas excuſationes in
peccatis iſta prætendimus, CHRISTVS arte non il-
Galat. 6. luditur. Nequaquam mea ſed Apoſtoli ſententia eſt, Noli-
1. Reg. 16 te errare, Deus non irridetur. Ille in corde, nos videmus
in facie. Certe quemadmodum complacentia & gratula-
tio Iudæorum in homicidio Iacobi per Herodem, cauſam
dedit cur voluit ipſe apprehendere & Petrum. Actorum
cap. 12. ita princeps qui lubenter audit verba mendacij,
cauſa eſt in miniſtris doli & mendacij: atque nos, qui lu-
benter obſcœna vel diffamatoria audimus, & illis dele-
ctamur, ac paſcimur, cauſa ſumus ſcurrilitatis eorum qui
coram menſis noſtris lubrica aut turpiloqua euomunt. Sa-
Prouer. 25 lomon dicit in Prouerbiis, Ventus Aquilo, diſſipat nubes,
& vultus triſtis, linguas detrahentium. Sicut enim ſagitta ſi
mittatur contra duram materiam, nonnunquam in mitten-
tem reuertitur, & vulnerat vulnerantem. Illúdque com-
Pſal. 77. pletur, Facti ſunt mihi in arcum prauum, & alibi, Qui mit-
Eccle. 27 tit in altum lapidem, recidet in caput eius. Ita detractor quũ
triſtem faciem viderit audientis, immo ne audientis qui-
dem, ſed obturãtis aures ſuas ne audiat iudicium ſanguinis,
illico conticeſcit, pallet vultus, hærent labia, ſaliua ſicca-
tur. Vnde idem vir ſapiens, Cum detractoribus(inquit)ne

miſcearis, quoniã repente veniet perditio eorũ, & ruinam vtriuſque quis nouit?tam ſcilicet eius qui detrahit, quàm illius qui audit detrahentem. Veritas angulos non amat, nec quærit ſuſurrones. Timotheo dicitur, Aduerſum preſbyterum accuſationem cito ne receperis, peccantem autem coram omnibus argue, vt & cæteri metum habeant. Non eſt facile de prouecta ætate credendum, quam & vita præterita defendit, & honorat vocabulum dignitatis. Verum quia homines ſumus, & interdum cõtra annorum maturitatẽ puerorum vitiis labimur, ſi me vis corrigere delinquẽtẽ, aperte increpa tãtum, ne occulte mordeas. Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Quẽ enim diligit Dominus, corripit: caſtigat autẽ omnem filiũ quem recipit. Et per Eſaiam clamat Dominus, Popule meus, qui beatos vos dicunt, ſeducunt vos, & ſemitas pedum veſtrorum ſupplãtant. Quid enim mihi, ſi aliis mala referas mea? Si me neſciente peccatis meis, imo detractionibus tuis aliũ vulneres, & quũ certatim omnibus narres, ſic ſingulis loquaris, quaſi nulli dixeris alteri: hoc eſt non me emendare, ſed vitio tuo ſatiſfacere. Præcipit Dominus peccãtes in os argui debere ſecretò, vel adhibito teſte: & ſi audire noluerint, referri ad Eccleſiã: habendóſque in malo pertinaces, ſicut ethnicos & publicanos. Hęc expreſſius loquor, vt fidelem quemque renatum in Chriſto, & linguæ aurium prurigine liberem, atque nullus lubenter aut temere recipiat criminatorem, ſed antè ei non credat, quàm dicta ſua probauerit. Vnde ſubnectit Propheta, Ad nihilum deductus eſt, & cæt.

Prou. 24. 1. Tim. 5. Pſal. 140. Prou. 3. & Heb. 12. Eſa. 3. Matth. 18.

Ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus: timentes autem Dominum glorificat.

En adhuc ſequitur alia pars iuſtitiæ Chriſtianæ. Bonus ſiquidẽ floccifacit malignum detractorem ac ſemper Scripturæ meminit dicentis, Noli diligere detrahere, ne eradiceris. Pauci admodum ſunt qui huic vitio renuntient: raróque inuenies qui ita vitam irreprehenſibilem exhibere velint, vt non libenter reprehendant alienam. Tantáque hu-

ius mali libido mentes hominum inuaſit, vt etiam qui procul ab aliis vitiis receſſerunt, in iſtud tamen quaſi in extremum diaboli laqueum incidunt. Sed Chriſticola hoc malum ita effugiat, vt non modo ipſe non detrahat, ſed nec alij quidem maligno detrahenti aliquando credat. Nec obtrectatoribus, authoritatem de cõſenſu tribuat, nec eorum vitium nutriat annuendo. Noli (inquit Scriptura) conſentaneus eſſe cum derogantibus aduerſus proximum tuum: & non accipies ſuper illum peccatum tuum: & alibi, Sepi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequam. Eſt ſane tale hoc vitium quod vel imprimis extingui debeat, & ab eis qui ſe ſanctè inſtituere volunt, prorſus excludi. Nihil enim tam inquietat animum, nihil eſt quod ita mobilem mentem ac leuem faciat, quàm facile totum credere, & obtrectatorum verba temerario mentis aſſenſu ſequi. Hoc eſt quod ſæpe de amiciſſimis etiam inimicos facit, dum concordes quidem, ſed credulas animas maliloqua lingua diſſociat: at contra, magna quies animi magnáque eſt morum grauitas, non temere de quoquam ſiniſtri quid audire. Beatúſque eſt qui ita ſe contra hoc vitium armauit, vt apud eum detrahere nemo audeat. Quare hortatur Hieronymus, Nulli vnquam omnino detrahas, nec aliorum vituperatione te laudabilem videri velis, magíſque vitam tuam ordinare diſce, quàm alienam carpere. Et de Auguſtino legimus cõtra obtrectatorum venenum in menſa ſua ſcriptum habuiſſe,

Eccleſiaſtici 28.

Quiſquis amat dictis abſentum rodere vitam,
Hanc menſam indignam nouerit eſſe ſibi.

Sed contrà iuſtus timentes Dominum glorificat. Nam honor, teſtimonium eſt ſeu ſignum virtutis. Quid mirum ergo ſi ſtudioſo exhibetur? Egenti quidem plus lucri, excellenti autem plus honoris (inquit philoſophus) tribuendum eſt. Nanque virtutis vberrimum alimentum atque præmiũ honos, omnéſque trahimur ad ſtudioſa, gloriæ & honoris cupiditate. Tu vero, lector, animaduerte etiam hîc radicem affectum, partéſq; virtutis illius quam humilitatem appelmus, pleniſſimè deſcribi. Affectus ſiquidem humilis in duas ſecatur partes: vna ſpernit quicquid ſuum eſt, recognoſcẽs nihil ſuum eſſe niſi malum: & propterea non tantum nihi-

lifacit,

lifacit, ſed & abominatur ſeipſum ad omne vitium pronũ, Roma. 7.
& in cuius carne non habitat bonum. Vnde ad Saulem elatum 1. Regum cap. 15. dicitur, Nónne quum paruulus eſſes in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es? Altera pars humilitatis magnificat, honorat & glorificat quicquid Dei eſt, quaſi omnis ſufficientia noſtra ex eo ſit, & idcirco 2. Cor. 3.
timentibus Dominum defert. Nam ſcit in eis ipſum habitare. Interea autem quæſo proſpice, quid ſubnectit Dauid. Qui iurat proximo ſuo, & non decipit, &c.

Qui iurat proximo ſuo, & non decipit, qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram: & munera ſuper innocentem non accepit.

Comprimis Propheta doloſum iuramẽtum damnat, atq; (ſi exceptio firmat regulã) qualiter iurandum ſit, oſtendit. Eſt autem Iurare (ſententia Auguſtini de verbis Domini) Deum in teſtem aſſumere, ſiue immediatè in ſe, ſiue mediãte creatura, nõ vt creatura ſit teſtis veritatis, ſed ipſe De⁹, cuius perfectio & veſtigiũ veritatis ſua in creatura relucet, & qui illius author eſt. Nam quum homo & falli & fallere poſſit, atque vanitati omnis creatura ſubiecta ſit, ad Roma. cap. 8. neceſſe eſt pro certitudine habenda, adducere teſtem veracem & ſcientem, qui nec fallit nec fallitur: & hîc ſolus Deus eſt qui non decipit, nec decipitur. Inde merito receptum eſt vt quod ſub inuocatione diuini teſtimonij dicitur, pro certo vero habeatur: & antiqui cõfirmationem ſermonis, iuramentum appellabant. Quare ſcribit Apoſtolus ad Hebr. 6.
Hebræos, Omnis controuerſiæ finis ad confirmationem eſt iuramentum. Itaque iurare ad latriam ſpectat, quia eſt proteſtari & profiteri Deum eſſe ſummum & infallibilem veritatem. Inſuper iurãdo per Deum, fatemur Deum nobis ſuperiorẽ: iuxta illud ad Hebræos ca. 6, Homines per maiorẽ ſui iurãt. Attamẽ vt iuramentũ debitè fiat, iſta obſeruentur de quibus Hiere. ca. 4, Iurabis, viuit Dominus, in veritate, in iudicio, & in iuſtitia. Requiritur ergo veritas tam in conſcientia quàm in ſermone iurantis: in conſcientia quidem, vt ita eſſe credat ſicut iurat, in aſſertorio vel ita face-

randi,naſcatur conſuetudo,& ex conſuetudine cadamus in periurium:ſicuti ſcribitur Eccleſiaſtici cap.23, Vir multum iurans,implebitur iniquitate. Præterea conſidera hæc prænarrata verba Chriſti, cõtra errorem Iudæorum dici: nam ipſi putabant ſolum iuramentum falſum,eſſe illicitum,non autem iuramentum incautum:neque exiſtimabant ſe teneri iuramento,ſi quãdoq; per creaturas iuraſſent,quando ex lege audierant, Reddes Domino iuſiurandum tuum. Quapropter duntaxat pronitas ad iurandum hic videtur prohibita, ne & ſimul ex hac peierarent. Nam (teſte Auguſtino)nemo nouit niſi qui expertus eſt quàm ſit difficile & conſuetudinem iurandi extinguere,& nunquam temerè facere quod aliquando neceſſitas facere cogit. Quod vero ſequitur,Sit ſermo veſter, Eſt eſt,Non non, dictis concordat. Nam(vt ait Auguſtinus de verbis Domini, hoc Eſt eſt,Non non,tanquam bonum eſt appetendum,quod amplius eſt,à malo eſt. Quippe quoties iurare cogeris, ſcias hoc fieri ex infirmitate eorum quibus aliquid ſuades: quæ vtique infirmitas malum eſt non culpæ,ſed pœnæ. Nam incredulitas huiuſmodi magis eſt pœna quàm culpa. Itaque non dixit, quod amplius eſt, malum eſt. Sic igitur & aſſertorium & promiſſorium iuramentum recipimus. Aſſertorium quidem,quod eſt reſpectu cuiuſcunque temporis,obligat ſemper aſſerentem vt verum dicat. Promiſſorium vero,quòd eſt tantum de futuro, exigit vt quod quis iurauit,verum faciat: & vtrunque ſi fiat cum obligatione ad pœnam,execratorium nominatur. quod quidem(authore Auguſtino) eſt grauiſſimum genus iuramenti. Nam quũ quis ait Per ſalutem ſuam,ſalutem ſuam obligat Deo: quũ dicit Per filios meos,oppignorat eos Deo, vt hoc eueniat in caput eorũ,quod exit de ore ipſius, ſi verum,verum,ſi falſum,falſum. Nempe tametſi creatura prorſus Creatoris ſit, verũtamẽ bonum vel ſolatiũ quod ex creatura recipimus à Deo nobis conceditur,& propterea poſſumus ipſum Deo, tanquam noſtrum oppignorare. Quapropter nemo vnquã doloſe iuret, quia Deum teſtem falſi facit: neque aliquando quis dolo ſuo proximum lædat. 1.ad Theſſalo.cap.4, Nequis ſupergrediatur & circunueniat in negotio fratrem

ſuũ. Inſuper nuſquã incautè iuremus ſiue rem per ſe malã
Matt. 14. promittẽdo, ſicut Herodes, qui necẽ Ioannis præſtitit ne promiſſum negaret. De quo Iſidorus: In male promiſſis reſcinde fidem, &c. ſiue rem illicitam nobis pollicemur, vt qui ſacramento abnegaret opus conſilij· ſiue iurando nos aliquid facturos quod non poſſumus: nam ad impoſſibile nemo obligatur. Si tamen hæc impotentia faciendi, poſtea quàm quis iurauit, contingat, quæ nec tunc præuideri debuerit, excuſatur qui ita iurauit, ea tamen lege vt ſi forte poſthac potuerit quod ſpopondit, impleat. Nullus contra
Ioſue 9. Dei præceptum iuret, neque obiiciat quis pacem quam Ioſue cum Gabaonitis iureiurãdo firmauit, quos occidi præceperat Dominus. Deutero. 7. Animaduerte ſiquidem facere contra verba legis, & non contra animũ præcipientis, peccatũ non eſſe. Finis autem huius præcepti Deutero. 7. erat, ne filij Iſrael idololatria incolarum Terræ ſanctę à cultu vnius Dei auocarentur. Quare ceſſante huiuſmodi periculo, ceſſabat & hæc lex: quod contigit in ipſis Gabaonitis, qui ſeruituti addicti, nullos amplius de domo Iacob ad idololatriã adducere poterãt. Quare, inquit Ambroſius, Mulctauit eos Ioſue meliore morte, vt eſſet clemẽtior ſentẽtia, ſed diuturna. Subnectit Dauid aliã partẽ iuſtitiæ, quæ eſt damnatio vſuræ: laudando proximũ qui pecuniã ſuam non dederit ad vſurã. Et merito quidẽ. Nam lucrũ ex vſura non tantũ hoc iure diuino, ſed & lege naturæ prohibetur, quum ſit lucrum de re non ſua: nempe mutuans, dominiũ pecunię mutuatario tranſfert. Quare contra naturã eſt, ſi inde commodum reportet. Iſtud præterea vſuram explodit: nam eſt bono politico contraria, quæ ſenſim ciuium opes cõſumit, ipſóſque depauperat: quemadmodum & tinea clam totum veſtimentum rodit, atque homines in republica otioſos facit, qui neque agriculturæ, nec aliis artificiis & negotiationibus neceſſariis propterea intendunt. Nolo autem quis nobiſcum contendat hanc non ſemper eſſe omni iure prohibitam, ſed fuiſſe Iudæis conceſſam, ſaltem cum alienis. Deutero. 23, Non fœnerabis fratri tuo, ſed alieno. Nanque cum Lirano credo ad veritatem Hebraicam hoc in loco legendum eſſe, Non vadiabis fratri tuo, ſed alieno. Quæ lex

explicat qualiter ſuis, qualiter alienis mutuabant Iudæi: ſi enim fratri mutuum dabant, non recipiebāt ab eo pignus: ſi verò alieno, vadium accipere poterāt. Atque vſuram nulla lege fuiſſe Hebræis licitam, teſtantur libri Prophetici, qui in multis legales explicāt, & eis poſteriores ſunt. Nam quotquot Prophetæ de vſura ſcripſerunt, ſemper eam damnant. Sequitur vltima pars, quam nunc pro iuſtitia commendat Propheta, dicens, ET munera ſuper innocentem non accepit. vt non deprimant iudices cauſam innocentis pro munere alicuius. Vnde Eſaiæ cap. 33. dicitur pro iuſto, Qui excutit manus ſuas ab omni munere, iſte habitabit in excelſis. Munera quippe excæcant oculos ſapientium. Deut. 16.
Felix conſcientia quæ proiicit hanc auaritiam quæ mater eſt calumniæ, vt non conturbent iudicium veritatis munera offerentes. Quare Micheæ cap. 3. dicitur, Principes eius in muneribus iudicabant, Sacerdotes in mercede docebāt: & Prophetæ in pecunia diuinabant. Propter hoc, cauſa veſtri Sion quaſi ager arabitur, & Hieruſalem quaſi aceruus lapidum erit. Quod generaliter Hieronymus ad corruptos iudices & Pſeudoprophetas trahit, qui ædificauerunt Sion in ſanguinibus, & Hieruſalem in iniquitate, rapinis pauperum, cæde inſontium, occiſione ſanctorum. Abacuc 2. Et poſt hæc mala non intelligentes peccatum ſuum, quaſi ſceleribus redimerent charitatem Dei, iudices ac ſacerdotes & prophetas Dei ſe eſſe memorabant, & ſecundum impœnitens cor ſuum, dicebant, Dominus in medio noſtrum eſt, & nō venient ſuper nos mala. Si quis autem hæc quæ de Hieruſalem dicuntur & de Sion ad Eccleſiam etiam transferat, ipſa certè auaritia ſuorum paſtorum aliquando deſtruetur. Quando enim iuxta perſonam iudicant, & in diſceptatione negotij nō valet cauſæ meritū, ſed reorū potētia, nónne abominātur iudiciū & omnia recta peruertūt? Voces Domini venditant, & de colūbis mercantur in templo gratiam, & omnia hîc vænalia facientes. Quapropter ſicut olim Synagoga, ita & nos clerici hac auaritia aliquando peſſundabimur. Sed dic Samuelē accepiſſe à puero Saulis quartā partem ſicli pecuniæ pro Prophetia: iſtud nō habet Scriptura: quin potius à Propheta paſcuntur & inuitantur ad pran- 1. Reg. 9.

dium Saul illiúſque puer. Veruntamé ſi ita demus, hoc magis (inquit Hieronymus) ſtipendium fuit laboris, quàm munus Prophetiæ. Quare quodcunque munus peruertés ſemper à ſuperiore cauendum, & nunquam repletum nummis marſupium ſit, præuaricatio veritatis. Subiungitur decora concluſio, Qui facit hæc, &c.

Qui facit hæc, non mouebitur in æternum.

Completis ergo his decem virtutum indiciis, in hoc & perfectionem ſeruatam oſtendit, & adiecit, NON mouebitur in æternum, id eſt Nunquam. De ſingularibus tamen
Hiere. 1. perſonis non poteſt hoc intelligi vt ſonat, quũ conſtet Hie-
.44 & 44. remiam ſanctum ab vtero matris ex terra promiſſionis defeciſſe. Nec putãdum eſt quòd fuerit ſolus iuſtus eiectus ab hac terra, quum ſcriptũ ſit, Ecce reliqui mihi ſeptem millia qui non curuauerunt genua ſua ante Baal. 3. Regũ cap. 19. Verificatur ergo ſententia hæc de ſingularibus perſonis, ſubintelligendo quãtum eſt ex earum meritis. Sancti enim viri eiecti ſunt, non propter ſua, ſed propter populi peccata. Sed conſidera quia, FACIT dixit, non CANTAT, vt nos ad bene & ſtudioſe operandum inuitet, & non ſolum ad recte dicendum aut cantandum. Bona enim (teſte Philoſopho) diſcimus nõ tantum vt ſciamus, ſed & vt agamus. Vnde Auguſtinus, Caue ne bene cantes & male viuas. Sic igitur qui facit prædicta, non mouebitur in æternum à via iuſta, nec à diuina voluntate, quæ eſt menſura omnis iuſtitiæ. Nam lib. 5. Ethicorum, iuſtitia dicitur iuxta medium: & illud nominatur iuſtum quod fit iuxta aliquod principium & regulans & rectificans & menſurans actum. Iuſtus quoque appellatur, qui non recedit à centro legis in qua hæc diuina voluntas, quia eſt menſura operum noſtrorum, manifeſtatur. Itaque qui ſic irreprehenſibiliter operatur, nõ ſolum à commotione æterni iudicis ſecurus erit, verum & ipſum montem tabernaculúmq; cæleſte poſſidere merebitur: ſicut à contrario ſenſu arguẽdo, qui non facit hæc iam corruit in æternum, inquit Hieronymus cõtra Ruffinum, &c.

COnſerua me, Domine, quoniam ſperaui in te: dixi Domino, Deus meus es tu, quoniã bonorum meorum non eges.

Iuxta Hebræum, titulus eſt, Michtham Dauidi: quam dictionem ſi in duas diuidas, ſcilicet mich & tham, ſic interpretatur à Hieronymo humilis & ſimplicis: pro quo etiam Aquila & Symmachus humilem ſimplicémque poſuerunt: ſignificãtes (vt ait idem Hieronymus) hunc Pſalmum propriè ad Chriſtum pertinere, dicentem Matthæi cap. 11, Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde: quaſi Dauid hunc Pſalmũ ediderit in laudẽ humilis & ſimplicis Chriſti. Aliam multiplicem expoſitionẽ iſtius dictionis Mich tham peritis linguæ Hebraicæ relinquo ob quanquidem multiplicitatem, varie plures hunc titulũ verterunt. Sed de materia iſtius Pſalmi certiores nos fecerũt principes Apoſtolorum Petrus & Paulus, tametſi nonnulli arbitrentur præſentia ſcripta fuiſſe pro afflicto Dauid à Saule & Abſalone. Verũtamẽ Petrus Actorũ cap. 2, inducit multos verſus huius Pſalmi ad manifeſtandã reſurrectionẽ Chriſti: probans quòd Dauid non loquitur de ſeipſo, ſed de Chriſto, quũ dixit, Non derelinques animã meã in inferno, nec dabis Sanctum tuũ videre corruptionẽ. Idem legis dictũ à beato Paulo Acto. cap. 3. Quare collige hanc generalẽ regulã intelligendi Pſalmos loquẽtes de Dauide, quòd ſcilicet quãdo ea quæ dicuntur nõ cõueniũt ipſi Dauidi, intelligẽda ſunt de Chriſto Dauidi promiſſo. Itaque iſte Pſalmus ſecundus eſt eorũ qui paſſionẽ & reſurrectionẽ Domini breuiter tãgũt. Nũc aduertimus hominẽ perfectũ Ieſum Nazarenũ ad paſſionem euntẽ: nunc qualiter hæreditatẽ atque regnum in cęlo & in terra per patientiã ac humilitatẽ adeptus ſit, videmus. Nẽpe quũ hæreditas ſiue bona paterna debeãtur filio iure naturali, & Deus pater habeat dominium vniuerſorũ, Chriſto igitur, in quãtũ eius naturali filio, hæc monarchia debetur, ad Galat. cap. 4, Quòd ſi Chriſtus eſt filius Dei patris, ergo hæres per Deũ: & dominus omniũ. Quã quidẽ

monarchiã Chriſtus inquãtũ Filius naturalis Patris, in pũ-ćto ſuæ conceptionis iure hæreditario habuit:eandẽ tamen hæreditatem Chriſtus, in quantũ homo, adhuc ſibi meruit.
Epheſ. 5. Nam quòd ſit redemptor omniũ, caput Eccleſiæ, atque angelis cæteriſque creatis imperet, hoc ipſum ſibi meruit humilitate & paſſione. ad Philippẽſes 2, Propter quod Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomẽ, vt in nomine IESV omne genu flećtatur cæleſtiũ, terreſtriũ & infernorũ. Porro immortalitatẽ & impaſſibilitatem ſuæ carnis habuit in reſurrećtione, quemadmodum in aſcenſione hic homo à dextris Patris collocatus, iudiciariã poteſtatẽ ſuper omnes manifeſte accepit: in qua triũphanti forma hominis aſſumpta, ſedebit iudex, qui ſtetit ſub iudice, damnabit vero reos, qui falſo fa&ctus eſt reus. Vnde Apoſtolus cap. 3. ait, Ego vici & ſedi in throno Patris mei, &c. Quapropter nunc eſt vox Chriſti ad Patrem inter humana pericula ab eo cõſeruari poſtulãtis. Petit cuſtodiri corpus à corruptione, ſeruariq; animã ab habitatione in inferno: quod eſt petere celerem reſurrećtionẽ. Et quo facilius eius rei ſequeretur effećtus, ſperaſſe ſe dicit non in ſe, ſed in Domino ſemper. Quãuis enim in Chriſto non fuerit ſpes reſpećtu beatitudinis eſſentialis (quia fuit beatus à principio conceptionis) fuit tamen in illo ſpes tum reſpećtu beatitudinis corporis proprij, quã carebat, tũ reſpećtu ſuę exaltationis futuræ regni acquirendi & ſimilium bonorum humanitatis. Quæ omnia & ſperauit, & meritis propriis ac-
Philip. 2. quiſiuit, non inquantum Deus, ſed inquãtum homo. Sic ergo exinanitus, nũc in forma ſerui Deo Patri ait, Dixi Domino, Deus meus es tu: oſtendens ſe hominẽ in humilitate carnis, quũ æqualis ſit in omnipotentia maieſtatis. Quippe ſi dixiſſet, Dominus meus es tu, Filiũ minorẽ, Patrẽ maiorẽ demõſtraſſet. Sed vt iſtud vitet, propterea intonat, Dixi Domino, Deus meus es tu, per creationem & cuſtodiam. Et vt duas naturas in perſona Saluatoris euidẽter agnoſcas, ipſe ſubnećtit ad Patrem, Bonorum meorum non eges. Hæc ſecundũ hominẽ referuntur. In Chriſto enim vna eſt natura ex infirmitate humilis: altera ex ſua potentia mirabilis, vt intelligas quòd paſſus eſt fuiſſe carnis, quòd reſurrexit,

ſupremæ

ſupremæ maieſtatis. Et quāuis (inquit) omnia opera mea, & omnia verba mea & omnes cogitationes meæ bonę ſint, tamē tu qui me aſſumpſiſti, bonorum meorum non eges. Nō enim pro Dei commodo aſſumptus eſt homo, ſed pro hominis reparanda miſeria ſuſceptus eſt Deus. Vtinam autē nunc audiant & ſapiant Pelagiani. Nam ſi hominis Chriſti bonis non eget Deus, ſed à Deo ipſe homo accepit omnia, apertiſſime deſtruitur arrogantia eorum qui putant aliquid boni ſuis viribus fieri. Deinde conuertens ſe CHRISTVS ad auditores, narrat quæ bona Deus Pater ſibi fecerit, dicens, Sanctis qui ſunt &c.

ſanctis qui ſunt in terra eius, mirificauit omnes uoluntates meas in eis.

Nunc explicat Saluator qualiter à Patre totā Eccleſiā militantē in hæreditatē acceperit. Sētentia Apoſtoli ad Rom. ca. 9, Nō ex operibus, ſed ex vocāte dictū eſt, Iacob dilexi, Eſau odio habui. Ita vt (teſte Auguſtino De prędeſtinatione ſanctorum) non quia Deus nos futuros eſſe tales præſciuit, nos elegit, ſed vt eſſemus tales per illam electionem. Ipſe ſane eligendos facit non inuenit, neque huius voluntatis qua ab æterno vult hunc in fine dierum ſaluare, in eo eſt aliqua cauſa: ſicut habet pro libito poteſtatem figulus ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, Rom. 9.
aliud in contumeliam: neque figmentum ei improperat, quid me feciſti ſic? Moyſi enim dicit Deus, Miſerebor cui miſertus ſum, & miſericordiam præſtabo cuius miſerebor. Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Domini. Veruntamen ad Rom. cap. 8, Quos Deus præſciuit, & prædeſtinauit: quos prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, ipſos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & magnificauit. Quæ omnia forſitā nō bene proſpicienti, aliquam prædeſtinationis cauſam ſuadere poſſent. Sed conſidera vocationem, prædeſtinationem & magnificationē effectus eſſe prædeſtinationis, non cauſam à Deo vt Deus eū vocet quem ſciat obaudire: ſicut Dauid cōtigit, qui poſt veniam tam bene perſtitit. Atque hoc loco Paulus ſolum deſcribit quo ordine res ſeſe habent in electos, & qualiter eis

omnia in numero, pondere, & menſura contingunt. Sunt vero hic quatuor memorata, prædeſtinatio, vocatio, iuſtificatio, magnificatio. Vnum eſt in Deo, & tria in nobis. Prædeſtinatio enim noſtra non in nobis eſt, ſed in occulto apud Deum in eius præſcientia. Tria vero reliqua in nobis ſunt. Quapropter etiam Filius hos ex tempore & vocauit & iuſtificauit & magnificauit, quos Pater ab æterno prædeſtinauit, ipſos ad Eccleſiam ſuam congregans, relictis aliis qui neque digni fuerũt vt ita magnificarẽtur. Paulus ad Epheſ. cap. 1, Deus pater elegit nos in CHRISTO ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati: & prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum, & gratificauit nos in dilecto Filio ſuo. In his Deus pater mirificauit voluntates Filij in terra, id eſt Eccleſia ſua, quos & iuſtificare & redimere Filius venit. Atque inter eos hic homo (qui aſſumptus à Deo) ita eminuit, vt omnium merita longe ſuperaret, & nullum prorſus ſibi ſimilem inueniret. Mirificauit inſuper & ipſe CHRISTVS per hos ſanctos myſteria ſua, in quibus qualiter omnes de plenitudine eius acceperint, apparet. Sic ad diuerſos ſanctos pro variis ſubleuandis neceſſitatibus noſtris recurrimus: diuerſi diuerſa receperunt dona. 1. ad Corinth. cap. 12, Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Dominus: diuiſiones operationum ſunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. & Ioannis cap. 14, In domo Patris mei manſiones multæ ſunt. Nam diſtincta meritorum præmia ac diuerſa priuilegia cauſæ ſunt, cur ſit verius beatorum honor & gloria. Sic loquitur beatus Auguſtinus in libro de ſancta virginitate, Quia (inquit) vita æterna pariter erit omnibus ſanctis æqualis, denarius omnibus attributus eſt: quia vero in ipſa vita diſtincta fulgebunt lumina meritorũ, multę manſiones ſunt apud Patrẽ: ac per hoc in multis mãſionibus honoratur alius alio clarius. Sic ergo non omnium generum miraculo per ſingulos ſanctos ſuos Dominus operatus eſt in terris, ſed per quoſdam illa, per quoſdam alia. Inde legimus quoſdam per Petrum obedientiæ, per Paulum illuminationis, per Ioannem charitatis dona obtinuiſſe. Necnon ſanctos ſibi ſupplices ad alios tranſmiſiſſe etiã cęleſtes ad terrenos, maiores ad minores: quę-

Ioan. 1.

Ioan. 14.

res:quẽadmodum narrat Gregorius 3.dialogorum cap.25, de beato Petro, qui puellam paralyticã ſanandam ſuę Eccleſiæ cuſtodi, nomine Abundio, duci præcepit, vel vt minorũ nondum manifeſta ſanctitas palam fieret, vel quia tale eis particulare conceſſum priuilegium. Vti 4.Regum cap.13. legis, quum cadauer cuiuſdam defuncti proiectum fuiſſet in ſepulchrũ Heliſęi, cõtinuo reuixit. Et de matre beatę Luciæ teſtimoniũ habes, qualiter ad tactũ ſepulchri beatę Agathæ ſtatim eſt à profluuio ſanguinis liberata. Ex quibus apparet etiã peregrinationes ad certas imagines vel certa loca, nonnunquã ſanctè fieri. Nõ enim vſquequaq; negandũ eſt quin in certis locis maximè reluceant beneficia Dei, & maiora crebri⁹ quàm in aliis, vel propter ſanctorũ reliquias ibidem conditas, vel occulta myſteria futuris tẽporibus ibi celebranda aut celebrata: vel alias cauſas nobis incognitas propter quas Deus vnum locum elegit ſuo cultui, non aliũ. Sic primo elegit tabernaculũ quod per Moyſen erigi mandauit: deinde locũ in Silo: deinde templũ Salomonis in Hieruſalem. vnde ait Moyſes, Caue ne offeras holocauſta tua in omni loco quẽ videris, ſed in eo quẽ elegerit Dominus &c. Nã & Iacob (vt habetur Gen.ca.28.) poſt ſcalę, cuius ſummitas cælũ tangebat angelorúmq; in ea aſcendentiũ & deſcendẽtiũ viſionẽ, ait, vere Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebã: ſurgẽnſq; erexit lapidẽ in titulũ: fundens oleũ deſuper, appellauítq; nomen loci illius Betel, quod interpretatur domus vel habitaculũ Dei. Edoctus diuinitus didicit quãta & quàm mirabilia operaturus erat Dominus in loco iſto. Nã ibi fundandũ erat templũ ad Dei ſpecialem cultũ, ibi cõſummaturus erat IESVS opus noſtræ redemptionis, ſeipſum Patri in cruce offerendo. Et propterea dũ rediit idẽ Iacob à Meſopotamia, Gene.35. ibidẽ propter hæc myſteria futura, iterũ Domino ſacrificauit. Itaque nec reprobari debet, ſi dum in vno loco vel coram vna imagine crebreſcunt miracula, ſanitates, & cætera diuina beneficia: non locum, ſed Deum qui ibi operatur laudare: nec imaginem, ſed coram imaginę (aut vt alij loquuntur) in imagine, Deũ & ſanctos contingat adorare. Ecce quomodo CHRISTVS eſt à Patre magnificatus, atque ſeipſum per ſanctos

Exod. 40. Iudic. 20. 2.Paral. 6. Deut. 12.

in terra (hoc eſt Eccleſia mirificauit. Sed multiplicatæ ſunt, & cætera.

Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt.

Iam aperit Propheta quòd Meſſias nihil aliud inſtituit in Eccleſia ſua, niſi quæ Domini ſunt: nihil quæſiuit, niſi Deũ ac animarum pro ipſo lucrum, quas eo proſpiciente afflictione ſaluberrima de mundi huius fraudulentis laqueis liberauit. Si enim de principibus Apoſtolis comprimis dicendũ eſt: quũ ſane multæ antea eſſent in eis infirmitates,
Matth. 4. ad ſolã Domini vocem relictis omnibus ſequuti ſunt eum, ter ab ipſo vocat. Imprimis ſtatim poſt Chriſti baptiſmum Ioan. cap. 1. quando duo diſcipuli Ioannis audierunt ipſum dicentẽ de Chriſto, Ecce agnus Dei, & ſequuti ſunt ipſum: quorũ alter erat Andræas frater Simonis. Secunda vocatio fuit in piſcatione quã deſcribit Lucas cap. 5. vbi Petrus viſa multitudine piſcium captorum, ſciens iſtud non potuiſſe fieri ope humana, procidit ad genua IESV. Sed illæ duæ vocationes tantum fuerunt ad quandam familiaritatem: nõ enim adhuc ei tunc penitus adhæſerunt: ſed iſtud impletum in tertia vocatione, de qua Matthæi cap. 4. quãdo eos de naui vocauit ad Apoſtolatum. In qua vocatione omnia reliquerunt: etiam officium coniugale, teſtante Hierony-
Matt. 19. mo cõtra Iouinianum. Nam quum Petrus ex perſona Apoſtolorũ dicit ad Dominũ, Ecce nos reliquimus omnia & ſequuti ſumus te. Reſpõdit ei Dominus, Amẽ dico vobis: quoniã nemo eſt qui dimiſerit domũ, aut parentes, aut fratres, aut vxorẽ, aut filios propter regnũ Dei, qui nõ recipiat multo plura in ſeculo iſto, & in ſeculo futuro vitam æternam. Diuinũ igitur quoddã attractiuũ in Chriſto fuit, quo ſimul
Hebr. 7. mentẽ vt & corpus diſcipulorũ ad ſe traxit. Multiplices intellexerunt ſuas eſſe infirmitates, quia nuſquã ad perfectum addduxit lex, & prius manifeſtata eſt illis per ſeueritatẽ legis impotentia carnalis, vt tandẽ ad noui Teſtamenti liberatricẽ gratiã confugerent. Vnde enim propriã agnouerũt infirmitatẽ, inde citius feſtinarũt ad medicũ qui eos ſanaret. Et quia infirmos & peccatores humiliter ſe fatentur, citius à cæleſti medico ſanari merentur. Si autẽ iſtud etiam de conuerſione

conuerſione Gentium intelligas, clariorem reddet literam. Quòd hîc legit Hieronymus, Multiplicabũtur, eorum idola poſtea accelerauerunt. Quũ enim deos excogitaſſent Gẽtes, in æthere, Iouem: in aere, Iunonem: in mari, Neptunũ: in inferioribus etiam maris, Salaciam: in terra, Plutonem: in terra inferiore, Proſerpinam: in focis domeſticis, Veſtã: in fabrorum fornace, Vulcanum: in ſyderibus, Solem & Lunam & Stellas: in diuinantibus, Apollinem: in tempore, Saturnũ: in bellis, Martem & Bellonam: in vineis, Liberum: in frumentis, Cererem: in ſyluis, Dianã: in ingeniis Mineruam: in partu, Lucinã: & dum paſſim omnia ſuperſtitionib⁹ conſtreperẽt, ſtatim ſuam imprudentiam agnouit mundus, vbi ſummam malorum attigit. Lapis præciſus ſine manibus qui & creuit in montem magnum, dum aduenit, idololatriam calcauit. Nam hactenus tẽpore Moyſi & aliorũ Prophetarũ, licet magnalia Dei virtute fierẽt, non tamẽ potuit hoc vitiũ idololatriæ extirpari, non ſolũ à Gentibus, ſed etiã ab ipſo populo Iſrael: in cuius præſentia fecit Dominus mirabilia in AEgypto, terribilia in mari rubro. Nã & in Oreb vitulũ conflatilẽ fecerunt, & adorauerunt filij Iſrael. Exod. cap. 32. Et Eſaias idem deplorat cap. 2, Repleta eſt terra idolis, opus manuũ ſuarũ adorauerunt, opus quod fecerũt digiti eorũ. Sed vt recte præſignatũ eſt à Daniele, per percuſſionem lapidis ſine manibus (hoc eſt abſque humana potẽtia) lapis, qui eſt Chriſtus, ſtatuam, id eſt idololatriam diminuit, tam antiquam, ſcilicet Chaldæorum, quàm aliarum trium monarchiarum, ibidem deſcriptarum: vti etiam prædictum erat ab eodem Eſaia, In die illa proiiciet homo idola argẽti ſui, & ſimulachra auri ſui, quæ fecerat ſibi vt adoraret. Et idcirco nunc adiunctum eſt, Non congregabo, &c.

Dañ. 2.

Pſal. 105.

Dan. 2.

Eſa. 2.

Non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Hæc non vt ab homine, ſed tanquam à Deo proferenda ſunt. Et ceſſationem ſacrificiorum tam Iudæorum, quàm Gentilium per legem CHRISTI ſubiungit Pſalmographus. Nam quum primum locum in ſacrificiis teneat oblatio animalium, excludendo ſacrificia quibus

illa offerebantur, ablata eſt & lex, ſiue idololatriæ, quæ in his exercebatur, ſiue Synagogæ, quæ tantum vmbram futurorum habuit, non ipſam imaginem. ad Hebræos ca. 10. Quare quum is, qui per talia ſacrificia in Iudaiſmo venturus denuntiabatur, aduenit, talia ſigna reuocata, ſicut veniente lumine ceſſat vmbra. Nam ſic ea ſigna facta ſunt falſa, vt circunciſio, quæ ſignificabat Chriſtum moriturum & paſſurum, morte Chriſti euacuata: quippe qui poſtea ſeipſum circuncidebat, falſam fidẽ proteſtabatur: & eum qui iam hominem redemerat, venturum ad redimendũ annuntiabat. Ipſa tamen circunciſio, vt & aliæ ceremoniæ nunc in ſuis quibuſdam ſignificatis adhuc manet. Omnes enim illæ purificationes veteris legis, ſignificabãt purificationem à peccatis: & oblatio & ſacrificia deſignabãt perfectũ Chriſti ſacrificium, & actus quoſdam latriæ in Deum, fidei videlicet, ſpei & charitatis: quæ omnia conſummata ſunt vnica
Matth. 5. CHRISTI oblatione, qua ipſe legem non ſoluit, ſed adimpleuit perfectiora remedia inſtituendo. Abſit tamen vt per hoc cum Ebionitis dicamus legem nunc cum Euange-
Roma. 7. lio eſſe neceſſariam: ſed cum Paulo ad Rom. fatemur, Mortificati ſumus legi per corpus Chriſti. Adde poſtquã ad perfectum genus humanũ peruenit, debuit à ſeruitute legis liberũ eſſe. Ad Galat. cap. 3. & 4. & ad Hebręos. 7. Reprobatio quidem fit prioris mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex: nempe erat Iſrael vt paruulus, qui paulatim à priſtina mala ſua conſuetudine, idololatriæ ſacrificiis dimouebatur, ita vt ei concederetur eadem offerre Deo, quæ prius idolis obtulerit, vel ab aliis offerri viderat, quanuis ipſum idem opus alio fine faceret. Sed tranſlato hoc ſacerdotio Leuitico in ſacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech, neceſſe fuit vt & legis tranſlatio fieret: in tantum melioris teſtamẽti ſponſor factus eſt IESVS, qui eo quòd maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium: vnde & ſaluare in perpetuum poteſt, accedens per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis. ad Hebræos cap. 7. Verum enimuero quum Paulus poſt paſſionem circũciderit Timotheũ. Act. 16. & ſeipſum

aſſumptis

aſſumptis quibuſdam aliis, in templo Hieroſolymis purificauerit. Act. cap. 21. quin & Apoſtoli Act. cap. 15. hæc ſcripſerũt, Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris quàm hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine ſuffocato, & fornicatione. Non ſatis conſtat qualiter paſſione Chriſti talis lex reuocata. Pro hoc, duo tempora baptiſmi ponemus: primũ eſt à prædicatione CHRISTI vſque ad ſolennem Euangelij publicationẽ, Hieroſolymis in die Penthecoſtes: quo in tempore, ſi non Chriſtus, ſui tamen Diſcipuli baptizabãt. Ioan. cap. 4. & tunc baptiſmus fuit ſolum de conſilio, vt ſic paulatim homines ad iugum CHRISTI aſſueſcerẽt. Secundum tẽpus incœpit ab hac publica in Hieruſalem Euãgelij annũtiatione: de qua Act. cap. 2. qua vno die appoſitæ ſunt animæ & baptizatæ circiter 3000: & tunc baptiſmus datus ſub præcepto: quando de Sion exibat lex, & verbum Domini de Hieruſalem. In his duobus temporibus fuit circunciſio nonnũquam neceſſaria & vtilis, quandoque vtilis, non neceſſaria: aliquando mortua ſed licita, aliquando & mortua & mortifera. Ab Abraham vſque ad baptiſmi inſtitutionem & receptionem, fuit ipſa circunciſio viris Iudæis & neceſſaria & vtilis. Gẽn. cap. 17. licet pro fœminis adhuc tunc medicina originalis eſſet fides proteſtata, vt in lege naturæ. In primo autem tempore baptiſmi, ipſa circunciſio fuit vtilis non neceſſaria. Nam quum iam baptiſmus conſuleretur, neque amplius neceſſe erat Iudæo circuncidi: ſed tunc eligebat quod mallebat, vel circuncidi, vel baptizari, quum vtrũque valeret. Et baptiſmus tunc ſignũ erat Chriſti mundum repurgantis, vt inquit Paulus, Quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Secundum autem tempus baptiſmi fecit circunciſionem mortuam ſaltem Iudæis ſciẽtibus legem, neque tamen tunc adhuc propterea fuit eis illicita, ſed Iudęis licuit vſque ad iſtud tertium concilium Apoſtolorum, de quo Acto. cap. 15, & quatuordecim annis à paſſione Chriſti ipſam legem obſeruare, non dicẽdo quòd adhuc eſſet vtilis vel neceſſaria, ſed duntaxat atteſtãdo quòd aliquando fuiſſet bona & neceſſaria. Ipſa enim quandoque fuit ſancta, & propterea non debuit ſtatim damnari, velut

Eſa. 2.

Gala. 3.

idololatria, quę ſemper fuit mala: ſed oportuit ipſam Synagogam cum honore ſepeliri: quare non peccauit Paulus ſeipſum purificando, vel Timotheum circũcidendo. Talia enim egit (vt ex contextu literæ Actorum patet) ad oſtendendum quòd non damnaret legem, vt idololatriam: quin & legale obſeruauit, vt ſcirent fratres in Hieroſolymis quòd falſa eſſent quæ de eo ita dicebantur, proteſtans ipſam legem aliquando fuiſſe bonam. Quæ verò Acto. cap. 15. ſcripta ſunt, Abſtinere à ſuffocato, & ſanguine: hęc Gẽtibus ad fidem conuerſis pro pacifico conuictu ad tempus ſuadebantur, vt in vnum Domini ouile conuenirent, & Gẽtes & Hebræi: & ne abominabiles eſſent proſelyti Iudæis, naq; Gentibus tunc ſuffocatum, vt legale videtur pręceptũ ſed vt conueniens communi amicitiæ Iudæi & Gẽtilis. Iam enim Act. cap. 10. in cõuerſione Cornelij, Spiritus Sanctus Petro dixerat æquè Gentes ac Iudæos purificatas, & neminem communem aut immundum dicere hominem. Sic ſanctè Paulus circuncidit Timotheum fidelem, de matre Iudæa & patre Gentili, ad vitandum Iudæorum ſcandalum, ne legem Moyſi videretur tanquam per ſe malam damnare. Attamen ne eam quaſi neceſſariam Gentibus imponeret, Titum non circuncidit, ne occaſionem ſeipſos circuncidendi acciperent Gentes ab eo: ipſis enim Gentibus ſimul fuit ex ſe circunciſio & mortua & mortifera. Quare Galatis ſcribebat Paulus, Si circuncidimini, Chriſtus nihil vobis prodeſt. Non enim tenebantur ad ſepeliẽdam Synagogam cum honore, vt Iudæi. Et ideo iuſtè Petrus à Paulo reprehenſus, ad Galat. cap. 2. quòd cogeret Gentes iudaizare, legẽ tam ſtricte obſeruans, quaſi Gentibus neceſſaria foret. Nec peccauit Petrus ſi primum cum Iudæis tunc iudaizabat, ſed quòd facto ſuo cogebat Gentes iudaizare. Verũtamẽ quoniam tempore ipſi Iſrael facta ſunt legalia & mortua & mortifera, certum quid ex Scriptura non habemus. Quapropter hiſtoria Scripturæ ſolum perducit Eccleſiam vſque ad triceſimum annũ à paſſione Chriſti, qui fuit quintus annus Neronis, qua in tempeſtate adhuc Iudæi ſuis ritibus dimittebãtur. Quare veriſimile eſt hanc vniuerſam legis abrogationẽ factam eſſe in euerſione Hieruſalem, quãdo paſſim

Act. 21. Act. 16. Act. 16. Galat. 2. Gala. 5.

do paſſim diſperſi ſunt Iudæi inter Gentes, & Gentibus ſe conformare didicerũt. Quòd ſi contẽdas, Cur nũc non poteſt adhuc inuincibiliter credi legem currere, ſicut & longe à paſſione iſtud potuit ita ignorari? hoc unum tibi ſufficiet, ſi animaduertas Deum agere ex ordine quo poſuit. Quia verò nũc medium datum eſt, quo poſſumus ſcire Synagogã cum ſuis vmbris tranſiiſſe, ſi ſatis quantum in nobis eſt edoceri inquirimus, aut per hominem vel angelum illuminabimur, aut ipſe Deus ſua bonitate lege hac neceſſaria iam poſita, ſtatim inſtructior aderit. Sequitur in textu, NEQ memor ero nominũ eorũ per labia mea. Ex labiis, duo Chriſti teſtamenta intellige, quæ in vnius ſoni concordia (ſicut labia) temperantur, dum vtraque regnum Dei prædicant: atque ex hoc accipe tandem auferendam ab Eccleſia populi à populo electionem. In Chriſto ſiquidem non eſt diſtinctio Iudæi & Græci, non eſt Barbarus aut Scytha, non maſculus aut fœmina, vt Apoſtolus ait ad Galat. & ad Coloſſ. Gala. 3.
Neque eſt Paulus aut Apollo &c. 1. ad Corinth. cap. 1. Coloſſ. 3.
ſed omnes vnum corpus ſumus in Chriſto, & vnum eſt nomen omnium, quod os Domini nominauit. Mutamur quippe in lauacro, & ex filiis hominum, vocamur filij Dei. ad Titum 3, Fuimus aliquando & nos ſtulti & increduli ſicut & cæteri, ſed miſericordiam Dei conſequuti per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sãcti. Nec iam vel peccatores vel inimici vel homines, ſed iuſti & fratres & fideles appellamur. Eſaiæ cap. 65, Dimittetis nomẽ veſtrum in iuramentum electis meis, & ſeruos ſuos vocabit nomine alio. Non enim nomen Iſraelis videtur manſiſſe niſi in maledictionem execratoriam: vt Num. cap. 5, mulieri accuſatę lege zelotipiæ dicebat Sacerdos, Det te Dominus in maledictionem & exemplum in populo. Nos autem primũ, naſcente Eccleſia, nominauit Chriſtus fideles, quos omnes per ſe immediate docuerat, & non quomodo in veteri Lege, in qua fideles docebantur à Deo, mediante Moyſe, ſeu Prophetis. At poſtea quàm pro maiori parte deceſſerunt hi qui in primeua Eccleſia à CHRISTO immediate inſtructi erãt, nõ amplius fideles ſed Chriſtiani, à Chriſto ſeu à chriſmate (quod vnctionem Gręce deſignat) dicti ſumus. Et me-

Eſa. 62. Ioan. 20. Act. 10. Heb. 1. Act. 11.

dium Saul illiúſque puer. Veruntamẽ ſi ita demus, hoc magis (inquit Hieronymus) ſtipendium fuit laboris, quàm munus Prophetiæ. Quare quodcunque munus peruertẽs ſemper à ſuperiore cauendum, & nunquam repletum nummis marſupium ſit, præuaricatio veritatis. Subiungitur decora concluſio, Qui facit hæc, &c.

Qui facit hæc, non mouebitur in æternum.

Completis ergo his decem virtutum indiciis, in hoc & perfectionem ſeruatam oſtendit, & adiecit, NON mouebitur in æternum, id eſt Nunquam. De ſingularibus tamen

Hiere. 1. perſonis non poteſt hoc intelligi vt ſonat, quũ conſtet Hie-

.44 & 44. remiam ſanctum ab vtero matris ex terra promiſſionis defeciſſe. Nec putãdum eſt quòd fuerit ſolus iuſtus eiectus ab hac terra, quum ſcriptũ ſit, Ecce reliqui mihi ſeptem millia qui non curuauerunt genua ſua ante Baal. 3. Regũ cap. 19. Verificatur ergo ſententia hæc de ſingularibus perſonis, ſubintelligendo quãtum eſt ex earum meritis. Sancti enim viri eiecti ſunt, non propter ſua, ſed propter populi peccata. Sed conſidera quia, FACIT dixit, non CANTAT, vt nos ad bene & ſtudioſe operandum inuitet, & non ſolum ad recte dicendum aut cantandum. Bona enim (teſte Philoſopho) diſcimus nõ tantum vt ſciamus, ſed & vt agamus. Vnde Auguſtinus, Caue ne bene cantes & male viuas. Sic igitur qui facit prædicta, non mouebitur in æternum à via iuſta, nec à diuina voluntate, quæ eſt menſura omnis iuſtitiæ. Nam lib. 5. Ethicorum, iuſtitia dicitur iuxta medium: & illud nominatur iuſtum quod fit iuxta aliquod principium & regulans & rectificans & menſurans actum. Iuſtus quoque appellatur, qui non recedit à centro legis in qua hæc diuina voluntas, quia eſt menſura operum noſtrorum, manifeſtatur. Itaque qui ſic irreprehenſibiliter operatur, nõ ſolum à commotione æterni iudicis ſecurus erit, verum & ipſum montem tabernaculúmq; cæleſte poſſidere merebitur: ſicut à contrario ſenſu arguẽdo, qui non facit hæc iam corruit in æternum, inquit Hieronymus cõtra Ruffinum, &c.

In Pſal-

Conſerua me, Domine, quoniam ſperaui in te: dixi Domino, Deus meus es tu, quoniã bonorum meorum non eges.

Iuxta Hebræum, titulus eſt, Michtham Dauidi: quam dictionem ſi in duas diuidas, ſcilicet mich & tham, ſic interpretatur à Hieronymo humilis & ſimplicis: pro quo etiam Aquila & Symmachus humilem ſimplicémque poſuerunt: ſignificãtes (vt ait idem Hieronymus) hunc Pſalmum propriè ad Chriſtum pertinere, dicentem Matthæi cap. 11, Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde: quaſi Dauid hunc Pſalmũ ediderit in laudẽ humilis & ſimplicis Chriſti. Aliam multiplicem expoſitionẽ iſtius dictionis Mich tham peritis linguæ Hebraicæ relinquo ob quanquidem multiplicitatem, varie plures hunc titulũ verterunt. Sed de materia iſtius Pſalmi certiores nos fecerũt principes Apoſtolorum Petrus & Paulus, tametſi nonnulli arbitrentur præſentia ſcripta fuiſſe pro afflicto Dauid à Saule & Abſalone. Verũtamẽ Petrus Actorũ cap. 2, inducit multos verſus huius Pſalmi ad manifeſtandã reſurrectionẽ Chriſti: probans quòd Dauid non loquitur de ſeipſo, ſed de Chriſto, quũ dixit, Non derelinques animã meã in inferno, nec dabis Sanctum tuũ videre corruptionẽ. Idem legis dictũ à beato Paulo Acto. cap. 3. Quare collige hanc generalẽ regulã intelligendi Pſalmos loquẽtes de Dauide, quòd ſcilicet quãdo ea quæ dicuntur nõ cõueniũt ipſi Dauidi, intelligẽda ſunt de Chriſto Dauidi promiſſo. Itaque iſte Pſalmus ſecundus eſt eorũ qui paſſionẽ & reſurrectionẽ Domini breuiter tãgũt. Nũc aduertimus hominẽ perfectũ Ieſum Nazarenũ ad paſſionem euntẽ: nunc qualiter hæreditatẽ atque regnum in cęlo & in terra per patientiã ac humilitatẽ adeptus ſit, videmus. Nẽpe quũ hæreditas ſiue bona paterna debeãtur filio iure naturali, & Deus pater habeat dominium vniuerſorũ, Chriſto igitur, in quãtũ eius naturali filio, hæc monarchia debetur, ad Galat. cap. 4, Quòd ſi Chriſtus eſt filius Dei patris, ergo hæres per Deũ: & dominus omniũ. Quã quid ẽ

monarchiã Chriſtus inquãtũ Filius naturalis Patris, in pũ-
cto ſuæ conceptionis iure hæreditario habuit: eandẽ tamen
hæreditatem Chriſtus, in quantũ homo, adhuc ſibi meruit.
Epheſ. 5. Nam quòd ſit redemptor omniũ, caput Eccleſiæ, atque an-
gelis cæteríſque creatis imperet, hoc ipſum ſibi meruit hu-
militate & paſſione. ad Philippẽſes 2, Propter quod Deus
exaltauit illum, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne no
mẽ, vt in nomine IESV omne genu flectatur cæleſtiũ, ter-
reſtriũ & infernorũ. Porro immortalitatẽ & impaſſibilita-
tem ſuæ carnis habuit in reſurrectione, quemadmodum in
aſcenſione hic homo à dextris Patris collocatus, iudiciariã
poteſtatẽ ſuper omnes manifeſte accepit: in qua triũphanti
forma hominis aſſumpta, ſedebit iudex, qui ſtetit ſub iudi-
ce, damnabit vero reos, qui falſo factus eſt reus. Vnde Apo-
ſtolus cap. 3. ait, Ego vici & ſedi in throno Patris mei, &c.
Quapropter nunc eſt vox Chriſti ad Patrem inter humana
pericula ab eo cõſeruari poſtulãtis. Petit cuſtodiri corpus
à corruptione, ſeruaríq; animã ab habitatione in inferno:
quod eſt petere celerem reſurrectionẽ. Et quo facilius eius
rei ſequeretur effectus, ſperaſſe ſe dicit non in ſe, ſed in Do
mino ſemper. Quãuis enim in Chriſto non fuerit ſpes re-
ſpectu beatitudinis eſſentialis (quia fuit beatus à principio
conceptionis) fuit tamen in illo ſpes tum reſpectu beati-
tudinis corporis proprij, quà carebat, tũ reſpectu ſuę exal-
tationis futuræ regni acquirendi & ſimilium bonorum hu
manitatis. Quæ omnia & ſperauit, & meritis propriis ac-
Philip. 2. quiſiuit, non inquantum Deus, ſed inquãtum homo. Sic
ergo exinanitus, nũc in forma ſerui Deo Patri ait, Dixi Do
mino, Deus meus es tu: oſtendens ſe hominẽ in humilitate
carnis, quũ æqualis ſit in omnipotentia maieſtatis. Quippe
ſi dixiſſet, Dominus meus es tu, Filiũ minorẽ, Patrẽ maiorẽ
demõſtraſſet. Sed vt iſtud vitet, propterea intonat, Dixi Do
mino, Deus meus es tu, per creationem & cuſtodiam. Et vt
duas naturas in perſona Saluatoris euidẽter agnoſcas, ipſe
ſubnectit ad Patrem, Bonorum meorum non eges. Hæc ſe-
cundũ hominẽ referuntur. In Chriſto enim vna eſt natura
ex infirmitate humilis: altera ex ſua potentia mirabilis,
vt intelligas quòd paſſus eſt fuiſſe carnis, quòd reſurrexit,
ſupremæ

ſupremæ maieſtatis. Et quãuis (inquit) omnia opera mea, & omnia verba mea & omnes cogitationes meæ bonę ſint, tamẽ tu qui me aſſumpſiſti, bonorum meorum non eges. Nõ enim pro Dei commodo aſſumptus eſt homo, ſed pro hominis reparanda miſeria ſuſceptus eſt Deus. Vtinam autẽ nunc audiant & ſapiant Pelagiani. Nam ſi hominis Chriſti bonis non eget Deus, ſed à Deo ipſe homo accepit omnia, apertiſſime deſtruitur arrogantia eorum qui putant aliquid boni ſuis viribus fieri. Deinde conuertens ſe CHRISTVS ad auditores, narrat quæ bona Deus Pater ſibi fecerit, dicens, Sanctis qui ſunt &c.

Sanctis qui ſunt in terra eius, mirificauit omnes uoluntates meas in eis.

Nunc explicat Saluator qualiter à Patre totã Eccleſiã militantẽ in hæreditatẽ acceperit. Sẽtentia Apoſtoli ad Rom. ca. 9, Nõ ex operibus, ſed ex vocãte dictũ eſt, Iacob dilexi, Eſau odio habui. Ita vt (teſte Auguſtino De prędeſtinatione ſanctorum) non quia Deus nos futuros eſſe tales præſciuit, nos elegit, ſed vt eſſemus tales per illam electionem. Ipſe ſane eligendos facit non inuenit, neque huius voluntatis qua ab æterno vult hunc in fine dierum ſaluare, in eo eſt aliqua cauſa: ſicut habet pro libito poteſtatem figulus ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, Rom. 9. aliud in contumeliam: neque figmentum ei improperat, quid me feciſti ſic? Moyſi enim dicit Deus, Miſerebor cui miſertus ſum, & miſericordiam præſtabo cuius miſerebor. Non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Domini. Veruntamen ad Rom. cap. 8, Quos Deus præſciuit, & prædeſtinauit: quos prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, ipſos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & magnificauit. Quæ omnia forſitã nõ bene proſpicienti, aliquam prædeſtinationis cauſam ſuadere poſſent. Sed conſidera vocationem, prædeſtinationem & magnificationẽ effectus eſſe prædeſtinationis, non cauſam à Deo vt Deus eũ vocet quem ſciat obaudire: ſicut Dauid cõtigit, qui poſt veniam tam bene perſtitit. Atque hoc loco Paulus ſolum deſcribit quo ordine res ſeſe habent in electos, & qualiter eis

res:quẽadmodum narrat Gregorius 3.dialogorum cap.25, de beato Petro, qui puellam paralyticã ſanandam ſuę Eccleſiæ cuſtodi, nomine Abundio, duci præcepit, vel vt minorũ nondum manifeſta ſanctitas palam fieret, vel quia tale eis particulare conceſſum priuilegium. Vti 4.Regum cap.13. legis, quum cadauer cuiuſdam defuncti proiectum fuiſſet in ſepulchrũ Heliſęi, cõtinuo reuixit. Et de matre beatę Luciæ teſtimoniũ habes, qualiter ad tactũ ſepulchri beatę Agathæ ſtatim eſt à profluuio ſanguinis liberata. Ex quibus apparet etiã peregrinationes ad certas imagines vel certa loca, nonnunquã ſanctè fieri. Nõ enim vſquequaq; negandũ eſt quin in certis locis maximè reluceant beneficia Dei, & maiora crebri⁹ quàm in aliis, vel propter ſanctorũ reliquias ibidem conditas, vel occulta myſteria futuris tẽporibus ibi celebranda aut celebrata: vel alias cauſas nobis incognitas propter quas Deus vnum locum elegit ſuo cultui, non aliũ. Sic primo elegit tabernaculũ quod per Moyſen erigi mandauit: deinde locũ in Silo: deinde templũ Salomonis in Hieruſalem. vnde ait Moyſes, Caue ne offeras holocauſta tua in omni loco quẽ videris, ſed in eo quẽ elegerit Dominus &c. Nã & Iacob (vt habetur Gen.ca.28.) poſt ſcalę, cuius ſummitas cælũ tangebat angelorúmq; in ea aſcendentiũ & deſcendẽtiũ viſionẽ, ait, vere Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebã: ſurgénſq; erexit lapidẽ in titulũ: fundens oleũ deſuper, appellauitq; nomen loci illius Betel, quod interpretatur domus vel habitaculũ Dei. Edoctus diuinitus didicit quãta & quàm mirabilia operaturus erat Dominus in loco iſto. Nã ibi fundandũ erat templũ ad Dei ſpecialem cultũ, ibi cõſummaturus erat IESVS opus noſtræ redemptionis, ſeipſum Patri in cruce offerendo. Et propterea dũ rediit idẽ Iacob à Meſopotamia, Gene.35. ibidẽ propter hæc myſteria futura, iterũ Domino ſacrificauit. Itaque nec reprobari debet, ſi dum in vno loco vel coram vna imagine crebreſcunt miracula, ſanitates, & cætera diuina beneficia: non locum, ſed Deum qui ibi operatur laudare: nec imaginem, ſed coram imaginę (aut vt alij loquuntur) in imagine, Deũ & ſanctos contingat adorare. Ecce quomodo CHRISTVS eſt à Patre magnificatus, atque ſeipſum per ſanctos

Exod. 40.
Iudic. 20.
2.Paral. 6.
Deut. 12.

in terra (hoc eſt Eccleſia mirificauit. Sed multiplicatæ ſunt, & cætera.

Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea accelerauerunt.

Iam aperit Propheta quòd Meſſias nihil aliud inſtituit in Eccleſia ſua, niſi quæ Domini ſunt: nihil quæſiuit, niſi Deũ ac animarum pro ipſo lucrum, quas eo proſpiciente afflictione ſaluberrima de mundi huius fraudulentis laqueis liberauit. Si enim de principibus Apoſtolis comprimis dicendũ eſt: quũ ſane multæ antea eſſent in eis infirmitates,
Matth. 4. ad ſolã Domini vocem relictis omnibus ſequuti ſunt eum, ter ab ipſo vocat. Imprimis ſtatim poſt Chriſti baptiſmum Ioan. cap. 1. quando duo diſcipuli Ioannis audierunt ipſum dicentẽ de Chriſto, Ecce agnus Dei, & ſequuti ſunt ipſum: quorũ alter erat Andræas frater Simonis. Secunda vocatio fuit in piſcatione quã deſcribit Lucas cap. 5. vbi Petrus viſa multitudine piſcium captorum, ſciens iſtud non potuiſſe fieri ope humana, procidit ad genua IESV. Sed illæ duæ vocationes tantum fuerunt ad quandam familiaritatem: nõ enim adhuc ei tunc penitus adhæſerunt: ſed iſtud impletum in tertia vocatione, de qua Matthæi cap. 4. quãdo eos de naui vocauit ad Apoſtolatum. In qua vocatione omnia reliquerunt: etiam officium coniugale, teſtante Hieronymo cõtra Iouinianum. Nam quum Petrus ex perſona Apo-
Matt. 19. ſtolorũ dicit ad Dominũ, Ecce nos reliquimus omnia & ſequuti ſumus te. Reſpõdit ei Dominus, Amẽ dico vobis: quoniã nemo eſt qui dimiſerit domũ, aut parentes, aut fratres, aut vxorẽ, aut filios propter regnũ Dei, qui nõ recipiat multo plura in ſeculo iſto, & in ſeculo futuro vitam æternam. Diuinũ igitur quoddã attractiuũ in Chriſto fuit, quo ſimul
Hebr. 7. mentẽ vt & corpus diſcipulorũ ad ſe traxit. Multiplices intellexerunt ſuas eſſe infirmitates, quia nuſquã ad perfectum addduxit lex, & prius manifeſtata eſt illis per ſeueritatẽ legis impotentia carnalis, vt tandẽ ad noui Teſtamenti liberatricẽ gratiã confugerent. Vnde enim propriã agnouerũt infirmitatẽ, inde citius feſtinarũt ad medicũ qui eos ſanaret. Et quia infirmos & peccatores humiliter ſe fatentur, citius à cæleſti medico ſanari merentur. Si autẽ iſtud etiam de conuerſione

conuerſione Gentium intelligas, clariorem reddet literam. Quòd hîc legit Hieronymus, Multiplicabũtur, eorum idola poſtea accelerauerunt. Quũ enim deos excogitaſſent Gẽtes, in æthere, Iouem: in aere, Iunonem: in mari, Neptunũ: in inferioribus etiam maris, Salaciam: in terra, Plutonem: in terra inferiore, Proſerpinam: in focis domeſticis, Veſtã: in fabrorum fornace, Vulcanum: in ſyderibus, Solem & Lunam & Stellas: in diuinantibus, Apollinem: in tempore, Saturnũ: in bellis, Martem & Bellonam: in vineis, Liberum: in frumentis, Cererem: in ſyluis, Dianã in ingeniis Mineruam: in partu, Lucinã: & dum paſſim omnia ſuperſtitionibus conſtreperẽt, ſtatim ſuam imprudentiam agnouit mundus, vbi ſummam malorum attigit. Lapis præciſus ſine manibus Dañ.2.
qui & creuit in montem magnum, dum aduenit, idololatriam calcauit. Nam hactenus tẽpore Moyſi & aliorũ Prophetarũ, licet magnalia Dei virtute fierẽt, non tamẽ potuit hoc vitiũ idololatrię extirpari, non ſolũ à Gentibus, ſed etiã ab ipſo populo Iſrael: in cuius pręſentia fecit Dominus mirabilia in AEgypto, terribilia in mari rubro. Nã & in Oreb Pſal.105.
vitulũ conflatilẽ fecerunt, & adorauerunt filij Iſrael. Exod. cap.32. Et Eſaias idem deplorat cap.2, Repleta eſt terra idolis, opus manuũ ſuarũ adorauerunt, opus quod fecerũt digiti eorũ. Sed vt recte præſignatũ eſt à Daniele, per percuſſionem lapidis ſine manibus (hoc eſt abſque humana potẽtia) Dan.2.
lapis, qui eſt Chriſtus, ſtatuam, id eſt idololatriam diminuit, tam antiquam, ſcilicet Chaldæorum, quàm aliarum trium monarchiarum, ibidem deſcriptarum: vti etiam prædictum erat ab eodem Eſaia, In die illa proiiciet homo idola argẽti ſui, & ſimulachra auri ſui, quæ fecerat ſibi vt adoraret. Et Eſa.2.
idcirco nunc adiunctum eſt, Non congregabo, &c.

Non congregabo conuenticula eorum de ſanguinibus, nec memor ero nominum eorum per labia mea.

Hæc non vt ab homine, ſed tanquam à Deo proferenda ſunt. Et ceſſationem ſacrificiorum tam Iudæorum, quàm Gentilium per legem CHRISTI ſubiungit Pſalmographus. Nam quum primum locum in ſacrificiis teneat oblatio animalium, excludendo ſacrificia quibus

illa offerebantur, ablata eſt & lex, ſiue idololatriæ, quæ in his exercebatur, ſiue Synagogæ, quæ tantum vmbram futurorum habuit, non ipſam imaginem. ad Hebræos ca. 10. Quare quum is, qui per talia ſacrificia in Iudaiſmo venturus denuntiabatur, aduenit, talia ſigna reuocata, ſicut veniente lumine ceſſat vmbra. Nam ſic ea ſigna facta ſunt falſa, vt circunciſio, quæ ſignificabat Chriſtum moriturum & paſſurum, morte Chriſti euacuata: quippe qui poſtea ſeipſum circuncidebat, falſam fidẽ proteſtabatur: & eum qui iam hominem redemerat, venturum ad redimendũ annuntiabat. Ipſa tamen circunciſio, vt & aliæ ceremoniæ nunc in ſuis quibuſdam ſignificatis adhuc manet. Omnes enim illæ purificationes veteris legis, ſignificabãt purificationem à peccatis: & oblatio & ſacrificia deſignabãt perfectũ Chriſti ſacrificium, & actus quoſdam latriæ in Deum, fidei videlicet, ſpei & charitatis: quæ omnia conſummata ſunt vnica
Matth. 5. CHRISTI oblatione, qua ipſe legem non ſoluit, ſed adimpleuit perfectiora remedia inſtituendo. Abſit tamen vt per hoc cum Ebionitis dicamus legem nunc cum Euange-
Roma. 7. lio eſſe neceſſariam: ſed cum Paulo ad Rom. fatemur, Mortificati ſumus legi per corpus Chriſti. Adde poſtquã ad perfectum genus humanũ peruenit, debuit à ſeruitute legis liberũ eſſe. Ad Galat. cap. 3. & 4. & ad Hebręos. 7. Reprobatio quidem fit prioris mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex: nempe erat Iſrael vt paruulus, qui paulatim à priſtina mala ſua conſuetudine, idololatriæ ſacrificiis dimouebatur, ita vt ei concederetur eadem offerre Deo, quæ prius idolis obtulerit, vel ab aliis offerri viderat, quanuis ipſum idem opus alio fine faceret. Sed tranſlato hoc ſacerdotio Leuitico in ſacerdotium ſecundum ordinem Melchiſedech, neceſſe fuit vt & legis tranſlatio fieret: in tantum melioris teſtamẽti ſponſor factus eſt IESVS, qui eo quòd maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium: vnde & ſaluare in perpetuum poteſt, accedens per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis. ad Hebræos cap. 7. Verum enimuero quum Paulus poſt paſſionem circũciderit Timotheũ. Act. 16. & ſeipſum aſſumptis

aſſumptis quibuſdam aliis, in templo Hieroſolymis purificauerit. Act. cap. 21. quiſi & Apoſtoli Act. cap. 15. hæc ſcripſerũt, Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris quàm hæc neceſſaria, vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine ſuffocato, & fornicatione. Non ſatis conſtat qualiter paſſione Chriſti talis lex reuocata. Pro hoc, duo tempora baptiſmi ponemus: primũ eſt à prædicatione CHRISTI vſque ad ſolennem Euangelij publicationẽ, Hieroſolymis in die Penthecoſtes: quo in tempore, ſi non Chriſtus, ſui tamen Diſcipuli baptizabãt. Ioan. cap. 4. & tunc baptiſmus fuit ſolum de conſilio, vt ſic paulatim homines ad iugum CHRISTI aſſueſcerẽt. Secundum tẽpus incœpit ab hac publica in Hieruſalem Euãgelij annũtiatione: de qua Act. cap. 2. qua vno die appoſitæ ſunt animæ & baptizatæ circiter 3000: & tunc baptiſmus datus ſub præcepto: quando de Sion exibat lex, & verbum Domini de Hieruſalem. In his duobus temporibus fuit circuncifio nonnũquam neceſſaria & vtilis, quandoque vtilis, non neceſſaria: aliquando mortua ſed licita, aliquando & mortua & mortifera. Ab Abraham vſque ad baptiſmi inſtitutionem & receptionem, fuit ipſa circuncifio viris Iudæis & neceſſaria & vtilis. Gen. cap. 17. licet pro fœminis adhuc tunc medicina originalis eſſet fides proteſtata, vt in lege naturæ. In primo autem tempore baptiſmi, ipſa circuncifio fuit vtilis non neceſſaria. Nam quum iam baptiſmus conſuleretur, neque amplius neceſſe erat Iudæo circuncidi: ſed tunc eligebat quod mallebat, vel circuncidi, vel baptizari, quum vtrũque valeret. Et baptiſmus tunc ſignũ erat Chriſti mundum repurgantis, vt inquit Paulus, Quotquot baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Secundum autem tempus baptiſmi fecit circuncifionem mortuam ſaltem Iudæis ſciẽtibus legem, neque tamen tunc adhuc propterea fuit eis illicita, ſed Iudęis licuit vſque ad iſtud tertium concilium Apoſtolorum, de quo Acto. cap. 15, & quatuordecim annis à paſſione Chriſti ipſam legem obſeruare, non dicẽdo quòd adhuc eſſet vtilis vel neceſſaria, ſed duntaxat atteſtãdo quòd aliquando fuiſſet bona & neceſſaria. Ipſa enim quandoque fuit ſancta, & propterea non debuit ſtatim damnari, velut

Eſa. 2.

Gala. 3.

idololatria, quę ſemper fuit mala: ſed oportuit ipſam Synagogam cum honore ſepeliri: quare non peccauit Paulus ſe-
Act.21. ipſum purificando, vel Timotheum circũcidendo. Talia e-
Act.16. nim egit (vt ex contextu literæ Actorum patet) ad oſtendendum quòd non damnaret legem, vt idololatriam: quin & legale obſeruauit, vt ſcirent fratres in Hieroſolymis quòd falſa eſſent quæ de eo ita dicebantur, proteſtans ipſam legem aliquando fuiſſe bonam. Quæ verò Act. cap. 15. ſcripta ſunt, Abſtinere à ſuffocato, & ſanguine: hęc Gẽtibus ad fidem conuerſis pro pacifico conuictu ad tempus ſuadebantur, vt in vnum Domini ouile conuenirent, & Gẽtes & Hebræi: & ne abominabiles eſſent proſelyti Iudæis, neq; Gentibus tunc ſuffocatum, vt legale videtur pręceptũ ſed vt conueniens communi amicitiæ Iudæi & Gẽtilis. Iam enim Act. cap. 10. in cõuerſione Cornelij, Spiritus Sanctus Petro dixerat æquè Gentes ac Iudæos purificatas, & neminem communem aut immundum dicere hominem. Sic ſan-
Act.16. ctè Paulus circuncidit Timotheum fidelem, de matre Iudæa & patre Gentili, ad vitandum Iudæorum ſcandalum, ne legem Moyſi videretur tanquam per ſe malam damna-
Galat.2. re. Attamen ne eam quaſi neceſſariam Gentibus imponeret, Titum non circuncidit, ne occaſionem ſeipſos circuncidendi acciperent Gentes ab eo: ipſis enim Gentibus ſimul fuit ex ſe circunciſio & mortua & mortifera. Quare Gala-
Gala.5. tis ſcribebat Paulus, Si circuncidimini, Chriſtus nihil vobis prodeſt. Non enim tenebantur ad ſepeliẽdam Synagogam cum honore, vt Iudæi. Et ideo iuſtè Petrus à Paulo reprehenſus, ad Galat. cap. 2. quòd cogeret Gentes iudaizare, legẽ tam ſtricte obſeruans, quaſi Gentibus neceſſaria foret. Nec peccauit Petrus ſi primum cum Iudæis tunc iudaizabat, ſed quòd facto ſuo cogebat Gentes iudaizare. Verũtamẽ quoniam tempore ipſi Iſrael facta ſunt legalia & mortua & mortifera, certum quid ex Scriptura non habemus. Quapropter hiſtoria Scripturæ ſolum perducit Eccleſiam vſque ad triceſimum annũ à paſſione Chriſti, qui fuit quintus annus Neronis, qua in tempeſtate adhuc Iudæi ſuis ritibus dimittebãtur. Quare veriſimile eſt hanc vniuerſam legis abrogationẽ factam eſſe in euerſione Hieruſalem, quãdo paſſim

do paſſim diſperſi ſunt Iudæi inter Gentes, & Gentibus ſe conformare didicerũt. Quòd ſi contẽdas, Cur nũc non poteſt adhuc inuincibiliter credi legem currere, ſicut & logne à paſſione iſtud potuit ita ignorari? hoc unum tibi ſufficiet, ſi animaduertas Deum agere ex ordine quo poſuit. Quia verò nũc medium datum eſt, quo poſſumus ſcire Synagogã cum ſuis vmbris tranſiiſſe, ſi ſatis quantum in nobis eſt edoceri inquirimus, aut per hominem vel angelum illuminabimur, aut ipſe Deus ſua bonitate lege hac neceſſaria iam poſita, ſtatim inſtructior aderit. Sequitur in textu, NEC memor ero nominũ eorũ per labia mea. Ex labiis, duo Chriſti teſtamenta intellige, quæ in vnius ſoni concordia (ſicut labia) temperantur, dum vtraque regnum Dei prædicant: atque ex hoc accipe tandem auferendam ab Eccleſia populi à populo electionem. In Chriſto ſiquidem non eſt diſtinctio Iudæi & Græci, non eſt Barbarus aut Scytha, non maſculus aut fœmina, vt Apoſtolus ait ad Galat. & ad Coloſſ. Gala. 3. Neque eſt Paulus aut Apollo &c. 1. ad Corinth. cap. 1. Coloſſ. 3. ſed omnes vnum corpus ſumus in Chriſto, & vnum eſt nomen omnium, quod os Domini nominauit. Mutamur quippe in lauacro, & ex filiis hominum, vocamur filij Dei. ad Eſa. 62. Titum 3, Fuimus aliquando & nos ſtulti & increduli ſicut & cæteri, ſed miſericordiam Dei conſequuti per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus Sãcti. Nec iam vel peccatores vel inimici vel homines, ſed iuſti & fratres & fideles appellamur. Eſaiæ cap. 65, Dimittetis nomẽ veſtrum in iuramentum electis meis, & ſeruos ſuos vocabit nomine alio. Non enim nomen Iſraelis videtur manſiſſe niſi in maledictionem execratoriam: vt Num. cap. 5, mulieri accuſatę lege zelotipiæ dicebat Sacerdos, Det te Dominus in maledictionem & exemplum in populo. Nos autem primũ, naſcente Eccleſia, nominauit Chriſtus fideles, quos omnes per Ioan. 20. ſe immediate docuerat, & non quomodo in veteri Lege, in Act. 10. qua fideles docebantur à Deo, mediante Moyſe, ſeu Prophetis. Heb. 1. At poſtea quàm pro maiori parte deceſſerunt hi qui in primęua Eccleſia à CHRISTO immediate inſtructi erãt, nõ amplius fideles ſed Chriſtiani, à Chriſto ſeu à chriſmate (quod vnctionem Gręce deſignat) dicti ſumus. Et me- Act. 11.

ritò quidem à CHRISTO Chriſtiani, ſicut Petrus à petra, vt à digniori fiat denominatio. Nam Chriſtus dignitate ac perfectione præcellit omnes Patriarchas, Eſaiæ. cap. 52, Exaltabitur pluſquam Abraham, eleuabitur pluſquã Moyſes, & ſublimis erit valde. Quare ſi aliquando hæc cognomina Iſrael, Iuda, Iacob, in populo fuerunt à Patriarchis, vnde deſcenderunt: quid mirum ſi nunc à Chriſto Chriſticolæ ſeu Chriſtiani nuncupamur? In quo abluti ſumus, in cuius nomine ſanctificamur. 1. ad Corinth. cap. 6, Quapropter Auguſtinus lib. 1. Retractationum, ita inquit, Ipſa res, quæ nunc Chriſtiana religio nuncupatur, erat apud antiquos, neque defuit ab initio generis humani, quouſque ipſe veniret in carnem: vnde vera religio, quæ iam erat, cœpit appellari Chriſtiana. Quum enim poſt reſurrectionẽ aſcẽſionémque in cælum, cœpiſſent prædicare Apoſtoli, & plurimi crederent, primùm apud Antiochiam appellati ſunt diſcipuli Chriſtiani. Noſtris ergo temporibus Chriſtiana religio, non quia prioribus temporibus non fuit, ſed quia poſterioribus hoc nomen accepit, quam cognoſcere & aſſequi ſecuriſſima eſt ſalus. Quia verò in hæreditatẽ Domini transferimur, rectè ſubiungitur, Dominus pars, &c.

Act. 11.

Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei: tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi.

Tale eſt acſi CHRISTVS diceret, Eligant ſibi, qui volunt, mundanas concupiſcẽtias, & ventis diſcurrentibus ſimilem vitam, Deus pater pars hæreditatis meæ, & calicis mei. Nam ex pretio paſſionis regnum cælorum in portionem & ſortem hæreditariam ei debetur. Seu intranſitiuè ſumẽdo, Dominus portio hæreditaria mei & meorum, quaſi more partientium ſorte diuiſoria, id quod alicui obtigit, vocetur pars. Diuiſis ſiquidem rebus humanis, hinc delectabilibus mundi, inde Domino cum beneplacitis ei, Dominus hæreditas Chriſti & ſuorum: imprimis Chriſti, quum à Deo in humanitatem Filij ſicut à perfectiore omnia bona deriuẽtur, & propterea huius Chriſti caput & bonũ, Deus. Credentium verò hæreditas, Dominus, nam ipſe paſcit ac nutrit eos & hîc & in patria, & ipſi dicuntur hæreditas, &

1. Cor. 11.

regnum

regnũ illius atque Chriſti, in quibus ambo regnant. Aliter tamẽ dicitur regnũ Chriſti, omnis creatura: aliter Eccleſia. Regnum Chriſti, dicitur omnis creatura: cauſa & poteſtate diuinitatis: Eccleſia vero, occaſione fidei quæ de illo eſt, & per quã regnat in ipſis fidelibus. Forte autem nũc meminit ſui calicis Chriſtus, vt in calice deſignetur qualiter quiſque recipit ab eo bonũ ad mẽſuram: de cuius plenitudine omnes accipimus, qui & propterea à Paulo caput Eccleſiæ nominatur. Quippe intelligendo caput, vt cũ ratione principij dicat conformitatẽ naturæ cũ eo cuius eſt caput, ſic ſoli Chriſto conuenit eſſe caput Eccleſiæ, qui ſolus naturã humanam aſſumens, in ſimilitudinem hominũ factus, habitu inuentus eſt vt homo ad Philippenſes. Et per hanc conformitatem naturæ habet perfectionẽ homogeneam cũ membris: interior quoque influxus gratiæ ſic in reliquum corpus ab eo ſolo redundat, cuius humanitas, quia diuinitati coniuncta habet vim iuſtificandi, tametſi influxus in membra Eccleſiæ, quantum ad exteriorem gubernationem aliis conueniat, qui & dicuntur capita ſub Chriſto, & membra de membro. Amos 6, Optimates, capita populorum. & 2. ad Corinth. 2, Ego quod donaui, ſiquid donaui propter vos in perſona Chriſti. & 2. ad Corinth. 5, Pro Chriſto legatione fungimur, tanquã Deo exhortante per nos. Hic calix etiam de Euchariſtia poteſt intelligi, vt excluſis ſacrificiis tam Gentilibus quàm Iudaicis commemoretur ſacrificiũ in Eccleſia, quod non ſit ſicut cætera ſacrificia, ſed tale quòd Deus eſt pars eius, hoc eſt quicquid eſt, Deus eſt. In ſacrificio nanque altaris, non eſt panis aut vinum, ſed Chriſtus ipſe verus Deus, propterea dicitur, Deus pars calicis mei. hoc eſt, Eſt id quod eſt in calice meo. Quando inſuper dicit MEI, vide ánne ſimiliter adiungat Eccleſiã, quæ hoc iuge ſacrificium habet: & quia vbi eſt caput, ibi ſit & corpus. Tum demũ præcedentibus ad Patrem addit Saluator, TV es qui reſtitues, &c. Hæc dicit Filius ſecundum humanitatẽ ſubiectus. Ad Hebr. 5, Quum eſſet filius Dei, didicit ex his quæ paſſus eſt, obedientiam, per quam conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ. Illius enim paſſio omnibus ſufficit ad ſa-

Ioan. 1.
Epheſ. 5.
Philip. 2.
Heb. 5.

Gen. 3. lutem, ſi ei cooperatores fuerimus. Et quam Adam per ſuperbiam & inobedientiam hæreditatem humanæ ſobolis amiſerat, hanc Chriſtus ſua humilitate, obedientia ac morte recuperauit. Quare nunc pulchrè dixit, Reſtitues. Vere etenim ipſi reſtituta eſt hæreditas, cui ante cōditionem rerum fuerat in prædeſtinatione collocata. Nec tacenda nobis eſt quædam non inelegans de prædictis ſpeculatio,
Gen. 1. hominem ad imaginem & ſimilitudinem Dei factum & plaſmatum: atque ideo hæreditatem Creatoris dictum, ſub propriam redegerat dæmon tyrannidem, & alienum mancipium ſibi vſurpauerat, ad quem Dei filius & hæres literas miſit, ſcribens ei per Prophetas, hæreditatem illam repetens, qua fuerat fraudatus. Et quia dæmon continue magis reſiſtebat, & rapinam reddere negabat, hæres accepto Patris ſui teſtamento, ad raptorem deſcendit. Inter eos autem fuit iudex Pater, qui condemnato raptore, Filio hæreditatem reſtituit: huius rei gratia Filius nunc participem illū tam præclari operis appellauit. Aliter reſtituet Deus pater hæreditatem Chriſti, quando electos ſuos corpus, ſanctæ Eccleſiæ, ad illam integritatem attraxerit, vt poſt reſurrectionem acceptis corporibus ſuis, incorrupti & immortales viuant. Nam illam immortalitatem in Adam perdiderunt. Et mūdus iſte futurus, appellatur hæreditas Chriſti: tanquam Deus pater Filium hæredem fecerit orbis in
Heb. 1. illo ſtatu: iuxta illud ad Hebræos, Quem conſtituit hæredem vniuerſorum. Non enim iam portio Domini erit Iacob tantum, & pars eius Iſrael, ſed omnes prorſus nationes mundi. Veruntamen nemo ſe putet hæreditatem Chriſti, niſi ſit præclarus: quia ſequitur, Funes, &c.

Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara eſt mihi.

Vox Chriſti, qualiter Eccleſia ſibi in hæreditatem contigerit, declarātis. Olim funibus terrarū diuidebatur hæreditas, vt vnuſquiſque ad menſurā ſpatia telluris pro quātitate tributi & perſonæ ſuę qualitate perciperet: ſicut Moy-
Deut. 31. ſes traditur in veteri Inſtrumēto, Ioſue præcepiſſe funibus diſtribueret terram promiſſionis filiis Iſrael. Nunc autem funes

ſunes intelligendi ſunt ſuper diuinis electio, quæ quondã ſub Moyſe ſorte fiebat, vt ſummus Sacerdos ſorte quærebatur: ſicut de Zacharia Lucæ cap. 1. legimus, Sorte exiit vt incenſum poneret. Et hoc modo Matthias ante diem Pentecoſtes ab Apoſtolis nondum plene illuminatis, ſed adhuc legem ſeruantibus, ad Apoſtolatum ſorte annumeratus eſt: tametſi poſt Pentecoſten ſeptem diaconi non ſorte, ſed diſcipulorum electione ordinati ſunt. Quaſi nunc talis forma electionis quoad diuina, reuocata ſit. Extra de ſortilegiis cap. vltimo. Neque nunc hac vti licet, etiam præmiſſa deuota oratione, niſi maxima compellat Eccleſiæ neceſſitas: quemadmodum perbelle oſtendit Auguſtinus in Epiſtola ad Honoratum. Secus autem pro his quæ temporalia ſunt, dummodo ſors diuiſoria & nõ conſultoria fuerit. Voco autẽ ſortẽ conſultoriã, quoties euentus à cauſa petitur, quæ eũ ex ſua natura reddere non poteſt. Quod vero nunc ait Meſſias, Ceciderũt mihi in præclaris: tantũdẽ eſt ac ſi dicat, Eccleſia partita eſt mihi in Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, Martyribus, Virginibus, reliquáq; Cõfeſſorũ turba, qui omnes ita præclari ſunt, vt ſint vſque hodie lux mundi. Lux tenebras ſoluit, & poſtea illuſtrat, ſic per hos vniuerſus orbis purgatus à tenebris ignorantiæ, ad lumen fidei & cognitionis peruenit. Porro per funiculos, hæreditatis ſuæ latitudinẽ gloriámque memorauit. Nam quoſcunque aduocauerit Pater, & Chriſtus ſecum recipit. Quo fit hæreditas eius, ſcilicet Eccleſia, ſemper pręclara ſit, quę & tota pulchra eſt in his membris, & maculam non habet in his qui eius ſunt, numero & merito. Profecto qui in Eccleſia continentur, per vnitatẽ fidei charitate formatæ ad ipſam Eccleſiã pertinẽt, tanquã lapides viui & mẽbra viuificata Dei ſpiritu, ex quibus ipſa ædificij ſpiritualis corporis Eccleſię ſtructura cõſurgit. Mali autem nunc hic ſunt in Eccleſia, vt in corpore humano humores mali, qui interdum exeunt de corpore. In prioribus, Eccleſia dicitur ſancta, immaculata & præclara, ſeu (iuxta aliã Græcæ dictionis κωτίϛη ſignificationẽ) fortiſſima ac potentiſſima. In aliis cõparatur agro in quo ſimul cũ bono ſemine inuẽta ſunt orta zizania, & in his Eccleſia dicitur nigra ſicut tabernacula Cedar. Cãticorũ

Acto. 1.
Acto. 6.
Matth. 5.
Cãtic. 4.
Matt. 13.

cap.1. Tabernacula enim Cedar ad Iſmaelem pertinẽt, qui nõ erat hæres cũ filio liberæ. Sed decor huius hereditatis in
Gala.4. ſanctis: vnde nũc intonat hæres, Benedicã Dominum, &c.

Benedicam Dominũ, qui tribuit mihi intellectũ: inſuper & uſq; ad noctẽ increpuerũt me renes mei.

Imprimis hîc Chriſtus Patri gratias agit, quòd ab inſtanti ſuæ conceptionis habuit plenitudinem ſcientiæ & ſapiẽtiæ ad cuſtodiã ſuæ hæreditatis. ad Coloſſ.cap.2, In eo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi, & merito
Act.10. quidem. Nam ipſe eſt à Deo conſtitutus omniũ iudex, quia Filius hominis. Ioan.cap.5. Decet ergo eum etiã occultiſſima noſſe, & nihil ignorauiſſe, quũ (teſtãte philoſopho) ſolũ vnuſquiſque in eo recte iudicet quod bene nouit. Nec obſtat quod Lucæ cap.2. de eo ſcribitur, IESVS proficiebat ſapientia, ætate, & gratia apud Deũ & homines. Nã (vt inquit Gregorius) iuxta hominis naturã proficiebat ſapiẽtia, nõ quòd ipſe ſapiẽtior tẽpore, qui à prima cõceptionis hora ſpiritu ſapiẽtiæ plenus permanebat: ſed eandẽ, qua plenus erat, ſapientiam, cæteris ex tempore paulatim demonſtrabat: ſicut ſol in aurora ac ortu ſuo habet totã plenitudinem ſui luminis & caloris & virtutis: quoad nos tamen, in his creſcit ſucceſſiuè, quãto propinquior adeſt nobis. Vnde iuxta hominis naturã Chriſtus proficiebat ætate, de infantia ad iuuentutẽ: iuxta hominis naturã, proficiebat gratia, non quidẽ quam prius non haberet, gratiam per acceſſum temporis accipiendo, ſed pandendo donũ gratiæ quod habebat apud Deum & homines. Quia quantũ creſcente ætate patefaciebat dona gratiæ, hominibus, quę ſibi inerant, & ſapientiæ: tantũ eos ad laudẽ Dei excitabat, per conſiderationem iſtiuſmodi bonorũ: ſic Deo patri ad laudẽ, & hominibus ad ſalutẽ natus. Inſuper licet gratia non fuerit tractu dierũ in eo augmentata, tamen vere eã proficiebat per illã continuè meritorièoperando: & quod iam vno modo debitũ erat, adhuc pluribus aliis modis idem deberi faciebat. Sic & forte profecit ſapientia, quantũ ad cognitionem rerũ in proprio genere, ſeu acquiſitam, experimẽtalẽ, licet clariſſime prius illaſmet res cognouiſſet in verbo, cognitione quæ

ne quæ beatifica, aut matutina dicitur: ſiue Deo omnino & prorſus illam cognitionem faciente, vt gratiam & gloriam det Dominus: ſiue eſſentia diuina (quæ eſt cauſa omnium) ſit ſpeculum liberum, in quo duntaxat reluceant quæ vult oſtendere. Nam neque propterea nouit CHRISTVS res omnibus modis quibus noſci poterat: quare adhuc ſemper fuit locus notitię experimentali, quę per operationem ſenſuum accipitur. Nam ſi diceremus tantum ſecundum apparentiam Chriſtum per intellectum profeciſſe, quis ſtatim malignus inferret neque Chriſtum, niſi ſecundum apparētiam, intellectũ aut ſenſum habuiſſe: quod reprobat Ambroſius lib. de Spiritu Sancto. Accepto itaque à Patre hoc dono ſapientiæ & ſcientiæ, nunc gratiā refert Filius, quòd ſic bene portiones hæreditatis ſibi contingentis ad regulam voluntatis diuinæ, diſtribuit: atq; interim reſpōdet ſuſurro Iudæorũ, qui ei improperabant, cur non ita eos ac Gentes aſſumpſiſſet? Sed nũquid iniquitas apud eum: Abſit. Omnes enim vocauit, licet pauci, aliorum malitia impediēte, electi remāſerint. Adhuc tamen ingeminant perfidi Apellæ, cur non eos compulit intrare ſicut & Paulum: quibus hoc vnũ ſufficiat quod ad Roma. cap. 11. ſcriptum eſt, Non repulit Deus plebem ſuā quam præſciuit. Adde (vt inquit Auguſtinus) niſi Stephanus oraſſet, forte Paulus ſaluatus non eſſet. Nouit Dominus qui ſunt eius: nouit qui permaneāt ad coronā: nouit qui permaneāt ad flammā: nouit in area ſua triticũ, nouit & paleā: nouit ſegetē, nouit zizania, ſed magna gratiæ commendatio. Nemo poteſt venire ad me (inquit Filius) niſi Pater qui miſit me, traxerit eum. Nemo venit niſi tractus (ait Auguſtinus:) quem trahat, & quem non trahat, quare illum trahat, & illum nō trahat, noli velle iudicare, ſi non vis errare. Semel accipe & intellige: non tráheris, ora vt traharis: noli tamen cogitare te inuitum trahi. Ego dico (vt verbis Auguſtini vtar) parum eſt voluntate, etiam voluptate traheris. Trahitur homo ad Chriſtum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur iuſtitia, delectatur ſempiterna vita, quod totum CHRISTVS eſt. Canticorum cap. 1, Poſt odorem vnguentorum tuorum curremus. Quamobrem quod quærebat Iſrael non eſt con-

Pſal. 83.

Rom. 9.

Act. 9.

2. Tim. 2.

Ioan. 6.

ſequutus, cæteri vero excæcati ſunt: nam offenderunt in lapidem offenſionis & petram ſcandali. Ad Ro. cap. 9. Comprimis blaſphemauerunt in hominem Chriſtum, dicentes, Ecce homo vorax & potator vini, Lucæ cap. 7. Blaſphemauerunt & in Chriſtum Deum. Matth. 12, In Beelzebuth principe dæmoniorum, eiicit dæmonia. Quare quum nuſquam Chriſtum guſtauerint aut quæſierint, neque à Chriſto inuenti vel tracti ſunt. Vnde & pro his nunc Meſſias conquerens ſubnectit, Inſuper & vſque ad noctem increpuerunt me renes mei, ac ſi diceret, Non ſolum me non amauit Iſrael, ſed gratis me odio habuit, & ſupra mala quæ mihi fecit, hoc vnum nefandiſſimum addidit: vſque ad noctem, id eſt mortem, (quæ in Sacris nox appellatur) meipſum perſequutus eſt. Et hîc Renes, parentelā declarāt: per quos & cognatio & generatio humana ſeminatur. Ex Domino tamen nunc & in proſperis & in aduerſis Deum benedicēte, hanc doctrinam accipiamus. Vt ſemper Creatorem laudemus ſiue in donis ſuis & proſperis, ſiue inter flagella & aduerſa. Vnde ſequitur, Prouidebam Dominum, & cætera.

Pſal. 68. & Ioā. 15.

Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear.

Chriſtus declarando quid fecerit, & quomodo æquanimiter ſemper omnia tolerauit, tradit nobis perutile remedium quo peccata vitemus. Nam qui Deum ſemper acie mentis intuetur, hic neque proſperis extollitur, neque aduerſis frangitur: & imitatione Saluatoris nullatenus ad delicta conuertitur. Sic enim quemadmodum Chriſtus organum diuinitati coniunctum, nuſquam moueri potuit niſi ad regulam voluntatis primæ (vnde neque quandoque aliquem deordinatum motum habuit) ita & nobis continget, qui ſemper in Deo fixi erimus. De Chriſto vero nunc quaſi de homine loquimur. Nam in eo duplex eſt natura, diuina ſcilicet & humana. Et idcirco in eo ſunt vtriuſque naturæ proprietates & potentiæ. Quare in eo fuit voluntas hominis, vt hanc etiam pro quolibet appetitu ſiue naturali, ſiue ſenſitiuo, ſiue rationali accipias, & non ſolum

pro

pro appetitu libero qui ſequitur cognitionem intellectiuã, ſed tot ponũtur in eo appetitus quot potentiæ apprehẽſiuæ ſenſuum exteriorũ:licet cõmuniter de appetitu ſenſitiuo loquamur, ſicut de vno qui ſequitur imaginatiuam. Voluntate etiam naturali non caruit, quæ large ſumitur pro inclinatione naturali rei cuiuſlibet ad ſuã propriam perfectionem. Videtur eſſe res ipſa nata ex cõditione naturæ recipere propriã perfectionẽ, aut talem producere, quæ in homine nõ diſtinguitur à voluntate libera: ſed anima eſt in eo voluntas naturalis & voluntas libera, diuerſa tamen ratione. Nam dicitur libera in ordine ad actum elicitum quẽ habet in ſua poteſtate: naturalis, vero inquantum nata eſt recipere perfectionem aliquam, aut receptã conſeruare à contrario. Igitur pro volũtate rationali abſoluta in Chriſto, dicẽdũ eſt illa fuerit ſemper cõformis voluntati diuinæ in volito tanquã ſuæ regulæ, licet cõditionaliter, & vt ſenſui cõiuncta quãdoq; repugnauerit: permittebat enim deitas vnicuiq; partiũ animæ agere & pati quod ſibi erat naturale & propriũ, quantũ expediebat ad finẽ redẽptionis humanę, & Matth. 4. oſtenſionẽ veritatis naturæ. Sic IESVS eſuriuit, ſitiuit, triſtatus eſt, doluit, ex diuerſa inclinatione carnis ad vſum volũtatis liberæ, neq; tamen his paſſionibus quandoque recta ratio abſorpta eſt. Nam ſemper (vti nũc nũc ſcripſimus) in Redẽptore fuit attẽtiſſima contẽplatio diuinorum: qua factum eſt vt nunquam potuerit inſurgere vlla vitioſa rebellio ſenſus ad rationem, qui ei plene ſeruiebat, ſicut & in nobis ardentiſſima conſideratione gaudiorum paradyſi, aut dolorum inferni, omnis caro ſtatim emoritur. Quare nunc ait, Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper. Neque quando orauit Patrem, Si poſſibile eſt tranſeat à me calix paſſionis, mortem abſolutè noluit: ſed hac oratione duntaxat Patri explicuit pugnam & infirmitatem carnis ad rationem, vt ſic veritas humanæ naturæ pateſceret: qui tametſi in hac petitione conditionata non ſit exauditus, ea tamen non fuit fruſtra: quia magis ad noſtram eruditionem, quàm ad petiti impetrationem facta eſt: ſcilicet vt nõ diffidamus, ſi in terribilibus ſpiritu prompto caro aliquando infirma eſt, ſed in Domino interim

Ioan. 4.
Matth. 26
Matt. 26.
Matt. 26.

ſpem noſtram obfirmemus, atque diſcamus in omnibus cō-
tinue Deo obedire, cui in omnibus dicamus, Non ſicut ego
Eſa. 53. & volo, ſed ſicut tu vis. Sequitur: A dextris eſt mihi, & cæt.
1. Petr. 2. Ex hoc intellige qualiter CHRISTVS peccatum non fecerit, neque inuẽtus ſit dolus in ore eius. Nam ſemper deitatem præſeruantem hic homo habuit. Ac ſi dicat, Si tu non fuiſſes à dextris, forſitan commotus eſſem de fide ad infidelitatem, de bono ad malum, ſed faues mihi vt ſtabiliter in te permaneam. In cũctis ergo quę agimus, quæ loquimur, quæ cogitamus, Dominum, vt omnium inſpectorem auxiliatorem, iudicem, & remuneratorem ſemper in conſpectu noſtro prouideamus: vt neque amore, neq; timore alicuius rei ab eius voluntate diſcordemus. Erit vtique à dextris nobis ne de bono ad malum commoueamur & offendamus.

Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea: inſuper & caro mea requieſcet in ſpe.

Vox Chriſti pro ipſo ſuſcepto homine perfectum gaudiũ explicantis: nam plena eſt lætitia quæ corde hilari concipitur, & alacri ſermone profertur. Nunc autem ſupra exultationes ſuas ſibi adhuc dicit adauctã lętitiam, quòd caro illa paſſibilis, quàm pro noſtra omnium ſalute accepit, vere reſurgere promeruit. Qua in re ſatis firmatur futura carnis omnium reſurrectio: quemadmodum teſtatur Paulus 1. ad Corinth. cap. 15, Si Chriſtus prædicatur, quòd reſurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis quoniam reſurrectio mortuorũ non eſt? Ipſa vero carnis reſurrectio ſic ex ſacris deprehendi poteſt. Nam tria ſunt quibus homo conſtat, ſpiritus, anima, & corpus: quæ rurſus duo dicuntur, quia ſæpe anima ſimul cum ſpiritu nominatur. Pars enim quædam eiuſdem rationalis qua carent beſtiæ, ſpiritus dicitur, principale noſtrum ſpiritus eſt. Deinde vita, qua coniungitur corpori anima dicitur. Poſtremo illud quod viſibile eſt vltimum, noſtrum eſt corpus. Hoc autem omnis
Roma. 8. creatura ingemiſcit & parturit vſque nunc, dedit tamen primitias ſpiritus, quia credidit Deo, & bonæ iam volunta-
Roma. 7. tis eſt. Hic ſpiritus etiam vocatur mens: de quo dicit Apoſtolus,

ſtolus, Mente ſeruio legi Dei: qui item alio loco dicit, Teſtis eſt mihi Deus, cui ſeruio in ſpiritu meo. Anima vero, quum carnalia bona adhuc appetit, caro nominatur: pars enim eius quædam reſiſtit ſpiritui, non natura, ſed conſuetudine peccatorum. Vnde dicitur, Mente ſeruio legi Dei, carne autem legi peccati. Quæ conſuetudo in naturam verſa eſt, ſecundũ generationem mortalẽ, peccato primi hominis. Ideóq; ſcriptũ eſt, Et nos aliquãdo fuimus naturaliter filij iræ, id eſt vindictæ, per quã factum eſt vt ſeruiamus legi peccati. Eſt autem natura perfecta, quũ ſpiritui ſuo ſubditur, & quum ſequitur ſequentẽ Deum. Ideo animalis homo non percipit quæ ſunt ſpiritus Dei. Sed non tam cito anima ſubiugatur ſpiritui ad bonam operationem, quàm cito ſpiritus Deo ad veram fidem, & bonam voluntatem: ſed aliquando tardius eius impetus, quo in carnalia & temporalia defluit, refrænatur. Sed quoniam & ipſa mundatur recipiens ſtabilitatem naturæ ſuæ dominante ſpiritu (qui ſibi caput eſt) cui eius capiti caput eſt Chriſtus, nõ eſt deſperãdũ etiã corpus reſtitui naturæ propriæ, ſed vtique nõ tam cito quàm anima, ſicut nec anima tã cito quàm ſpirit⁹. Sed tẽpore opportuno in nouiſſima tuba, quũ mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur. Et ideo credimus carnis reſurrectionẽ, non tantũ quia reparatur anima, quæ nũc propter carnales affectiones caro nominatur, ſed & quia hæc viſibilis caro gloria repurgabitur, quæ naturaliter eſt caro, cuius nomẽ anima nõ propter naturã, ſed propter affectiones carnales accepit. Hæc ergo viſibilis, quæ caro propriè dicitur ſine dubitatione credẽda eſt reſurgere. Videtur Paulus Apoſtolus eã reſurrectionẽ tanquã digito ſuo oſtendere, dum ſcribit, Oportet corruptibile hoc induere incorruptionẽ, & mortale hoc immortalitatẽ. Quũ enim dicit hoc, ſolũ quod viſibile eſt & digito oſtenſibile intelligit, quoniã poſſet & anima corruptibilis dici & mortalis. Nã vitiis noſtrorũ ipſa & corrumpitur & moritur. Reſurget igitur corpus ſecũdũ Chriſtianã fidẽ, quæ fallere nõ poteſt. Quod cui videtur incredibilis, qualis nunc ſit caro, attendit, qualis autem futura ſit, non conſiderat: quia illo tempore immutationis angelicæ, non iam caro erit & ſanguis, ſed tantum

Roma. 1.
Rom. 7.
Epheſ. 2.
1. Cor. 2.
Matth. 22.
1. Cor. 15.

1. Cor. 15. corpus. Quum enim de carne Apoſtolus loqueretur, Alia (inquit) caro pecorum, alia volucrum, alia piſcium, alia ſerpentum, & corpora cæleſtia, & corpora terreſtria. Non enim dixit Caro cæleſtis: dixit enim cæleſtia & terreſtria corpora. Omnis enim caro etiam corpus eſt, non autẽ omne corpus caro eſt Primo in iſtis terreſtribus, quoniã lignũ corpus eſt, ſed nõ caro, hominis autẽ vel pecoris, & corpus

1. Cor. 15. & caro: in cæleſtibus vero nulla caro, ſed corpora ſimplicia & lucida, quæ appellat Apoſtolus ſpiritalia, nonnulli autẽ vocant ætherea. Et ideo non carnis reſurrectioni contradicit illud quod ait, Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. Sed quale futurum ſit quod nunc caro & ſanguis eſt, prædicat. In qualem naturam quiſquis non cõuerti poſſe hanc carnem credit, gradibus ducendus eſt ad fidem. Si enim ab eo quæras vtrum terra in aquam poſſit conuerti: propter vicinitatem non ei videtur incredibile. Rurſum, ſi quæras vtrum aqua poſſit in aërem: neque hoc abſurdum eſſe reſpondet: vicina enim ſunt ſibi. Et de aëre ſi quæratur, vtrum in æthereum corpus, id eſt cæleſte poſſit mutari: iam ipſa vicinitas perſuadet. Quod ergo per hos gra-

Matth. 14. dus fieri poſſe concedit, vt terra in corpus æthereum con-

1. Cor. 15. uertatur, cur non accedente Dei voluntate (qua corpus humanum ſupra aquas potuit ambulare) celerrime id fieri poſſe (quemadmodum dictum eſt in ictu oculi) ſine vllis talibus gradibus credit, ſicut plerunque fumus in flammam mira celeritate conuertitur? Fatemur caro noſtra vtique ex terra ſit, ſed nullatenus propterea quempiam mouere debent Philoſophorũ argumenta, quibus aſſerũt nullum poſſe eſſe terrenum corpus in cælo. Ipſi ſiquidem con-

1. Cor. 15. cedunt quodlibet corpus in omne corpus conuerti & mutari poſſe. Neque meminerunt dicti Apoſtoli, quia corpus ſeminatur animale, & ſurgit ſpiritale. Quod iuxta Auguſtinum ita eſt intelligendum, videlicet, tandiu corpus eſt animale quandiu indiget alimento, & per oppoſitum tunc eſt ſpirituale, quum non indiget amplius alimento. Iſtud vero complebitur facta carnis reſurrectio-

1. Cor. 15. ne: nam tunc fiet illud quod ſcriptum eſt, Abſorpta eſt mors in victoria. Quæ bona putas in illa beata vita faciet

Deus

Deus ſuos ſumere, pro quibus in hac miſeria Vnigenitum filium voluit vſque ad mortem mala tanta perferre? Quum hæc perficientur, quid erunt, quales erunt, quæ bona in illo regno accepturi ſunt electi? quandoquidem CHRISTO moriente pro nobis, tale iam pignus accepimus? Qualis erit ſpiritus hominis nullum omnino habens vitiũ, nec ſub quo iaceat, nec cui cedat, nec contra quod ſaltē laudabiliter dimicet? Pacatiſſima virtute perfectus, rerum ibi omnium quanta, quàm ſpecioſa, quàm certa ſcientia, ſine errore aliquo vel labore, vbi Dei ſapientia de ipſo ſuo fonte potabitur cum ſumma felicitate, ſine vlla difficultate? Quale erit corpus quod omnimodo ſpiritui ſubditum & eo ſufficienter viuificatum nullis alimoniis indigebit? Non enim animale ſed ſpiritale (vt dictum eſt) erit, habens quidem carnis, ſed ſine vlla carnali corruptione ſubſtantiam. Itaque ſi nos nunc ſpiritu lætemur, & caput noſtrum imitemur, iam ſpem hanc certam concipiemus, quoniam aliquando reſurgemus: & vbi caput præceſſit, membra ſequentur. Qua tamen fiducia hoc expectandum ſit, nunc declarat Pſalmographus, in perſona Saluatoris, talia ſubnectens,

Quoniam non derelinques animam in inferno, nec dabis ſanctum tuum uidere corruptionem.

Aperte hunc locum explicat Beatus Petrus Act. 2. de CHRISTO ita loquens, Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni (ſiue clarius ad veritatem Græcam) ſoluēs per ipſum mortis dolores. Ipſe enim ſicut & noſtras pœnas in ſe ſuſcipere voluit, corpus ſuum in ſepulchro poni, ita etiam voluit animam ſuam ad infernũ deſcendere. Corpus autem eius manſit in ſepulchro per diem integrum, & duas noctes, ad comprobandum veritatem mortis ſuæ. Vnde etiã tantũdem credendum eſt animam eius fuiſſe in inferno, vt ſimul educerētur anima eius de inferno, & corpus de ſepulchro. Interim vero monumentum præbuit Chriſto teſtimonium. Nam ſicut in monumēto Chriſti nullus antè nec pòſt ſepultus eſt: ſic in vtero Virginis, nec antè nec pòſt

quicquam mortale conceptum eſt. Præſtitit & ipſe infernus de Chriſto fidem, qui eos quos captiuos detinebat, protinus
Zacha. 9. reddidit. Quemadmodum ſcripſerat Zacharias, Tu verò in ſanguine teſtamẽti tui eduxiſti vinctos de lacu. Chriſtus ſiquidem virtute ſuæ paſſionis ab hoc reatu ſanctos abſoluit, quo erant à vita gloriæ excluſi, ita vt non poſſent tunc Deũ per eſſentiam videre. Quæ viſio imprimis vita æterna eſt, & ita ſoluit eorum dolorem quem patiebantur ex hac dilatione gloriæ. Nam adhuc tenebantur hoc reatu pœnæ originalis peccati, per quem excludebantur à gloria nondum ſoluto pretio redemptionis humanæ: ſicut adhuc hîc remanent nobis paſſiones originalis, licet ipſum per baptiſma purgatum ſit. Neque tamen propterea ſtatim vbi hæc anima ad infernum deſcendit, Chriſtus patres inde eduxit, ſed vectes ferreos & ſeras mortis cõfregit, ipſos in inferno luce gloriæ illuſtrando. Veruntamen ratione, qua ſuprà, conueniens fuit vt tandiu anima eius remaneret in inferno, quandiu corpus in ſepulchro: & latro tunc cum Chriſto ad infernum deſcendit, vt cum Chriſto eſſet. Sed quia dictum
Luc 23. erat ei, Mecum eris in paradyſo, fuit præmio in paradyſo: nam ibi diuinitate Chriſti fruebatur, ſicut & alij Sancti. Vbi autem iam ſunt Appolinariſtæ fallaciter opinantes Dominum noſtrum Chriſtum animam rationalem nõ habuiſſe? Ecce ipſe clamat, ipſe Patri gratias agit, quia eius anima non ſit more communi in inferis derelicta, ſed celeri reſurrectione clarificata, ad cælorum regna peruenerit. Reſurrexit autem corpore integro, quemadmodum Lucæ cap. vltimo ſcribitur, Spiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Vnde quicquid ad naturam corporis humani pertinet, totũ fuit in corpore CHRISTI reſurgentis. Non enim foret perfecta reſurrectio, niſi reſtitueretur quicquid per mortem ceciderat. Si quis tamen cõtendat de ſanguine eius qui adhuc in nonnullis templis pro reliquiis conſeruatur: dicens hunc ſanguinem miraculoſe à certis imaginibus effluxiſſe & conſeruari, reliquam ſuper hoc Caietani, opinionem piis lectoribus diſcutiendam relinquo. Sufficiet nunc aſſerere quòd neque dedit Deus Pater ſanctum ſuum (puta corpus Chriſti ſanctificatum per quod alij

ſanctificantur) in triduo mortis pati corruptionem. Horreo dicere corpus Chriſti tūc fuiſſe cadauer: quippe ſtatim reuniendum erat animæ & glorificandum: ſed exiſtimo, ipſum corpus Chriſti iacens in ſepulchro, fuit materia ſiue forma ſubſtantiali ſemper vnita Verbo. Nam quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit. qua ex re diuinitas ſemper ab omni putrefactione præſeruauit. Immo(ait Redemptor) Notas mihi feciſti vias, &c.

Notas mihi feciſti uias uitæ: adimplebis me lætitia cum uultu tuo: delectationes in dextera tua uſque in finem.

Ibi vides beatitudinem animæ, & dotes corporis glorioſi Chriſtum reſurgendo expertum fuiſſe, deſcribi, & pro his nunc gratias Deo Patri refert. Comprimis dicit notas ſibi factas fuiſſe vias vitæ accelerando tempus ſuæ reſurrectionis, quibus de mortalitate tranſiuit ad immortalitatem: & in quibus, poſt triſtitiam paſſionis aſcendens in cælum, adimpletus eſt lætitia in vultu Dei. Non quidem quòd ei aſcēdendo aliquid accreuerit quantum ad ea quæ ſunt de eſſentia gloriæ, ſiue ſecundum corpus, ſiue ſecundum animam: ſed tantum ei aliquid accreuit quantum ad loci decentiam, quod facit ad congruum glorię. Nam quum ipſe poſt reſurrectionē corpus habuerit, & immortale & incorruptibile, decuit in eo loco maneret qui neque generationi, neque corruptioni ſubeſt. Et de hac decentia gaudium quoddam habuit, non quòd tunc primùm pro hoc gaudere inciperet quando in cælum aſcendit, ſed quia nouo genere gaudij tūc exultauit, tanquam de re impleta: atque pro hoc etiam forſan tunc lætatus. Nam iſto die aſcenſionis imprimis penetrauit & aperuit nobis cęlos, recipiendo tanquā Dominus, poſſeſſionem eorum pro nobis, & aperiendo ſuis viam. Qua in re ſpem noſtram maxime adauxit, quū ſic iam cernamus portionē noſtram in cælis collocari, vnde Michęę cap. 2, Aſcēdit pandens iter ante eos. Inſuper & fidem & charitatē amplius inter nos radicauit. Fidem quidem quia dixit, Ad Patrem vado, & iam non videbitis me: beati qui non vident Ioan. 16. 20.

& credũt. Charitas etiã ideo ſtabilitur. Nã ad Coloſſ. cap. 3, propterea ſcribit Apoſtolus, Quæ ſurſum ſunt, quærite: vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt ſapite, non quæ ſuper terram. Aſſumptus verò iam fatetur in dextera Patris delectationes eſſe vſque in finem. Sedens enim à dextris Patris habet principatum ſuper omnes creaturas, & iudiciariam poteſtatem ſuper homines & dæmones in terra & in inferno: adeptúſque eſt nobis diuinam viſionem ac fruitionem & æternam felicitatem: quæquidem felicitas his tribus potiſſimum clauditur, manſione cæli empirei, viſione diuinæ eſſentiæ, atque ſummo & æterno gaudio cum quiete & delectatione. Non eſt autem arbitrandum CHRISTVM ſedere ad dexteram Dei Patris quaſi humana forma circunſcriptus ſit Deus, vt de illo cogitantibus, dextrum aut ſiniſtrum latus animo occurrat. Sed ad dexteram, intelligẽdum eſt dictum eſſe in ſumma beatitudine, vbi iuſtitia, & pax & gaudium eſt: ſicut ad ſiniſtram Matth. 25 hœdi conſtituuntur, id eſt in miſeria, propter iniquitates & labores atque cruciatus. Quòd ergo Marci cap. vltimo, CHRISTVS dicitur ſedere, non membrorum poſitionem, ſed iudiciariam ſignificat poteſtatem, qua illa maieſtas nunquam caret, ſemper digna dignis tribuendo. Quanuis in extremo iudicio multo manifeſtius inter homines vnigeniti filij Dei iudicis viuorum atque mortuorum claritas indubitata fulgebit. Omnes deprecemur ſi nunc non meremur veſtiri hac concupita gloria, nunquam tamen excludamur à venia.

IN PSALMVM XVI.

EXaudi, Domine, iuſtitiam meam: intende deprecationem meam.

Titulus eſt, Oratio Dauid. Ex quo nihil aliud apparet, niſi author: & quòd per modum orationis inſtitutus eſt Pſalmus iſte. Argumentum autem eius ex ipſo intelligendum eſt, in quo manifeſte apparet perſonam orantem perſequutionibus multis vexatam iniuſte, petere cuſtodiri à Deo, ac con-

ſtituere ſatietatem ſuam ſeu finem in bonis animi, corã Altiſſimo. Vnde nonnulli hunc Pſalmum ad literam recipiunt pro Dauide iniquè à Saule afflicto: quaſi nunc hinc liberari petat ob iuſtitiam quam ſeruauit erga ipſum Saul, & domũ eius: ſicuti patet in decurſu primi & ſecundi libri Regum: & proinde vitam ſuam ſaluam velit ab inimicis. De quaquidem Dauidis iuſtitia iam abunde ſatis in præcedentibus Pſalmis diſſeruimus. Nec obſtat quòd in quarto huius Pſalmi verſiculo ſe innocentem profitetur. Verè etenim innocens fuit, ſicut etiam in Pſalmo ſeptimo hoc idem dixit, atque hanc Dauidis innocentiam (referente Philone) atteſtatur illa pulchra oratio, quam Ionathas Dauidi vale faciens his verbis habuit, Memores ſimus (inquit Ionathas ad Dauidẽ) frater, teſtamenti inſtituti inter nos, & iuramenti poſiti in corde noſtro. Et ſi prior te obiero, & regnãdo regnaueris, ſicut loquutus eſt Dominus, non memor ſis iræ patris ſed teſtamẽti tui, quod diſpoſitum eſt inter me & te: nec memor ſis odij quo te odit pater meus in vanum, ſed dilectionis meæ, qua te amaui: nec memor ſis quòd tibi ingratus fuit pater meus, ſed memor eſto menſæ in qua manducauimus ſimul: nec retineas zelum quo te zelauit male, ſed veritatem quam habemus ego & tu: nec cures mendacium quod mentitus eſt Saul, ſed iuramenta quæ adinuicem iurauimus. Quæ omnia ſatis Dauidem iniuſtè à Saule oppreſſum demonſtrant. Veruntamen alij arbitrantur omnia iſtius Pſalmi de CHRISTO, adiuncta Eccleſia, quæ corpus eius eſt, ad literam intelligenda. Nam ſolus ille eſt qui coram Deo Patre de iuſtitia gloriari poteſt: non Dauid qui peccauit, & indiguit liberante gratia CHRISTI. Et hoc declarat Auguſtinus lib. 2. de baptiſmo paruulorum: quia omnis homo mendax & peccator, niſi ſolus mediator Dei & hominũ, homo CHRISTVS IESVS. Et ideo ſolus poteſt interpellare pro membris, & per iuſtitiã ſuam petere apud patrem ſua membra iuſtificari, quod nulli alteri hominũ cõceſſum legitur. Quare ſextuſdecimus prẹſens Pſalmus ſic orationem continet perſonæ Dominicæ, coniuncto ſibi corpore, quod eſt Eccleſia, & cantatur ex perſona Chriſti, forſan contra Iudæos, & ex perſona Eccleſiæ for ſitan cõtra

Coloſſ. 1.

Pſal. 115. & Ro. 3. 1. Tim. 2.

Coloſſ. 1.

hęreticos. Nunc igitur vox eſt Chriſti in paſſione, & Eccleſiæ in tribulatione. De hac voce in paſſione legis, Matthæi cap. 29, dum Meſſias progreſſus puſillum procidit in faciē ſuam, orans & dicens, Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte. Et tunc non prę timore, ſed pro miſericordia orauit, vt ſi poſſibile eſſet, ſine interitu Iudæorum Gentes crederēt, neque ita in petram offenderet Iſrael. Sed quoniam,
Rom. 11. teſtante Paulo, Iudæorum delicto ſalus eſt Gentibus: & diminutio eorum diuitiæ Gentium, idcirco protinus ſubiun-
Matth. 26 xit, Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis. Clarior autem eſt litera, ſi hoc in loco cum Septuaginta legas, Exaudi Deus iuſtitiæ meæ, quàm ſi cum vulgata editione dicas, Exaudi, Domine, iuſtitiam meam: tametſi vtrunque Chriſto conue-
Eſa. 53. & niat, qui peccatum non fecit, & in cuius ore non eſt inuen-
1. Pet. 2. tus dolus. Et iam orat, non pro ſua vtilitate, ſed pro noſtra firmitate: vt ſic omnis eius actio, iugis noſtra ſit inſtructio: & illius exēplo in afflictione ſemper meminerimus orare, quoniam oportet ſemper orare, & non deficere. Lucæ cap. 17. Is verò ſemper orat, qui ſemper agit bona, nec definit quis orare, niſi quum definit iuſtus eſſe. Felix autem qui taliter orat vt pro iuſtitia petiti exorare ſperet. Additur, Intende, id eſt maxime perpende deprecationem meam, quæ eſt de malis præcauendis aut amouendis: quemadmodum oratio fit pro deuotis, vt in bono perſeuerēt. Nec incaſſum diſſonantibus rebus verba iſta copulata ſunt. Intēdere, certe oculorum eſt, preces admittere ſeu exaudire, aurium. Sed ideo iſta verba ſociata ſunt, vt ambarum rerum vnus in Deo intelligeretur effectus. Quicquid enim vel auris audit, vel oculus videt, vel manus palpat, aut palatum guſtat, ſiue naſus odoratur, Deo ſola contemplationis virtute notiſſima ſunt. Et non ſolum (ait Redemptor) intendas deprecationē meam, ſed & auribus percipe, &c.

Auribus percipe orationem meam non in labiis doloſis.

Dauid veritatem ſui ſermonis more humano Deo explicans, Auſculta (inquit) orationem meam veraciter factam ſine labiis doli, ſine vlla fictione aut fraude. Neque enim mihi

mihi conſcius ſum quòd Sauli doloſa aliquando loquutus ſim, quinimmo amorem & dilectionem meam in eum palam confeſſus. Tantundem hic Chriſtus ſecundum hominem Deo patri dicit. Quare conſiderandum quàm magna ſacramenta fidei noſtræ Pſalmus iſte complexus eſt, vt qui audit ſupplicãtem hominẽ, eundem debeat credere Creatorem. Aduertentes igitur modum incarnationis, videmus quia duæ naturæ per indiuiduam vnitatem inconfuſè atque immutabiliter inuicem ſibi conuenerint. Caro nãque caro eſt & non deitas, licet Dei facta ſit caro. Similiter etiã Verbum Deus eſt & nõ caro, licet diſpenſatorie propriam fecerit carnem. Quòd vero nunc ipſe CHRISTVS orat, non eſt diminutio deitatis, ſed veritas carnis. Oratio ſiquidem quum ſit eleuatio mentis in Deum, fit ab inferiore ad ſuperiorem, à minore ad maiorem. Vnde neque Chriſtus ſecundum deitatem orauit, qua eſt æqualis Patri, cunctis cum eo imperans: ſed tantum ſecundum hominem preces poſtulationéſque obtulit, ipſam humanitatem (quæ in multis infirma erat) ſanari cupiens. Oratio vero Meſſiæ in eo quòd abſolutè voluit, ſemper eſt exaudita. Nõ autem in eo quod voluit conditionaliter, aut voluntate, vt natura. Primum teſtatur Paulus ad Hebræos, de eo ita ſcribens, Qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationéſque ad eum qui poſſet illum ſaluum facere à morte, cum clamore valido & lachrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reuerentia. De ſecundo teſtatur Pſalmographus alio loco, hæc in typo Saluatoris referens, Clamabo per diem & non exaudies.

Hebr. 5.

Pſal. 21.

Nunc autem excolit regius Vates quod præcedenti verſiculo dixit. Percipere enim, eſt perfectè capere. Poſtulat itaque Redemptor ſuam petitionem integre recipi: & quia iuſta eſt, & non duplici corde aut ore mẽdaci prolata. Quẽ fictũ modũ orandi deteſtatur Dominus, Eſaiæ cap. 29, his verbis, Populus iſte labiis me glorificat, cor autẽ eius longè eſt à me. Quod quidem, eſt vigilare oculis & corde dormire: quum debeat Chriſtianus etiam quũ dormit oculis, corde vigilare. Deinde ſubiungit quid petit, quaſi diceret, hoc vnum peto vt de vultu tuo, &c.

De uultu tuo iudicium meum prodeat: oculi tui uideant æquitatem.

Nunc aperit Dauid præparationem ſui animi in hac tumultuoſa infeſtatione Saülis. Quippe paratus erat patienter ferre quicquid decreuiſſet Altiſſimus, quod vere Chriſtiani eſt animi: quemadmodum ſic quotidie diuina inſtitu-
Matth. 6. tione oramus, dicentes, Fiat voluntas tua. Nam (vt inquit Apoſtolus ad Rom. 8) quid oremus ſicut oportet, neſcim⁹, ſed ipſe Spiritus Sanctus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Vnde in oratione oportet ſemper totum diuino arbitrio committere. Interim (ait Ambroſius) Spiritus ſuperfundit ſe precibus noſtris, vt imperitiam & improuidentiam noſtram motu ſuo aperiat, & illa nobis à Deo petit quæ proſint. Tũc pro nobis interponit ſe idem Spirit⁹, quum ſcit nos per ignorantiã non per iactantiam, contraria poſtulare quàm conuenit. Inſuper Dauid iam de vultu, id eſt notitia Dei, (facie enim videmus) ius pro ſe requirit, & iudicẽ implorat, qui omnia noſcit, nec eget alterius teſtimonio, ſed ſolæ rectitudines, in oculis eius ſunt rationes videndi. Quare 1. Regum cap. 26, Saulem alloquens, talia intulit, Si Dominus incitat te aduerſum me, odoretur ſacrificium ſcilicet patientiæ meæ, quæ & ei non minus ſit accepta quàm victima. Aut ſi vox eſt Chriſti ad Patrem, nunc Propheta oſtendit quid facturus eſt Dominus in iudicio, vt
Matt. 25. ſcilicet quũ venerit Filius hominis in maieſtate ſua, & ſederit ſuper thronum gloriæ ſuæ, congregentur ante eum omnes Gentes, & ſeparet eos ab inuicem, alios ad dextram ſtatuendo, alios ad ſiniſtram: & audient eum dextri, dicentem, Venite, &c. & ſiniſtri Ite, &c. Tunc de vultu, id eſt notitia Dei, hoc iudicium fiet, vt ſcilicet Filius iudicans, aliud non proferat, quàm quod Patrem noſſe conſpicit. Et hîc eſt propria Scripturæ diuinæ loquutio. Nam de mente ſolet manare ſententia: quod nunc Domino per tropicas eloquutiones decenter aptatur. Quia ille quod iudicet videt, dum teſtis eſt examinis ſui, nec vſquã alicuius teſtimoniũ quærit, qui ſolus omniũ veraciſſimè ſecreta cognoſcit. ad Rom. cap. 8, Qui ſcrutatur corda, non quaſi quærens quod neſciat,

ſciat,cui nihil eſt occultũ:ſed ei hoc maxime proprium eſt, ſolus cor intueatur,dum aliis forte tantũ per nutus, eo volente,patere poteſt. Orat inſuper Chriſtus ſeipſum à Deo patre iudicari pro ratione ſuorum operum,ſciens quia nullum peccatum haberet, & idcirco efflagitat, oculi diuini proſpiciant hanc ſuã & æquitatẽ & innocentiã, vt qui iniuſte à malis condemnatus eſt, hos poſteà peruerſos iudices iuſte damnari cernat. Vel ſi cũ Hieronymo & Auguſtino legis, Oculi mei videant æquitatem:iam deprecatio eſt ipſius Meſſiæ pro ſuis & prædicatoribus & paſtoribus, vt nõ tantũ bonũ intelligant,ſed & bonũ faciant. Nam vt dicitur in principio decimi libri Ethicorũ, Sermones de moribus quando diſcordãt ab his quæ ſecundũ ſenſum videtur, ſpreti atque reiecti habentur,& veritatẽ interimũt,quũ ſermones minorẽ habeant fidẽ q̃ opera,ſed ſermo bono operi cõformis, is imprimis recipitur & maxime ædificat. Poteſt inſuper accipi hic eſſe oratio Mediatoris requirentis vt cõtinue omni affectu in diuinã æquitatẽ tendat, quam & ſibi ſcopũ(ſicuti ſagittarij ſignum habẽtes) ſemper in omnibus proponat, vt ſic nunquam vllam peccati maculam contrahat. O aſpectum ſalutarem! ô puriſſimos oculos! Neſciunt profecto huius mũdi tenebris obſcurari, qui merentur tanta claritate perfici. Iam autem, ait Patri Filius, Fac quod à te peto,quia tu qui omnia vides, Probaſti cor meum,&c.

Probaſti cor meum, & uiſitaſti nocte: igne me examinaſti,& non eſt inuenta in me iniquitas.

Aduerte hic quòd oratio iſta Dauidis eſt ſicut oratio Ezechiæ apud Eſaiam cap.38, Memento quæſo quomodo ambulauerim corã te in veritate,& in corde perfecto, & quod bonum eſt in oculis tuis fecerim. Recenſet nanque nunc Dauid ſuam conſtantiam in bono non iactando, ſed vt ea quæ grata ſunt Deo, in ſeipſo commemoret, & creſcant:atque exponit modum quo cognitus eſt à Deo, ad ſimilitudinem auri ſeu argenti quod cognoſcitur cõflatione in igne. Et quum auri inſtar(inquit)fuſus ſim & probatus, nulla tamen in me inuenta eſt iniuſtitia quam parauerim aduerſus Saul. Neque enim inter anguſtias malum aliquod aduer-

ſus eum vt puſillanimis, aut conſultaui vnquam, aut decre-
ui. Et ipſum cor ſuum dicit viſitatione tribulationis proba-
tum eſſe. Quæ quidem tribulatio non ſolum nox fit, quia
perturbat: ſed & ignis, quia vrit atque purgat: qua exami-
natus, iuſtus inuentus eſt. Quo genere tentationis omnes
certiſſime diiudicamur, Eccleſiaſtici cap. 2, In igne proba-
tur aurũ & argentũ: homines verò receptibiles in camino
1. Cor. 10. humiliationis & patiẽtię. Sic trib⁹ modis exercemur: à Deo
enim flagellamur, cauendum ne murmuremus: à proximo
Rom. 12. perſequutiones, & damna, & cõtumelias ſuſtinemus, cauẽ-
dũ ne mala pro malis reddamus: ab aduerſario tẽtamur, ſed
proſpiciendũ ne ad delectatıonẽ peccati vel flectamur, vel
pro his præſentia quęramus: quinimmo in ſpe futurorũ bo
norũ quę repromiſit Deus diligẽtib⁹ ſe, ſemper maneamus.

Aut ſi nũc ſint verba Chriſti ad Patrẽ, ordiuẽ ſeruat egre-
giũ. Prius ſe dicit probatũ, deinde fuiſſe viſitatũ: ſed proba-
tio ſignificat paſſionẽ, viſitatio reſurrectionẽ. Ibi enim ꝓ-
batus eſt vbi inter multas Iudæorũ iniquitates, & pericula
mortis, mirãdæ patiẽtiæ documẽta monſtrauit. Viſitatus eſt
autẽ nocte, quando anima eius nõ eſt in inferno derelicta,
ſed ad illam mirabilẽ reſurrectionẽ æternæ gloriæ claritate
peruenit: cæterũ igne tribulationũ & anguſtiarũ examina-
tus: nam paſſus eſt inimicis gaudentibus, amicis condolen
tibus, mulieribus flentibus, diſcipulis dormiẽtibus præ tri-
Luc. 22. ſtitia, compatiente matre, in anima & ſpiritu concrucifixa,
Ioã. 19. & Petro negante, Iuda tradente, Apoſtolis fugientibus, in ca-
Luc. 2. pite coronã ſpineã, & arundinis percuſſionẽ, in facie ſputa
Matt. 26. & excrementa, in genis & barba alapas & vellicationẽ, in
Ioan. 19. collo & dorſo colaphos, ac graues illudentiũ percuſſiones,
Matt. 16. in humeris crucis pondera, in manibus & pedibus tranſfi-
xa clauorum vulnera, in latere aperturam, in corde pro-
Ioan. 29. fundam lanceæ fixurã, in corporis ſuperficie nuditatem &
diram flagellationem, in oſſibus, viſceribus, brachiis, cru-
ribus & iuncturis rigidiſſimam extenſionem, & in mem-
bris vitalibus & venis totius ſanguinis effuſionem pro no-
bis pertulit. Sed non eſt in illo vlla inuenta iniquitas, quàm
tanta examinatio aliquando repurgaret: quin vſque adeo
(inquit) ſum iuſtus Vt non loquatur os meum, &c.

Vt non

Vt non loquatur os meum opera hominum: pro-
pter uerba labiorũ tuorum ego cuſtodiui uias duras.

Hîc verſiculus conſequentia non caret ad præcedentia, vt aliqui exiſtimarunt: quinimmo commodiſſime eis adiũgitur, & cauſam continet quare examinatus fuerit & afflictus Beatus Dauid. Hac (inquit) de cauſa tu me tentationibus examinari permiſiſti, ne ſi maior fuiſſem quàm qui tentari aut affligi poſſem, extollerer: fortaſſis ne accuſarẽ Saul aut illius iniuſtitias ſuperbe deriderẽ atque exprobrarem. Et iam ipſe Dauid explicat qualis in corde & opere fuerit erga Saulem & ſuos. Hoc deliberaui (ait) in corde meo: Sermo meus non recedet à diuina regula, ad operationes hominis imperandas aut cõcedendas, ſolitas exerceri à militantibus vagis & pauperibus. Vnde dicebant ſerui domino 1. Reg. 25.
ſuo Nabal, de armatis Dauidis, Homines iſti boni ſatis fuerunt nobis. Vtinam idem nunc facerent noſtri ſeculi milites, quos ferarũ more in omnem ſolui licentiã paſſim videmus, quaſi militiæ leges & omnia boni & æqui ſancita, nũc inter eos emortua ſint. Semper filius Iſai de Rege ſuo modeſtè ac reuerenter loquutus eſt, vti perbelle demonſtrant verba quæ ad Saulẽ fecit 1. Regũ cap. 24, & 26. Nunquã ei maledixit, neque ei aliquando ſiniſtre imprecatus eſt, ſed ſemper dedit locum iræ. Nec obſtat quòd 1. Regũ 24, Saulem ſuper ſua ſalute alloquẽs, dixit, Iudicet Dominus inter me & te, & vlciſcatur me Dominus ex te, manus autẽ mea non ſit in te. Maledicus enim dicitur qui alteri malũ imprecatur, finẽ iuſtũ non intendẽs, ob quẽ videlicet alteri liceat malũ illud imprecari, quãquã nõ inferre. Si autẽ recte intẽdimus, tunc in malo nõ ſtamus, ſed per malũ in bonũ precãtis affectus protenditur. Plerunq; certe (inquit Gregorius) euenire ſolet, vt nõ amiſſa charitate, & inimici nos ruina lætificet: & rurſum eius gloria ſine inuidiæ culpa contriſtet: quũ & ruente eo quoſdã bene erigi credimus, proficiente illo, pleróſque iniuſte opprimi formidamus. Quoniã ſi de inimici morte omnino gaudendũ nõ eſſet, Propheta nõ di- Pſal. 57.
ceret, Lætabitur iuſtus quũ viderit vindictã, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris. Eadem ergo ratione licet ei

optare malũ, qua & gaudere, cũ acciderit: quéadmodũ faciebat Dauid in verbis prænarratis. Sæpiuſculè tamé dũ in Scripturis ſanctis talia legimus, quæ ruinã ſonãt vel occaſionem proximam ad offenſam, nõ precãtis voto, ſed prænuntiantis affectu intelligẽda ſunt. Vt eſt illud Domini ad Iudã, Ioãnis cap. 13, Quod facis fac citius. & Apoca. vltimo, Qui nocet noceat adhuc, & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. Itaque nunc concludit Dauid propter hæc verba Domini, Leuit. cap. 19, Non quęras vltionem, nec memor eris iniuriæ: ipſe in multis oppreſſus, abſtinens ab omni vindicta interim duriſſima pertulerit, quod maximum patientiæ genus eſt. ad Rom. cap. 12, Non voſmetipſos defendentes (zelo ſcilicet
Deu. 32. vindictæ:) nam ſcriptum eſt, Mihi vindictam & ego retribuam, dicit Dominus. Secus ſi zelo iuſtitię, quemadmodum geſſit Saluator, Ioan. cap. 18. ita ſeipſum defendens contra miniſtrum Pontificis, eum iniuſtè percutiẽtem, Si male loquutus ſum, teſtimoniũ perhibe dę malo, ſi auté bene, quid me cędis? Nãq;, ne lædatur iuſtitia, iniuria propulſanda eſt. Aliter dic in caſu iniuriæ perſonalis tãtũ: & nõ timetur probabiliter geminata percuſſio. Cap. Olim. De reſtitutione ſpoliatorũ. De Chriſto inſuper hunc verſiculũ intelligẽdo pulchrè ſubiunxit, Vt non loquatur os meum, id eſt, & ſi ego taceam, tu tamé (Pater) me purũ eſſe perpendis. Quid enim opus erat eum de probitate morũ ſuorum aliquid loqui, dũ certum ſit à paterna maieſtate cuncta cognoſci? Humana ignorãtia verbis inſtruenda eſt, diuinitas auté certiſſime nouit omnia, etiam quũ tacẽtur, admiſſa. Qualia vero ſunt opera hominũ, de quibus nũc eſt ſermo, breuiter diffinit: ſci-
Iob. 5. licet ſunt viæ duræ, ſicut beatus Iob ſcribit, Auis naſcitur ad volatum, & homo ad laborem. Nam quum peccata vitãtur, arduus callis eſt, difficiliſque ſemper aſcenſus: dum verò ad vitia prolabimur, lubricum iter ac decliuum, vt ait Poeta,

Noctes atque dies patet atri ianua Ditis,
Sed reuocare gradum, ſuperáſque euadere ad auras
Hoc opus, hic labor eſt.

Quare Matthæi cap. 7. ſcribitur, Anguſta porta & arcta via eſt, quæ ducit ad vitã, Cauſa redditur: nam Ariſtotelis ſententia, non contingit bene agere, niſi vno modo: ſiquidé bonum eſt ex integra cauſa: pecca-

ſa: peccare verò multifariam euenit, nempe malum eſt ex ſingulis defectibus. Adde quantum ſenſus & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia. Geñ.8. Qua de re fit (teſtante Chryſoſtomo) omnis iuſtitiæ introitus anguſtus ſit viuenti in carne, propter aduerſitatem hominis Adæ, cui graue eſt & difficile à ſua natura carnales paſſiones præſcindere: præſertim quæ ſunt circa delectationes, guſtus & tactus, aſſumendo laborioſa pœnitẽtiæ opera. Vnde Philoſophus, circa finẽ primi Ethicorũ, Vt reſolutæ corporis partes, ſi ad dextram mouere velis in ſiniſtram feruntur, ſic & animo ducuntur incontinentium appetitus. Adiunge quàm difficile deperduntur ſemel acquiſiti vitioſi habitus, quemadmodum teſtatur Hieremias cap. 13, talia aſſerens, Si mutare poteſt AEthiops pellem ſuam, aut Pardus varietates ſuas, & vos poteritis benefacere, quum diceritis malum. His occaſionibus via iuſtitiæ laboranti anguſta eſt, tametſi amanti lata ſit & facilis. Quomodo tamen hîc dicit Vias duras, quas propter verba Patris & Prophetarum cuſtodiuit, quum Matthæi cap. 11. dixerit, Iugum meũ ſuaue eſt, & onus leue eſt? Sed idipſum Domini iugum ſuaue eſt volentibus, durum nolentibus, teſtante Auguſtino ad Ianuarium, Sicut corpus ſuo pondere facile nititur, vel deorſum, ſi graue: vel ſurſum, ſi leue: ita animæ in id quod amant facile feruntur amore. Sicut enim pondera & collocationes corporum, ſic amores & delectationes animarum. Amor meus, certe pondus meum. Memineris Hieronymum hoc in loco legere, Ego obſeruaui vias latronis: ſed tantundem eſt dum dicit Deo Patri, Vt ſeruarem voluntatem tuam, pœnas debitas latroni ſuſtinui in paſſione, percuſſus & crucifixus, & cuſtodiui vias duras mortalitatis humanæ, propter legem tuam, & verba labiorum tuorum: vt nihil niſi tuum loquar, & in lingua non peccem, quod eſt perfectorum. Iaco.3. Nam (vt teſtatur Ambroſius) non mediocre periculum eſt quum habeas tanta eloquia Dei & opera quæ fecit, illis prætermiſſis loquaris & audias quæ ſeculi ſunt. Igitur ô Pater (ſubiungit Redemptor) Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, &c.

Perfice greſſus meos in ſemitis tuis, ut non moueantur ueſtigia mea.

Perfice dicunt vterque & Chriſtus & Dauid: id eſt vſque in finem conſerua, vbi eſt meritorum ac præmij tota perfectio. Et hic docent virtutem longanimitatis & patientiæ.
Leuit. 3. Non enim cœpiſſe facere, ſed permanſiſſe, virtutis eſt. Vn-
Luc 21. de cauda hoſtiæ iubetur offerri. Hoc idem Lucas exprimit, In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Quia dū nobis dominari diſcimus, hoc ipſum incipim⁹ poſſidere quod ſumus: inchoamus, dum in hoc mundo proba conuerſatione degimus. Sed vbi ad finem peruenerit religioſa conſtantia, ibi perficimur, ibi omni integritate replemur. Talis ergo pro vtroq; eſt literę ſenſus: Cuſtodi me in mandatis tuis, vt imitātes me minime recedant à te. Bene ſiquidem ſequax pergit, vbi ille qui exemplum viæ præbet, rectus inceſſerit. Congruè autem hoc petitur à Deo: nam ab eo eſt & incipere & finire. Quid verò Greſſus, niſi ſenſus aut opera deſignant, quæ nunquam à lege ſemitarum ſeu mandatorū Domini declinent? neque enim ſufficit perfecta agere, niſi cōtingat in ipſis firmiter permanere. Siue Apoſtoli, pedes ſeu greſſus Dei, dici poſſunt, per quos ambulauit & prædicauit
Rom. 10. Euāgelium per vniuerſum mundum. ad Rom. ſicut reliqua credētium multitudo, veſtigia CHRISTI nominabitur: quaſi impreſſio relicta ex doctrina eius & prædicatione Apoſtolorum. Itaque nunc Propheticè pro his omnibus ſuis membris orat, vt ad ipſam veritatem veniant, & in ea ſtabiles perſeuerent. atque addit, Ego clamaui, &c.

Ego clamaui, quoniam exaudiſti me, Deus: inclina aurem tuam mihi, & exaudi uerba mea.

Si de Dauid nunc ſit ſermo, tātundem eſt ac ſi Deo dicat, Exauditio prioris clamoris audere facit, iterum ad te clamem, ac rurſus teipſum inuocem, ſperans nunquā aure ſurda à te prætermitti. Quare, ſicut cōſueuiſti, inclina aurē miſericordiæ & clementiæ mihi humili: nam ad te confugio, quemadmodum Filius ad Patrem, ſeruus anxius ad Dominum miſericordem. Veruntamen quoniam diſparitas meritorum,

torum, hinc ſperantium in Deo, inde inſurgentium contra ſperantes in Deo, intendit Dauid ſimul proponere & exponere ad ſui defenſionem, & illorum deſertionem. Vnde tãquam captãs beneuolentiam humano more, præmittit duo: alterum propriæ fiduciæ in Deo, Ego clamaui, ſciens te reſpõſurum deſyderio meo intimo: alterum defectus proprij meriti, inclina aurem tuam mihi. In quo profitetur vocem ſuam non tanti eſſe vt perueniat ad aures Dei, niſi Deus (velut ſupplendo defectum vocis) inclinet aurem ſuam, & ſic exaudiat verba eius. Solent enim ij caput inclinare, qui exilis hominem vocis audire diligentius cupiunt: vnde & cum capite aures pariter inclinare videtur. Inclina igitur & tu Deus, aurem tuam (ait Dauid) tanquam excelſus ad humilem, tanquam medicus ad infirmum. Aut ſi vox eſt CHRISTI, & Eccleſiæ pro ſuis membris, nunc ipſa Eccleſia orat per ſimilitudinem infirmi, qui in lecto iacet, expectans vt veniat medicus, & ſanet infirmitates eius. Nam genus humanum infirmum fuit quando iacuit in lecto, id eſt, peccato: rogauit vt veniret verus medicus; qui eſt CHRISTVS in carne, & ſanaret infirmitates hominis. Sed perſcrutandum eſt quum dici ſoleat, Exaudiſti me, quia clamaui, cur hæc ſententia nunc ordinem videatur habere præpoſterum? Sic certe CHRISTI ac Eccleſiæ puritas atque innocentia demonſtrantur. Nanque qui clamat, quoniam exauditur, vtique purus, innocens & immaculatus agnoſcitur. Quare confidenter orant, quippe ex conſcientiæ puritate exorare certi ſunt. hæc ſcilicet, Mirifica miſericordias tuas qui, &c.

Mirifica miſericordias tuas qui ſaluos facis ſperantes in te.

Admirabilia fuerũt quæ Deus geſſit liberando Dauidẽ à Saule, ſic eripiens pauperem à potente, pauperem ſaluans, cui non erat homo adiutor. Mira fuerunt dum præciſe generatione quarta reuerſi ſunt filij Iſrael de AEgypto, quòd needum impletæ erant iniquitates Amorrhæorum, donec venit illud tempus quartæ generationis, id eſt, nondum peruenerant Amorrhæi ad eam ſcelerum multitudinem Pſal. 70. Geñ. 15.

propter quam decreuit eos Altiſſimus de terra ſua eiicere.
Mirandum inſuper fuit, quòd tunc in reditu ſui Iſrael, Do-
Exod. 14. minus fecit, iter præbens populo ſuo in medio aquarum maris Rubri, quod repente percuſſione virgæ Moyſi inciſum, & in ſe diuiſum, terram reliquit nudam, vt Hebræis via eſſet & fuga. Et ſiquis forte pro hoc (quod abſit) dubitaret, nullus (inquit Ioſephus) diſcredat à verbo miraculi, ſi antiquis hominib⁹ & malitia priuatis, via ſalutis liquet per mare facta ſiue voluntate Dei, ſiue ſponte reuelata, dum & eis qui cum Alexandro rege Macedoniæ fuerunt olim, & antiquitus à reſiſtentibus Pamphylicum mare diuiſum ſit: & quum aliud iter non eſſet, tranſitum præbuit eis: volente Deo per eum Perſarum deſtruere principatum: & hoc cōſitentur omnes qui actus Alexandri conſcripſerunt. Mira præterea ſunt & noua quæ in carne CHRISTVS geſſit, mirantibus Iudæis, non tamen credentibus: qui (vt inquit Ioannes cap. 12,) quum tanta ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum. Sed propterea non poterant credere,
Pſa. 6. quia dixit Eſaias, Excęcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum, vt non videant oculis, & intelligant corde. Non quòd non potuerint mutari in melius, ſed quādiu tales (puta quandiu pertinaciter Chriſtum nolebant) non potuerūt credere. Quam vtique malam eorum voluntatem præſciuit Deus, & per Eſaiam prędixit. Sed & hāc excęcationem demeruit voluntas eorum tumida, qui ſuam volentes conſti-
Rom. 10. tuere iuſtitiam, iuſtitiæ Dei ſunt obliti. Itaque quòd hîc dicitur non poſſe credere, ita eſt culpa voluntatis humanæ, ſicut quod dicitur Deus non poſſe ſe negare, laus eſt voluntatis diuinæ. Prænarrata igitur ſunt magnitudo & excellentia miſericordiarū Dei quas in ſe & Dauid & Meſſias iuſte fieri deprecātur. Verūenimuero nūquid antea nō fuerūt miſericordię Dei, mirificatæ? An ſolum poſt Chriſtū natum & paſſum hæ mirabiliſſimæ miſericordiæ apparuerūt? Vtique ita contigiſſe teſtatur Ioānes cap. 14. talia ex perſona Redemptoris loquens, Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad Patrem vado. Maiora enim fieri debebant per effuſionem Spiritus Sancti poſt aſcenſionem, quàm ante: Ioannis cap. 7, Non-
dum erat

dũ erat Spirit' Sanctus datus, (in linguis videlicet igneis) quia nondum erat IESVS glorificatus. Et tunc multitudo Gentiũ cœpit intrare Eccleſiã Chriſti, quando ſolùm antea pauci ex Iſrael conuerſi ſunt, & Apoſtoli omniũ linguis loquuti, quãdo antè ſolùm Hebræis de Patre Filius annũtiabat, miracula inſuper demirãda increbuerũt. Nã ſi Chriſtus ad tactũ fimbriç ſui veſtimẽti, mulierẽ, quç erat in fluxu ſanguinis ſanauit, & vmbra Petri (quod maius eſt) poſt Domini aſcenſionem quoſcunque languores curabat. Quapropter hoc modo mirificauit Deus Pater miſericordias ſuas, ſaluãdo ſperantes in eum, qui vt clarificaretur in Filio, quodcunque petierunt in nomine ipſius Apoſtoli, hoc fecit, non quòd ex ſe aliquid potuerũt Apoſtoli: nã non eſt ſeruus maior Domino. Ipſe enim ſine eis omnia, illi verò ſine eo nihil operari valebãt. Sequitur, A reſiſtentibus dexteræ tuç, &c.

Rom. 11. Act. 2. Matth. 9. Act. 5. Ioan. 14. Ioan. 13.

A reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi me, ut pupillam oculi.

Petit Dauid cuſtodiri ab omni lçſione, & cõprimis ab impiis, qui reſiſtebant protectioni & fauori quibus Deus eum defendebat, & vult (ſi fieri poteſt) tam tenellè à Deo, quàm pupilla oculi à nobis diligi. Admiranda eſt autẽ quàm maxime cuſtodia illa quã oculus pupillæ præſtat. Siquidem tunica ſuper tunicam, & alia quædam tegumenta eam muniunt, quorum alia tenuia ac tranſparentia ſunt, ne pupillç (quæ ſuapte natura humida eſt & mollis) aſperitatem inferant. Alia verò exterius craſſiora, vt palpebrarum tunica, quæ duobus eſt ſemicirculis diſtincta vt pulueris & aeris lçſionem & paruula quæque animantia repellat, & pilis etiã quibuſdam vallata, vt ſudorem prope fluentem prohibeat: acutus enim ſudor eſt, atq; admodũ moleſtus. Superius prçterea ſupercilij vallis formata eſt. Ipſum autẽ ſuperciliũ veluti tectũ quoddam firmũ ac validum iacet, quod pilis etiam multis ac condenſis ornatum ac munitũ eſt, ne ſudor deſuperfluẽs in pupillç habitaculũ irruat, illinc enim repulſus in ipſa deuoluitur tẽpora. Cũ tantã igitur præſtet ocul' pupillæ cuſtodiã, nõ mirandũ ſi parẽ ſibi à Deo Propheta prçſtari

optat, atque hic opus miſericordiæ appellat dexteram, ſicut forte opus iuſtitię, ſiniſtra Domini dici poteſt. Matthæi cap. 25, Statuet oues à dextris, hœdos autē à ſiniſtris. Similiter vox eſt Eccleſiæ tam ſyncere ſuos à fermento hæreticorum ſeruari requirentis, quàm munda ſemper & pura eſt oculi pupilla, quæ neque vel puluerem, vel minimam feſtucam patitur. Rogat ergo ſi forſan inſurgit noxium hæreſis caput, ocius frangatur, & ſibilantia hydrę ora protinus muteſcant, nec peregrinam doctrinam quis ſuorum recipiat. Solent enim huiuſcemodi per angulos muſſitare, & innumeris cuniculis nituntur ſubuertere veritatem, pleni arrogātiæ & ſupercilij cunctos deſpiciunt, armantq; linguas ſuas detrahēdo. De quibus rectiſſimè alio loco Pſalmographus,
Pſal. 56. Filij hominnm dentes eorum arma & ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Bonum eſt igitur nequaquam hoc vēto erroris circunferri, & his præceptoribus peſſimis non vti. Hoc itaque poſtulat Eccleſia vt perfectis & ſanis doctoribus, qui ſunt illius oculi, ſemper dirigatur, & quomodo pupillla oculi pluribus palpebris, & neruoſis tunicis tegitur, ſic continue diuinis gratiis doniſque cæleſtibus adumbrata ſit. Siue (ſi vox CHRISTI eſt) Cuſtodi me, inquit, vt pupillam oculi: quæ apparet perparua & exigua, per eam tamen dirigitur acies luminis, quo lux & tenebræ diiudicantur: ſicut per Chriſti humanitatē diuinitas diſcernens eſt inter bonos & malos. Subnectit Propheta,

Sub ūmbra alarum tuarum protege me à facie impiorum qui me afflixerunt.

Ad ſimilitudinem pulli qui abſconditur ſub vmbra maternarum alarum à facie auium rapacium, intendit Dauid ſibi propitiam facere diuinam protectionem. Agnoſcítque auxilium ſuum tantummodo à Domino eſſe, qui eſt omniū conditor, qui pauit Iſrael in deſerto & in terra inhabitabili, vbi rerum omnium penuria, vbi nullæ aquæ, dedit manna
Exod. 16. 17. & Nume. 20. de cælo, & aquarum fontes produxit de petra duriſſima. Neque enim per tantam heremi vaſtitatem vbi non ſolum fruges & arbores vineæq;, ſed nec herba quidem gignitur, & nullæ aquæ ardorem temperant ſolis, quadraginta annis poterat

poterat domus Iacob ad terram peruenire Iordanis, niſi Dominus omnia præſtitiſſet. Nil mirum igitur ſi nunc regius Vates à facie ſuorum inimicorum ſaluari cupiens, ad Deum confugiat, cum quo omnia poſſit, & ſine quo fractus iacet. Similiter nunc vox eſt CHRISTI & Eccleſiæ. Afflixerūt ſiquidem Iudæi CHRISTVM in paſſione, & hæretici quotidie ſponſam Eccleſiam perturbant: qui comederunt & impleti ſunt, & cibos Domini non tulerunt: quibus loquitur Apoſtolus, Iam ſaturati eſtis, iam diuites facti eſtis, ſine nobis regnatis, atq; vtinam regnetis, vt & nos regnemus vobiſcum. Comederunt enim in ſanctis Scripturis panem qui de cælo deſcendit, & cum Pſalmographo dixerūt, Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi. Impletíque ſunt, & ſaturati eleuauerunt contra Creatorem cor ſuum, & alterum ſibi finxerunt Deum: quicquid antè biberant & comederant, ſuis meritis non Dei miſericordiæ deputantes. Idcirco obliti ſunt Dei, qui præcepit eis vt legis verba religarent inter oculos, & in manibus atque in fimbriis palliorū, ne vnquam obliuiſcantur Dei ſui. His de rebus ſæpiſſime fluctuat & ſemper ſibi timet Eccleſia, quæ tamen interim miſericordia & charitate alis paternis defenditur: atque ſicut gallina ſub alis pullos abſcondit propter miluos, ſic ſapiētia diuina duabus Teſtamētorum alis eam contra has ſpiritales miluici diaboli nequitias munit. De Chriſto inſuper loquendo, nūc Facies dicitur dira impreſſio mentis ad mortem innocentis. Impij vero intelligūtur Iudæi, qui Meſſiam crucifixerunt. Contra hos nunc à Patre protegi rogat, atque ſubiungit quomodo iſti afflixerunt, dicens, Inimici mei &c.

1. Cor. 4.

Pſal. 50.

Deut. 6. & 11.

Matt. 23.

Inimici mei animā meā circundederunt, adipem ſuū concluſerunt: os eorum loquutum eſt ſuperbiā.

Si de Dauid nunc eſt ſermo, & iam petit liberari ab hoc periculo, de quo. 2. Regum cap. 23. quando ſcilicet Saul & viri eius cingebant Dauid in modum coronæ, ita vt de fuga quaſi prorſus deſperaret: & propterea nunc abundante milite (qui forte adeps principis nominari poteſt) ſe vndique concluſum fatetur. Siue per adipem cor intelligit & viſce-

ra, quoniam circum hæc multa ſolet eſſe pinguedo. Ad Iudæos inſuper CHRISTI perſequutores iſta referẽdo, ipſum Verbum circundederunt. Euangelicæ narrationis exprimit veritatem, quãdo cũm gladiis & fuſtibus Dominum redẽptorẽ, inſanorum turba circundedit. Tunc certe lętitia ſua pingui cooperti ſunt Scribę & Phariſęi, poſtquam cupiditas eorũ de ſcelere ſatiata. Et hoc loco Adeps, nihil verius quàm eorum malitiã deſignat, quam ex tẽporalium abũdãtia & terrena concluſerunt ſeu cõtinuerunt in ſeipſis veluti nunquam amplius receſſuram, ſed cum eis perpetuo futuram, atq; ita poteſtate orta eſt, ad ſimilitudinẽ animaliũ, quę ex adipe inflantur: & hanc, bonis ſaginati, veram intelligẽtiam perdiderunt. Ezechielis cap. 16, Hęc fuit iniquitas Sodomę ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, abundantia & otium. Nam propter hæc ſequitur Dei obliuio, quæ præſentia bona putat eſſe perpetua, & nunquam his ſibi eſſe carendũ exiſtimat, quin talia malis ſuperbiæ ſeminariũ ſunt. Quare Deuter. ca. 8. ſcribitur, Attende ne comedens & bibẽs & ſaturatus, ædificatis optimis domib⁹, habẽnſque oues & boues, obliuiſcaris Domini Dei tui. Diues enim ille Euãgelicus non aliud peccaſſe memoratur, niſi quòd opibus & diuitiis affluens, in tantam erupit ſuperbiam, vt manum nõ porrigeret indigẽnti Lazaro, conditionis ſuæ oblitus, vt ne hoc quidẽ quod proiiciendũ erat, daret miſero. Adde quòd in deſyderiis eſt anima hominis otioſi. Proinde ſemper aliquid agendum, ne ager noſtri pectoris, manu ceſſante, malarum cogitationum ſentibus occupẽtur. Reſtabat autẽ vt qui pinguiſſima immanitate tumuerãt, ſuperba loquerentur. Quapropter nunc ſequitur, Os eorum loquutũ eſt ſuperbiam. Sed benè hîc dixit, tantum ore non etiam corde loquuti ſunt: nanque ſceleratorũ mos eſt, illa frequenter ſermone defendere, quæ noſcuntur conſcientia teſte damnare. Quemadmodũ ita de Iouiniano legimus, qui tametſi & gulam & luxuriam doceret, æquarẽtque matrimoniũ virginitati, neque tamen vxorem duxit, remordente forſan conſcientia, nam ex monacho clericus factus erat, attamen verſute ſemper negabat id ſe facere, quòd hinc prẽmiũ aliquod ſperaret, ſed ne moleſtiis matrimoniorum irretiretur, hoc

Matth. 26

Luc. 16.

Ioan. 21.

eſt, non

eſt, non vt melior eſſet, ſed liberior. Tantũdem egit Epicurus voluptatis aſſertor, frugi ſemper viuens, neque id faciẽs quod docuit, ſed vafrè dicebat, Carnes & exquiſitæ epulæ ingenti cura ac miſeria præparantur, maiorémque pœnam habent in inquirendo, quàm voluptatem in abutendo. Et propterea aſſerebat ſe non poſſe hos varios cauponum ſapores ferre. Sic gulam vno ſimul tempore & ſuaſit & fugit. Ore quoque id foris docuit, quod corde intus reprobabat. Sequitur in textu,

Proiicientes me, nunc circunderũt me: oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.

Aduerte hîc ꝙ ex aduerbio temporis NVNC, inſinuatur quòd oratio iſta tempore illo habita eſt à Dauide, quo exploratis greſſibus eius, à Saule circundatus eſt. Cũ qua ora- 1.Reg.23. tione ſtat quòd de illa circundatione tractat alter Pſalmus, ibi per modum Cantici, hîc per modum orationis. Immo hîc ipſa oratio tunc habita ponitur, & quum Saul. 1. Regũ cap. 23, Ziphæis dixiſſet, Conſiderate & videte omnia latibula eius in quibus abſconditur, quòd ſi etiam in terram ſe obtruſerit, perſcrutabor eũ. Propterea nũc Dauid Domino dicit, Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram: vt ita explicet qualiter ſemper ſiue in terra ſiue in aquis, ſiue in aëre perſequentem habebat, neque illi vſquam tutus refugij locus patebat. Præterea hoc in verſiculo eſt accuſatio Chriſti aduerſus Iudæos, & poſuit regius Vates præſens tẽpus pro futuro ob certitudinem Prophetiæ. Ipſi autem eum proie- Ioan.9. cerunt. Nam Ioannis teſtimonio, Iudæi faciente eorũ inuidia, conſpirauerant vt ſiquis Saluatorem confiteretur eſſe CHRISTVM, extra Synagogam fieret: quaſi locus & à Chriſto & à receptione nominis Chriſti macularetur. Circundederunt quoque eum non obſequio, ſed furore, quem cruci affixerũt. Sicut praui coloni, qui ſeruos Domini in vi- Matth.21. neã eius primũ miſſos occiderunt, nouiſſime perdiderunt & filium ac hæredem illius, quem potius reuereri debuerant. Sed memineris quãdo CHRISTVS paſſus eſt, omnis ter- Matt.26. ra tremuit, ſydera obſcurata ſunt, petræ ſciſſæ, ac monumenta aperta. Miſerrimi vero Iudæi oculos in terram ſta-

ſtatuerunt: quia hominem purum exiſtimauerunt, & diuinitaté non intellexerunt. Vel oculos ſuos in terrã ſtatuerunt, quia ſolũ de terrenis actibus cogitabant, & nunquã ad cæleſtia aduertebant, ſimiles talpis fodientibus ſemper in terris, quorũ cæcitas vſque ad mortem animæ durauit: ſicut talparum oculi niſi in morte (quod æquo tardius eſt) non aperiuntur. Hæc cæcitas auarorum præſignatur per cæcitatem mendici, qui ſedebat ſecus viam prope Ierico, & mẽdicabat à turba prætereunte, Lucæ cap. 18. Nam ſemper auarus eget, & (vt inquit Seneca) Nõ qui parum habet, ſed qui plus cupit, pauper eſt. Quid enim refert quantum illi in arca, quantum in horreis iacet, quantum præſtet, paſcat, aut fœneretur, ſi alieno imminet, ſi acquirẽda computet? Quis ſit diuitiarum modus, quæris? Primus, habere quod neceſſe eſt: proximus, habere quod ſatis eſt, & certum voto ponere finem. Nõ maneat mens hominis in terra, nõ enim vt animalia rationis expertia prona eſſe videmus in terram, ita creatus eſt homo, ſed erecta in cælum corporis forma, admonet eũ, quæ ſurſum ſunt ſapere. Porrò mira mobilitas, quæ linguæ ac manibus attributa eſt ad loquendum & ſcribendum apta atque conueniens, & ad opera artium plurimarum officiorúmque complenda, nónne ſatis oſtẽdit quali animæ vt ſeruiret, tale ſit corpus adiunctum? Itaque non ſepeliamur hac in terrena ſolitudine, ſed cõſideremus quoniã non habemus hîc ciuitatem permanentẽ, quin futuram inquirimus. Deindè intonat Redẽptor, Suſceperũt me, &c.

(Coloſ. 3.) (Hebr. 13.)

Suſceperunt me ſicut leo paratus ad prædam, & ſicut catulus leonis habitans in abditis.

Adiungitur deſcriptio ipſius Saulis ad Dauidem. Similitudo eius quaſi leonis parati ad prædam, hoc eſt perſeuerantis in deſiderio rapiendi, & quaſi catulus leonis ſedentis in abſconditis. Per quas ſimilitudines denotatur quòd tam occulte quàm manifeſte Saul anhelabat ad mortem Dauidis. Differẽtia enim inter leonem & leonis catulum quidã huiuſmodi tradiderunt, dicentes quòd leo proprio fretus robore manifeſte ac palam rapit, & quòd catulus tanta carens cõfidentia clam atque occultè ſe accingit ad prædam, vnde

vnde abditus cõfidere dicitur. Hæc inſuper ad Chriſtum pertinent. Nã ſuſceperunt eũ Iudæi à Pilato, quãdo Ioãnis cap. 19. tradidit eis illũ, vt crucifigeretur. Suſceperunt autem IESVM & eduxerunt eum ſicut leo, circundãtes ouẽ quã laniarent. Iſtorũ feritas & leenæ, & vrſæ raptis catulis, ſiue cibo indigenti, merito comparari poteſt. Aiunt qui de beſtiarũ ſcripſere naturis, inter omnes feras nihil eſſe vrſa ſæuius, quũ perdiderit catulos, vel indiguerit cibis. At iſtorum crudelitas non ſolũ pantheræ, pardi, & vrſæ ferociam ſuperat, ſed leonis quoque, & omniũ beſtiarũ quæ gignuntur in ſaltibus. Leonẽ, populũ Sacerdotũ: Catulũ leonis, populum ſubditum Sacerdotibus, poſuit Dauid, illis fremẽtibus ſuper innocentẽ IESVM captum, iſtis ſeditioſa rabie deuorantibus, qui habitauerũt in abditis. Nam nefandorũ hominum conſuetudo eſt, mala vota ſua tegere, vt latenter poſſint quod non conceperũt, opere perficere. Sed tu Deus pater (ait Filius) qui diſſimulando videris dormire, & iniquitates hominum non curare, Exurge, &c. Oſeæ 13.

Exurge, Domine, præueni eũ & ſupplãta eum: eripe animam meam ab impio: frameam tuam ab inimicis manus tuæ.

Dauid more humano Domino dicit: Supplanta, id eſt cõſuetudine luctantis deiice Saulem. quod impletũ eſt 1. Regum, cap. 24. & 26, quando Dauid potuit ipſum occidere, ſi voluiſſet. Et iſtud ex eorũ metaphora ductum eſt, qui dum currentem impedire volunt, tibiam aut pedem tranſeunti ſubiiciũt, vt huiuſmodi offendiculo eos in terram proſternant. Nec ſolum Dauid à Saule, ſed à ſociis eius petit ſaluari vitam, quibus Deus vtitur, vt manu ſua ad vindictam malorũ, & probationẽ iuſtorũ. Iuxta illud Eſaiæ 10, Aſſur virga furoris mei. Exurge, præterea nũc Chriſtus Deo patri dicit in peccatores, quem illi putant ſicut homo poſſe quieſcere: atque hoc petit vt tandẽ ipſi cognoſcant eũ vigilare, dum eorũ non permittũtur iniquitates creſcere. Præueni autẽ appoſuit, vt ante ſubuertantur quàm peccata perficiãt. Siue præueni ipſum populũ Iudaicũ, Chriſtũ tuum ſuſcitã-

do,quo reſurgente,eum ſubuertes.Habet enim ruinam hõrum inuidia,ſi hunc quem occidi ſtuduerunt,videant triũphantem. Quapropter nunc ſequitur, Eripe animã meã, id eſt cito fac eam reſurgere : aut hic rogat ſponſum ſuum Eccleſia, liberetur à diabolo, vel ab hæreticis, & ab vno quoque homine malo. Chriſtus autẽ nunc animam ſuam dicit frameam, id eſt gladium Patris: quandoquidem per ipſam diabolum vicit,mundum à ſordida ſuperſtitione purgauit,atq; per eã debellata eſt captiuitas,qua omnis humani generis ſoboles incluſa tenebatur. Hanc ergo petit erui ab inimicis manus,id eſt virtutis Dei. Ipſi enim Iudæi gladium, ſeu poteſtatẽ quam à Deo acceperãt ad punitionem peruerſorũ,& defenſionẽ iuſtorũ,prorſus conuertebant in exterminiũ boni & iuſti, quoſcũque probos & ſanctos iniquẽ affligendo.Nam lapidauerũt Stephanũ, vtrũque Iacobum occiderunt,Paulum denique relegarunt, & antea ſanguine Prophetarum lætati ſunt.Vnde 4.Regum cap.21.legitur quòd tempore Manaſſe effuſus eſt ſanguis innoxius in Hieruſalẽ, donec repleretur vſque ad os.Quapropter tu Domine(orat Chriſtus)à paucis de terra diuide eos,&c.

Acto.7.& 12.

Domine,à paucis de terra diuide eos in uita eorum:de abſconditis tuis adimpletus eſt uenter eorũ.

Precatur Dauid ita ſuos inimicos ab eo diuidi, vt nunquam eum contingant: & eorum opulentiam reformidat, qui pauper & paucis comitatus erat. Sed hæc bona temporalia propterea nominat Abſcondita,aut ratione iudiciorum,quia nobis abſcondita ſunt iudicia Dei, quibus ſatiat impios bonis temporalibus,iuſtos vero paſſim egere & anguſtiari permittit: aut ratione naturæ ipſarum diuitiarum. Nam ſunt velut res abſconditæ,hoc eſt conditionibus ſordidis & obſcuris conſtantes,ad differentiam bonorum ſpiritualium,quæ ex ſe clara & lucida ſunt. Nunc etiam fit oratio cõtra Iudæos,quos in vindictam ſuæ mortis à terra Iudææ eiici,& per omnem orbem diſpergi expetit Chriſtus,vt ſeruiant cæteris nationibus,in oſtenſionem ſui criminis:& à paucis eos diuidi quærit.Siquidem in principio naſcentis Eccleſiæ pauci fideles in regnum Agrippæ ſeceſſerant,

ſerant,

ſerant. Solet etiam ſæpenumero Scriptura per Paucos, pro- Matth. 7.
bos homines ſignificare: quia & praui homines plures ſunt, 20. & 22.
& peiora numero ſemper vincũt. Bene autem intellectus
Iudæorum hîc comparatur ventri. Nam de præceptis legis
& miraculis (quæ modo Abſcondita nominãtur) venter, id
eſt carnalis ſenſus eorum, repletus eſt. Siquidem (teſte Pau Rom. 3.
lo) eis tanquam amicis primum credita ſunt eloquia Dei, & Gala. 3.
lex ipſis pædagogus fuit in Chriſto, qui ex eis ſecundũ car-
nem naſciturus erat: propter quod præ aliis debuit iſte po-
pulus quadam mira ſanctitate pollere, ad quam inducũt lex
& Prophetæ. Verũtamen ſuper his omnibus impugnatus, Deut. 32.
incraſſatus, dilatatus recalcitrauit: nec ei tandẽ ad ſalutem
profecit teſtimonium generis, quia ſcilicet filius eſſet Abra
hæ: quinimmo quanuis his bonis cæleſtibus enutritus, ta-
men vere ſaturatus eſt porcina, id eſt immundicia, & reli-
quias peccatorũ dimiſit poſteris. Quapropter Matth. cap.
23, ciuitati Hieruſalẽ exprobrat Redemptor, Quoties vo-
lui congregare filios tuos, quemadmodum gallina cõgre-
gat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? Sane quemadmodũ hoc
animal tam magnum inditum amorẽ in filios habet, vt eo-
rum infirmitate afficiatur: ita Dei ſapientia per carnem in- 1. Cor. 1.
firmata, ad Iſrael & inſtruẽdum & protegendum, ſi voluiſ-
ſet, venit. In eo autem quod dicit, Quotiens volui congre-
gare filios tuos: omnes Retroprophetas à ſe miſſos eſſe te-
ſtatur. Sed tantas diuitias bonitatis & gratiæ Dei contem-
pſit domus Iacob. Vnde ſequitur, Saturati ſunt, &c.

Saturati ſunt filijs, & dimiſerunt reliquias ſuas paruulis ſuis.

Multi doctiſſimi interpretes hoc in loco legunt, Saturati ſunt filiis: non autẽ porcis ſiue porcina. Dicentes in Hebræo haberi dictionem Banion, quæ filios non ſues ſignificat. Alia exemplaria habent, Saturati ſunt porcis ſeu porcina. Et errorẽ huius variæ lectionis credo ortum eſſe ſcriptorum vitio, quum Græce, dictiones Porcis & Filiis maximam habeant literarum ſimilitudinem. Quòd ſi legas, Saturati ſunt porcina: iſtud bene Iudæis conuenit: nanque au-

diebat ſenſus eorum mandata Dei, & illi ſaturabantur ſordibus peccatorum: nouóque modo bonis cæleſtibus paſti, malorum fæcibus explebantur. Porcina enim ad polluta
Leuit. 11. reſpicit: quæ inter cætera veteris Teſtamẽti præcepta, inmunda prænotatur. Neque aliquãdo tandem rationem ſui
Exo. 7. 8. nominis habuerunt ipſi Hebræi: dudum ſiquidẽ AEgyptus
& 97. propter iniurias illorum, diuerſis plagis percutitur in de-
Exod. 16. ſerto: cæleſti pane cibãtur: omnibus Gentibus terrori ſunt, quòd populus Dei nominarentur, & Deus pro eis pugnaret. His titulis ad virtutem animari debuerunt, & ab inuaſione Chriſti Domini arcere debuit, & Gentis & horum titulorum claritas. Facinus tamen non diſſuaſit, aut Meſſiæ reuerentia, aut beneficiorum ab eo receptorum recordatio. Vſque adeo excæcauit eos impudorata patrandi facinoris volũtas, vt nec generis recogitauerint iacturam, nec vllius diſcriminis habuerint æſtimationem: ſed præcipites & furibundi in Domini victimam feruntur: ſic tranſmittentes reliquias peccatorum filiis ſuis. Quando enim clama-
Matt. 27. uerunt, Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros: peſſimam hæreditatem filiis reliquerunt. Perſeuerat ſiquidem vſque in præſentem diem hæc imprecatio ſuper ipſos: &
Eſaiæ 1. ſanguis Domini nõ aufertur ab eis. Vnde per Eſaiam Deus loquitur, Si leuaueritis ad me manus, non exaudiã vos: manus enim veſtræ plenæ ſunt ſanguine. Si autẽ hîc nunc cũ vulgata editione aliquis legat, Saturati ſunt filiis, adhuc iſtud populo Iſrael quadrat: qui tametſi malus fuerit, tamẽ ad ſtellas cæli, puluerem terræ, & arenas quæ in littore maris ſunt, multiplicãdus erat. Gen. cap. 13. & 22. In reliquiis etiam quas ſuis paruulis dimiſerunt, deſcriptam vides abũdantiam temporaliũ vſque ad nepotes: nempe (teſtimonio Prophetæ) Dominus viſitat domum aut parentelam vſque
Exod. 34. in tertiam & quartã generationẽ: nam tandiu durat proa-
& Nu. 14. uorum ſanguis & memoria. Sed forſitã hanc opulentiã nũc Dauid deteſtãs, Domino dicit ſe maluiſſe ſua paupertate & patientia ſibi diuitias cæleſtes peperiſſe, quàm furtis & rapinis, imitatione ſociorũ Saulis, & Scribarũ ac Phariſæorũ, multa iſto in ſeculo ſuis filiis acquiſiiſſe, quæ tandẽ patrẽ ac charos eius in æternam gehennã perdidiſſent. Probe ergo nunc

nunc (velut alter Seneca) talia intonaſſe cenſeri poteſt,

Regnet quiſque volet alto culmine aulæ,
Me Lare tuto anguſta foueat domus,
Nullis nota Quiritibus ætas per tacitum fluat.
Sic quum tranſierint mei nullo cum ſtrepitu dies,
Obſcurus moriar ſenex. Illi mors grauis incubat,
Qui notus nimis omnibus, ignotus moritur ſibi.

Quapropter quia ad hoc noſtra tēdit oratio, noſtræq; deuotionis affect⁹, noſtra opera, noſtræ patiētiæ exercitia, vt gloria Domini ſatiari valeamus, idcirco ſubiungit, Ego, &c.

Ego autem in iuſtitia apparebo in conſpectu tuo: ſatiabor quum apparuerit gloria tua.

In animo iuſto (inquit Dauid) apparebo in cōſpectu tuo: hîc per gratiā, in futuro per gloriam. Et ideo ſequitur, Satiabor non in bonis tēporalibus, ſed quū apparuerit gloria tua, id eſt Filius tuus qui eſt ſolus vita, & Sanctorū omnium gloria. Felices qui præſentiū deliciarū & vanitatum obliti, merebuntur ibi ſatiari. Pro hoc oportet expergefaciamus Dei imaginem, quam portamus: & id quidem omni ſtudio & conatu, videlicet Deum intelligamus, qui per illam repræſentatur: ipſum amemus, mores, actionéſque noſtras illi conformemus, in eum ſperantes. His artibus hîc parāda eſt nobis hæc adeptio futuræ beatitudinis. Aut ſi Chriſtū nunc loqui velis: Ego (ait Filius Patri) qui non apparui eis qui corde tenebroſo & ſordido lucem veritatis & ſapiētiæ non vident, in iuſtitia tua apparebo in conſpectu tuo deuicta morte. Et quum illi ſaturati ſunt immundicia, vt me nō noſcerent: ego ſatiabor, dum manifeſtabitur gloria tua in his qui me intelligunt. Satiabor, cælos aſcendens, quum apparuerit gloria tua ſanctis & electis tuis, qui per me crediderunt: quia meum eſt quod illis eſt præſtitum. Nam ego in illis ſum, & ipſi in me tecum. Sic gloria Patris oſtenditur in iudicio Saluatoris, quum vnuſquiſque recipiet pro actibus ſuis, ſicut ipſe Dominus Apoſtolis dicit, In illa die cognoſcetis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt. Sic Patris & Filij & Spiritus Sancti vna natura, vna poteſtas, vna gloria

Ioan. 11. & 14.

Ioan. 14.

declaratur. Nos vero à te redempti, Domine IESV, tantã potentiã pietatémq; cernẽtes, ſupplices exoramus, vt examinati diuino igne, nõ ſimus humanorum operum detractores, ſed in té ſtabiles fixíque, tuam gloriã iugiter extollamus in opere, proferamus in fide, laudemus in voce.

IN PSALMVM XVII.

Diligam te, Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum & refugium meum, & liberator meus.

Sentẽtia Hieronymi, titulus huius Pſalmi ad veritatẽ Hebraicã, talis eſt, Victori, ſeruo Domini. Dauid, qui loquutus eſt Domino verba Cantici huius, in die qua eripuit eũ Dominus de manu omnium inimicorum eius, & de manu Saul, & dixit, Diligam, &c. At ſi miraris incongruũ principium à coniunctione copulatiua, recole coniunctionem referri ad internam cogitationem: hoc eſt non ſolum cogitauit hæc olim Dauid ſed & dixit: vel quia non ſimul hæc fuerunt dicta, ſed diuerſis temporibus diuerſæ particulæ quoad ſententias, prout pericula occurrerũt. Ideo inchoauit à coniunctione, vt intelligas Dixit, & dixit, hoc eſt pluries dixit, & quaſi ſimili verborum contextu incipit hoc Canticum, 2. Regum 22. Quid vero per Victorẽ ſignificetur, ſatis in præcedentibus Pſalmis dictum eſt. Sed aduerte quòd non fuerit vna dies liberationis Dauidis de omnibus inimicis ſuis, & de manu Saulis, aut hîc ponitur numerus ſingularis pro plurali, (& eſt ſenſus, pro diebus liberationis eius, &c.) aut dies liberationis ab omnibus appellatur tempus, quo Dauid requiem ſortitus eſt, ſubactis omnibus inimicis ſuis: & hic ſenſus quadrat textui atque hi-
2. Reg. 22. ſtoriæ libri Regum. Edidit ſiquidem Dauid tunc temporis hoc Canticum, ad gratias agẽdum Deo generaliter pro ſalute ſua ex omnibus inimicis, & cõprimis à Saule, cuius
Antiq. Iu. lib. 7. ca. 12. perſequutio fuit ei inter multa & maxima pericula acerbiſſimum malum. Iſtud teſtatur Ioſephus talia de Dauide libro ſeptimo Antiquitatum ſcribens, Expeditus Dauid à

præliis

prælijs & periculis quum, pace iam altiſſima frueretur, cãtica in Deum, hymnóſque vario metro compoſuit:diuerſáque faciens organa, docuit vt Leuitæ ſecundum ea Deo hymnos edicerent per Sabbatorum diem, aliáſque feſtiuitatès. Organorum autem ſpecies huiuſmodi erat: Canora quidem cithara decem chordis coaptabatur & plectro percutiebatur. Nabla vero duodecim ſonos habens, digitis tangebatur. Erant & cymbala ærea & grandia & lata. Veruntamen nunc de his quæ dicta ſunt ſufficiant, ne omnino horum organorum natura neſciatur, ſed potius intueamur qualiter Dauid de cunctis ſuis aduerſariis ſaluus factus, Deum laudandum inſtituerit. Interim autem memineris etiam quòd Paulus ad Roma. affert ex hoc Pſalmo ſalutem Gentium ex diuina miſericordia per Meſſiam: dicens Gentes ſuper miſericordia honorare Deum, ſicut ſcriptum eſt, Propterea cõfitebor tibi in Gentibus, Domine, & nomini tuo Pſalmũ dicã: quod eſt penultimus verſus iſtius pſalmi. Quod ideo dixerim, vt intelligas materiam Pſalmi ſic eſſe laudem Dei pro ſalute & victoriis Dauidis, vt tamen terminetur ad diuinam laudem futuram in Gentibus propter Meſſiam promiſſum ex ſemine Dauidis. Nam totus hîc Pſalmus, ſub perſona Dauid ad Chriſtum pertinet. Et forte cãtabatur à Leuitis ad victoriam vocum, quia lex vetus omnibus neruis vocabat Chriſtũ, veniret ad redimẽdũ & liberandũ genus humanũ, acciperétq; imperiũ totius mũdi. Quare hîc noſtrũ erit propoſitũ vt myſtica hiſtorię Regũ admiſcẽtes, hunc Pſalmũ & ad Chriſtũ & ad eius Eccleſiam referamus. Proinde continet multa ſacramenta diuerſáque Eccleſiæ tẽpora. Cãticũ eſt lætitiæ pro die reſurrectionis quo vere liberauit Deus Pater Filium ſuum, cæteros etiam in ſpe. Et Dauid ſecundum hiſtoriã cantauit iſtud canticũ, quũ perſequutionẽ pateretur ab inimicis: Chriſtus vero in paſſione, dũ morte mortẽ vicit: Eccleſia quoq; in perſequutione, quę more palmę, quãto plurib⁹ tribulationibus onerata, tãto plus valuit, atq; firmius ſtetit. Dicãt ergo hîc Dauid, Chriſtus, & Eccleſia, Diligam te, Domine, per quem fortis ſum ad exercendũ bona, tollerandum mala, & expugnandũ tentamenta, &c. atq; liberati ab hoſtibus ſuis recte

Rom. 15.

confiteantur Dominũ ſuam eſſe virtutem : quo donante factum eſt vt inimicis ſuis fortiores apparerent. Id enim tantum reſtat de omnibus ereptis. Quę tamen de CHRISTO ſcribimus, ea ſecũdum hominem accipe. Is vero diligit Dominũ, qui mandatis eius deuotus obtemperat, ſicuti teſtatur
Ioan. 14. per Euangeliũ, dicens, Qui audit verba mea, & facit ea, hic eſt qui diligit me. Poſt hæc regius Vates ſingulis diuerſiſque verbis prędicãdo, declarat quid ſit Dominus, modo virtus modo firmamentum, modo refugium, modo liberator, modo adiutor, modo protector, modo cornu ſalutis nominatur. Hæc omnia pulchrè oſtendunt quis eius eſt Dominus. Sed iuſte addit Dominum firmamentum ſuum, quoniã ab ipſo conceſſum eſt vt inimicis ſuis in acie firmus obſiſteret, & viuaci animoſitate pugnaret, habens in eo firmũ fundamentum, ne ventis tentationum vſquam moueretur. Forte igitur nunc, aut Dauid aut CHRISTVS homo, aut Eccleſia infert, Domine, firmaſti me, quia refugi ad te. Tu enim mihi ſemper es turris fortitudinis à facie inimici. Refugi autem, quia liberaſti me. Quo ſermone merito liberatorem ſuum Dominum agnoſcit, qui eum de ſæuiſſimi regis Saulis ira, tanquam de inferni ore liberauit, & à principe huius mundi Saule, relictíſque vitiis intactum fecit. Sequitur, Deus meus, &c.

Deus meus, adiutor meus, & ſperabo in eum.

Præſtitorum ſuauitate pellecti & verus & myſticus Dauid, in ſummam repetunt ſuperiora quę dixerunt. Sed conſidera quòd ita percurrunt ſingula, vt nuſquam ſuis meritis præſumant applicare collata, ſed toti à Deo & Domino pendẽt, quem ſuum appellant, per ſpecialẽ cultum & gratiam, quibus dignatur ab eis coli. Eligamus quo vocabulo Creatorem noſtrum nominare volumus: Deus, nomen eſt naturę: Dominus, vocabulum officij: primũ pertinet ad maieſtatem & dignitatem quæ ipſe eſt: ſecundum, ad poteſtatem & dominium quod in nobis exercet. Deus dicitur qui nos & omnia ex nihilo creauit: Dominus cui cuncta ſubduntur. Itaq; iure illius aut filij aut ſerui eſſe debemus, quẽadmodum loquitur Malachiæ cap. 1, Si Pater ego ſum, vbi eſt honor

eſt honor meus? Si Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? Sed cõſidera quòd filius ac ſeruus in Scripturis ſanctis, voluntate fiat, nõ neceſſitate naturæ. Qui enim ſpiritum adoptionis acceperit, in Filium Dei vertitur: qui autem ſpiritũ ſeruitutis, in timorem Dei ſeruus efficitur. Vult itaque primum Deus vt filij eius ſimus, & bonum volũtate faciamus. Si hoc conſequi nolumus, vt ſaltem ſeruos nos habeat, & à malis, per ſuppliciorum formidinẽ recedamus. Sic enim (teſtante Eſaia) à timore ſpiritũ bonum parturimus. Seruus enim etiam honorat dominum, quanuis non eadem charitate qua filius: ſed Deus ſciens differentiam ſerui & filij, à filio gloriã, à ſeruo timorẽ, qui eſt initiũ ſapientiæ, expetit: vt de timore ſerui, ad gloriam filij tranſeamus. Sic in vno oſtẽditur nobis quid amemus, in altero quid reformidem⁹: in vtroque quid credamus, quid ſperemus. Propterea vero regius Vates nunc Deum adiutorem ſuum dicit, qui ei adiutorium prius vocationis ſuæ præſtitit, vt ſperare in illũ poſſet. Sed quia etiam nobis cooperator eſt in bono, ideo ſubdit, Sperabo in eum. Inſuper de futuro fiducialiter ſperare ſe dicit, qui eum in præteritis ſenſerat adiutorem. Mox ſequitur pulchra ratio tribus comitata beneficiis, cur ad ipſum ſpẽ ſemper dirigam⁹, quia videlicet Protector me⁹, &c.

Roma. 8. Eſa. 26. Prouer. 1.

Protector meus, & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus.

Protector eſt Deus defendendo & tegẽdo (ſicut ſcutum) contra quaſcunque inſidias ſiue inſultus malorũ. Quod autem hîc dicit regius Pſaltes Cornu ſalutis ſuæ Dominum, ad inimicos pertinet diſſipandos. Cornua enim ſunt arma beluarum, quibus ſalutem ſuam ſolerti concertatione tuẽtur. Et quemadmodum in animante cornu eminet, ita Chriſtus eſt eminens noſtra ſalus, qui infirmitatem hominis reparauit, & ſaucio ac læſo adfuit. Ipſe ſiquidem humanã naturam quæ per peccatum in Adam ceciderat, eam aſſumendo ſubleuauit, & per mortem ac paſſionem ſananit: tum demum in ea reſurgendo & ad cælos aſcendendo, ſic eam gloria & honore multo donauit, atque erexit cornu, id eſt firmam celſitudinem ſalutis nobis. In cuius figuram Dauid &

1.Reg. 16 & 3.Re.1. 1.Reg.10. Salomon cornu olei ſunt in regni gloriam conſecrati, vt prius Saul lenticula. Non ergo in cornu illud ſuperbiæ, ſed in cornu ſalutis Meſſiæ, adiutorium habere cõfidamus. Et ideo (inquit Dauid) Ipſe erit ſuſceptor meus: tãquã medicus infirmum ſuſcipiens ad ſanandum. Ecce dulcor accepti beneficij, repetitionem facit & ſenſus & verborum. Supra enim Adiutorem nuncupauit, quem hîc nominat Suſceptorem. Suſcipitur etiam Eccleſia in fide, & ſuſceptus eſt Chriſtus à Patre in humanitate, quem à dextris in cælo recepit, & collocauit. Non quòd filius priorem locum occupet, qui natura Patri eſt æqualis, & ratione qua homo eſt, cedere debuit Patri primam ſedem. Sed aut Pater ſedet in throno maieſtatis ſuæ, & ita iubet Filium hominem ſibi à dextris, hoc eſt in ſecundo loco ſedere. Aut præſtat ſe Filio tanquam ſtipatorem protectorémq;: & tunc reponit Filium in primo, hoc eſt in tutiori loco: & ſic in Pſalmo decimoquinto dictũ eſt, Prouidebam Dominum in cõſpectu meo ſemper, quoniã à dextris eſt mihi, ne cõmouear. Iſtorũ tantorũ beneficiorũ nõ immemor Dauid, propterea intonat, Laudãs, &c.

Laudans, inuocabo Dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero.

Poſt omnia ſuperata pericula, filius Iſai non elatus ſe iactat, ſed omnia Deo tribuit, qui dignatus eſt vniuerſa præſtare: neque ſuam, ſed Domini gloriam quærit. Vnde autem quòd ordine quodam naturali hîc ſuccedunt laus Dei & inuocatio eius, vt ſcilicet laudatus Deus inuocetur &

Ioan. 2. & Rom. 10. non erit vnde noceant impietatis errores, ſed omnis qui inuocauerit nomẽ Domini ſaluus erit. Ecce quãta eſt vtilitas laudare Deum. Si enim & in proſperis, & in aduerſis quis Deum toto corde laudauerit, nullus ei poterit nocere inimic⁹. Qui autẽ aliter facit, ſibi relictus perit, tametſi forſan ſibi viciſſe videatur. At forte cum Apoſtolo dices, Quomodo inuocabunt homines, in quem non crediderũt? Pro-

Rom. 10. pter hoc ſymbolum, intuere (vt inquit Auguſtinus) hanc inuocationem perfici fide, ſpe, & charitate. Fides credit ac laudat: ſpes & charitas orant atque inuocant, ſed ſine fide eſſe non poſſunt: ac per hoc & fides orat & inuocat.

Propter

Propter quod Apoſtolus Paulus fidem, quæ per dilectioné operatur, approbat atque commendat: quæ, vtique ſine ſpe eſſe nõ poteſt. Proinde nec amor ſine ſpe eſt, nec ſine amore ſpes, neque vtrunque ſine fide. Poſtea ſubnectit Propheta fructum ſuæ iuuocationis, vt intelligas quòd laudatum Deũ vocare non eſt vanum, ſed perutile. Quia (inquit) inde ab inimicis meis ſaluus ero. Hac via Dauid à Saule, Chriſtus à Iudæis, Eccleſia ab hæreticis liberatur. Et meritò ab inimicis ſaluari deſydero (ait Dauid) Nã circundederunt me dolores mortis, &c. Gala. 5.

Circundederunt me dolores mortis, & torrentes iniquitatis conturbauerunt me.

Nunc Dauid appellat dolores mortis, inſidias ſuorum inimicorum, quibus ſatagebant eum ad mortem tradere: quem & præ inuidia dolebant viuere. Simul etiam Dolores mortis, nominat Satellites Saulis poſitos ad cuſtodiendum domum, in quam ipſe declinauerat, ne exiret nocte, & ad hoc vt manè interficeretur, quibus illuſit Michol, deponés maritum per feneſtram, & (vt refert Ioſephus) his qui à patre miſſi erant nuntians quòd nocte fuiſſet factus infirmus, oſtendens lectum coopertum, & iecur pecoris, quod ſub ſago iacebat palpitans, & his artibus ęgrotum vere eſſe & dormire perſuadens. pro quo lege 1. Regum. decimumnonum caput. Torrens autem iniquitatis intelligit & homicidiũ Vriæ, & adulterium cum Berſabea, ſimul peccatum ſuum in dinumeratione populi, pro quibus pluries preſſus, & anguſtiis multis conturbatus, ſicuti patet 2. Regum cap. 12. & 24, quando Rex videns angelum euaginato gladio in Hieſolymam properantem, clamauit ad Dominum dicens, Iuſtum eſſe vt ipſe puniretur, qui paſtor erat, & greges qui nihil deliquerant ſeruarentur: & in ſe poſcebat iram Dei conuerti, & in generationem propriam prouenire ſupplicių̃, vt innoxio populo parceretur. Et has ſuas preſſuras torrentis ſimilitudine vocat: quandoquidem & cito & inopinato, rapide tamen ac multo cum impetu exundarũt, atque ita Dauid præterita narrat, vt amplius futura non formidet. Aut ſi mauis nunc ſit vox Chriſti vel Eccleſię: iam ventũ eſt

1. Reg. 19

Antiquit. Iudaic. lib 6. cap. 12.

ad hunc ordinem quo pro cladibus humanæ ſobolis Meſ-ſias communis precator accedat. Et ne putares gemitus de iactura facultatis eſſe, addidit, Dolores mortis. Tanta ſiquidem eſt (authore Auguſtino) vnitas CHRISTI ad ſua membra myſtica, quòd communicantur idiomata. Qua de re fit, Chriſtus miſerias & infirmitates omnes quas in Adã contraximus, ſuos dolores mortis eſſe dicat: ſicut patronus cauſam quam defendit, dicit eſſe ſuam, & fideiuſſor debitũ alterius fatetur eſſe ſuum. Ipſe inſuper non verius alia ex cauſa neceſſitatem moriendi aſſumpſit, quàm vt ſic morte mortem deſtrueret, & nos à mortis imperio liberaret. Nẽpe verè mors erat, vbi diaboli poteſtas regnabat: quod regnũ paſſione CHRISTI deletum eſt. Torrentes verò iniquitatis oſtẽdit fuiſſe turbas iniquorum in eum inſurgẽtium: quæ (ſicut torrens) hyeme infidelitatis vigente, intumuerunt: protinus tamen æſtate ſeu calore charitatis accedente, effluxerunt. Aut torrentes iniquitatis, dicit maculas vitiorum, quas in Adam contraximus. Illę ſiquidem torrentium more rapide omnia noſtra gratuita abſtulerunt, & hominem grauiter vulnerauerunt, relinquentes infirmum, & in intellectu, & in voluntate, & in ſenſu. Hac calamitate ſecundum hominem conturbatus eſt Chriſtus, qui & propterea pœnas, deformitatem culpę, non decentes, ex Adam reportauit. Sequitur, Dolores inferni, &c.

Dolores inferni circundederunt me, præoccupauerunt me laquei mortis.

Dolores inferni dicit Dauid ad denotandam certam definitionem mortis Dauidis iam inſtitutam à Saule: & quia
1.Reg.19. ante lucem (vt dictũ eſt) cuſtodes miſſi ſunt à ſocero, in quos impingeret gener, ſi exiiſſet domum: ideo ait, Præuenerunt me laquei mortis. Satellites enim aſſimilati ſunt officio laqueorum ſeu funium in cuſtodiẽdo. Ab his rememorat Dauid ſe fuiſſe & circundatum & præoccupatum, qui eius mortem operari feſtinabant, atque eum ad infernum ſeu limbũ patrum deducere putabant. Aut ſi CHRISTVS pro ſuis & Eccleſia loquitur, Doloribus inferni circũdatus eſt, quãdo deſcendit vt gemitum patrum in limbo captiuorum auferret,

ferret, & vinctos de carcere & lacu mortis educeret. Præuenire verò dicimus, quando aliquid nos anticipare dignoſcitur, vt eſt ille reatus originalis peccati, qui nos antequam naſcamur, ab ipſo conceptu laqueis mortis tum corporis tũ animæ reddit obnoxios. Hanc miſeram mortalis conditionem deplorat Meſſias, videlicet per vnum hominẽ peccatum intrauerit in mundum, in quo omnes peccauerint, & per peccatum ſit mors. Sed forte quæres quomodo tale in paruulo inuenitur peccatum: non peccat iſte qui naſcitur, non peccat ille qui genuit, non peccat ille qui condidit. Per quas igitur rimas inter tot præſidia innocentiæ dicimus peccatum ingredi? Pro hoc iſtas analogias acccipe. Quomodo enim præputium per circunciſionem aufertur, manet tamẽ in eo quem genuerunt circunciſi: quomodo etiam palea, quæ opere humano tanta diligentia ſeparatur, manet tamẽ in fructu qui de purgato naſcitur tritico. Ita peccatum originale quod in parentibus per baptiſmum mundatur, manet in eis quos genuerunt, atq; hoc modo ipſum anima cõtrahit. Nempe ea cum corpore facit compoſitum quod eſt filius Adæ. Et dum is filius naſcitur, carens iuſtitia originali cum debito ſeu oblatione habendi eam, ipſe ſic in iniquitate conceptus eſt, & in peccato concipit eũ mater ſua. Quippe aliud non refert ipſa originalis labes, niſi carentiam iuſtitiæ originalis debitè ineſſe. Hic verò filius propterea patrem Adam refert, quia per rationem ſeminalem lege communi propagationis factus, atque ita iuſtitiam originalem in protoplauſto perdidit, quomodo & eadem in ipſo primo parente omnibus ſeruari poterat, ſi ſtetiſſet. Et ſicut quondã omnes Hebræi, qui erant in AEgypto, concipiebantur & naſcebantur in ſeruitute, propter quam affligebãtur & anguſtiabantur ab AEgyptiis, ita omnes filij Adam concipimur & naſcimur in ſeruitute peccati originalis. Eiuſce rei cauſa omnes ingemiſcimus & parturimus vſq; adhuc. Tãtam ergo hanc communem iacturam animo mentéque reuoluens Propheta, ad Deum confugit, præſertim quum in anguſtiis & periculis potius recurrendum eſt ad auxilium diuinum, quàm humanum: & idcirco ſubiungit, In tribulatione mea inuocaui, &c.

Rom. 5.

Pſal. 50.

Rom. 8.

In tribulatione mea inuocaui Dominum, & ad Deum clamaui.

Inter mala multa quæ dixit regius Vates, vnũ & ſingulare profitetur eſſe remediũ, inuocare Dominũ in tribulationibus ſuis, quando cõſtat totis viribus peti quòd tẽpore neceſſitatis optatur: & iure ad Deũ clamamus, qui eſt vnicum inter aduerſa remediũ. Mala quoq; quę interim premũt, ſic ad Deum eundũ eſſe oſtẽdunt. Clamare vero, plus eſt quàm Inuocare. Creuit in anxio Dauid ſermo, progrediẽte deſyderio, & accenſus animus ad orationẽ, in eam proſiluit auidus. Si ergo te circundãt dolores & laquei mortis ac inferi, ſi perturbationes iniquitatis intus in corde, inuoca Dominũ, & toto cordis affectu clama ad Deum tuũ, & ipſe te eripiet de omni tribulatione. Inquit enim Eccleſiaſticus, Reſpicite filij nationes hominum, & ſcitote quia nullus ſperauit in Domino, & confuſus eſt. Quis enim inuocauit illũ & deſpexit eum? Quoniã pius & miſericors eſt Deus, & remittit in die tribulationis peccata, & protector eſt omnibus exquirentibus ſe in veritate. Oratio ſiquidem eſt ſcutum noſtræ defenſionis, quod mediat inter Deũ & nos. Atque orationis puræ (inquit Auguſtinus) magna virtus eſt, & velut fidelis nuntius mandatum peragit, & illuc penetrat quo caro non peruenit. Quare Eccl. 35. ſcriptum eſt. Oratio humiliantis ſe, penetrat cælos & nubes. Itaque nunc ſequitur effectus certa ſpe ex oratione conceptus. Et exaudiuit, &c.

Eccleſiaſtici 2.

Et exaudiuit de templo ſancto ſuo uocem meã, & clamor meus in cõſpectu eius introiuit in aures eius.

Siue de cælo, ſiue de corpore Domini, quod venturum eſſe præuidebat Dauid, templum non indecenter aduertimus: aut De templo ſancto ſuo, id eſt De ſeipſo. iuxta illud Apoca. cap. 21, Dominus Deus omnipotens templum illius eſt. Exauditam ergo dicit vocem ſuam quam de aduentu Domini iugiter offerebat. Quippe ſicut clamor filiorũ Iſrael in AEgypto penetrauit cælos, & introiuit vſque ad aures Dei, ita vt eis propterea miſerit Moyſen liberatorẽ: ſic Deus Pater audiuit vocẽ & eiulatũ Patriarcharũ ac Prophetarum,

Exod. 3.

ctarũ,atq; proinde miſit CHRISTVM,Filium ſuũ,qui per mortẽ & reſurrectionẽ redemit genus humanũ à ſeruitute peccati, ſimúlq; eduxit Patres de limbi carcere. Sed perſcrutandum eſt quomodo clamor Prophetę in cõſpectu Dei potuerit introire. Nũc loquitur à ſimilitudine fidelis nũtij, & clamor iſte cauſæ iuſtitia eſt, quæ vtique ad Deũ intrare poterat, quia pro mundi cladibus ſupplicabat. Introiſſe tamen clamor in aures Dei, de cõſuetudine noſtra figuraliter dicitur: nõ quòd clamor orãtis, quaſi aliquid corporale, in aures Dominicas introierit, quũ Deus totum ſpiritualiter ſentiat & antequã fiãt, vniuerſa cognoſcat. Illi enim actuũ noſtrorũ qualitas quaſi quibuſdã vultib⁹ ſemper aſſiſtit, & quod apud nos occultũ, illi noſcitur eſſe manifeſtũ. Sed nũc intellige Dauidem loqui de Deo more humano, quo clamor petentis introire aures illius quem rogamus dicitur, quando oratio exauditur. Hoc autem modo audiuit Deus Pater deprecationem Dauid fidelis, quia tempore aduentus CHRISTI, Commota eſt & contremuit terra, &c.

Cõmota eſt & cõtremuit terra, fundamẽta mõtiũ conturbata ſunt, & cõmota ſunt, quia iratus eſt eis.

Apponit Propheta metaphoras, ſequutus antiquorũ morem, duiuina ſub metaphoris cantantiũ. Et meminit pro ſua liberatione illius admirãdæ eductionis Iſrael de AEgypto, in ſignis & prodigiis terrificis, quia (teſte Lirano) Hebræorum conſuetudo fuit in priuatorum deſcribendis opitulationibus, meminiſſe illius liberationis à ſeruitute AEgyptiaca, quæ fuit communis toti populo Hebræo. Quælibet verò metaphora hoc in Pſalmo ſumitur ab aliqua rationali operatione, quæ attributa Deo, monſtret Deum eſſe actorem operum naturæ, non per modum naturalis agentis, ſed per modum agentis à propoſito, quod eſt principale intentum Prophetę. Quod tamen non intelligas ſic, quòd deſcribatur Deus faciens hæc opera naturæ excluſis cauſis ſecundis (nõ enim hoc intendit Propheta) ſed quòd mediantibus cauſis ſecũdis naturaliter agentibus ipſe agit ex intentione à propoſito libere. Itaque nunc deſcribit Deũ cauſantẽ terrę motũ ſub metaphora Domini irati & terrifici. Secundũ hiſtoriã

Pſal. 67. Iſtud factum fuit quando Moyſes accepit legem in monte
& Hebr. Sina cum terræ motu, qui fuit figura illius qui in paſſione
12. Saluatoris factus eſt, quando conſummato veteri Teſtamē-
Matth. 27 to nouum inſtauratum. Núncque ſic Dauid ſpiritu Prophetiæ ad CHRISTVM deſcendit, atque ipſum mirabili narratione deſcribit. Congruè autem ad aduentū Chriſti & eius legis terra commota eſt: quoniam præſentia iudicis dignum fuit contremiſcere peccatores. Per terram enim, homines in ea habitantes intellige. Memineris inſuper (vt inquit Iudas in ſua Canonica) idem IESVS qui eduxit Iſrael de AEgypto, poſtea vniuerſum mundum eripuit à ſeruitute peccati. Quare nunc per repetitionem ſignorum quæ olim facta in AEgypto, noſtra redemptio depingitur. Sed ſeruauit regius Vates ordinem rei, vt prius oſtenderet terram motam, poſtea diceret eſſe tremefactam. Primum enim adductus eſt mundus ad pœnitentiam, poſtea contremuit audito per Apoſtolos, reliquóſque prædicatores quòd futurū eſſet iudiciū, & ita clarificato Filio hominis, commoti ſunt & cōtremuerunt peccatores. Per fundamēta verò montiū ſignificat diuitias, honores & cætera mundi fluxa, quibus faſcinati ſuperbi, his tanquam firmiſſimis fundamentis innituntur. Sed hæc omnia in CHRISTI aduentu turbata ſunt, quia mundi falſa ſpes, vero Domino veniente, ſublata eſt. vt ſcilicet iam firmamentum non haberet in cordibus hominum ſpes temporalium bonorum. Protinus ſubiūgitur cauſa quare commota ſunt fundamenta ſuperborum: videlicet quoniā iratus eſt eis Deus, & ita Aſcēdit fumus, &c.

Aſcendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarſit, carbones ſuccenſi ſunt ab eo.

Deſcribitur opus naturæ apparens in igne, & cōſiſtit metaphora in ſimilitudine hominis vehementer irati, in quo ſpiritus, tanquam fumus aſcendunt ad partes ſuperiores, & accenſus ſpirat tanquam emittens ignem. Itaque nunc loquitur Litera de Deo ad ſimilitudinem hominis bilioſi, de cuius ore & naribus exit fumus: & aſſerit hunc ignem ex-
Exod. 78 arſiſſe à facie Dei: vt ſic innuat plagas quibus quōdam percuſſa AEgyptus (de quibus ſuprà) atque deletionem Saulis,

& cætero.

& cæterorum hoſtium Dauidis, Dei pręcepto atque voluntate veniſſe. Præſentia etiam ad Chriſtum referẽdo, Fumus hîc in bono accipi poteſt, pro lachrymoſa cõpunctione & deprecatione pœnitentiũ, quũ in aduentu Meſſiæ cognouiſſent quid minetur Dominus impiis in iudicio. Sicut enim terrenus fumus lachrymas mouet, & in altũ aſcẽdit: ita recordatio fumi huius iudicij pœnitẽtiæ calore ſuccẽſa, mentẽ in Deũ eleuat & fructuoſè perfundit fluenta lachrymarũ. Fumus ſiquidẽ ex duabus rebus fit, igne videlicet & aqua. Per fumũ, lachrymæ excitãtur, per ignẽ compunctio cordis intelligitur. Nihil in nobis corde fugatius, quod quoties p̱ prauas cogitationes defluit, toties Deũ offendit. Cor noſtrũ, cor vagũ, inſtabile, dum ſuo ducitur arbitrio, & diuino caret conſilio, omni mobili mobilius per infinita diſtrahitur. Siſti tamen poteſt, quemadmodũ & argentũ viuũ, ſi ei fumũ ſulphuris, hoc eſt pœnarũ inferni recordationem adhibeas. Sic enim ſtatim cõcipimus timorẽ, & per timorẽ cõtinemus cor. Propterea nũc additur IN ira eius, ad ſignificandũ ipſum tempus quo Deus hic peccatores futuri iudicij timore cõturbat, vt eos ad pœnitẽtiæ viã inflectat. Quis vero totus nõ tremiſcat audito tam reformidãdo aduẽtu, & protinus ſibi miſericordẽ ac piũ iudicẽ nõ deſyderet? O anguſtiæ! hîc erunt peccata accuſantia, inde terrens iuſtitia, ſubtus horrendũ cahos inferni patẽs, deſuper iudex iratus, intus conſcientia vrens, foris mundus ardens. Peccator ſic deprehenſus in quã partẽ ſe premet cõſtrictus? vbi latebit? Quid mirum igitur ſi (veluti ſcribitur Eccleſiaſtici cap. 18,) ante iudiciũ paret viator iuſtitiam, & in omnibus operibus ſemper meminerimus nouiſſimorũ, vt in æternũ nõ peccemus. Hoc pacto facile cõtemnet mũdũ, qui putabit ſe quotidie moriturũ, & cũ rerũ natura deliberans, id meditabitur vt poſſit æquo animo vitã relinquere. Atq; hoc modo ignis charitatis à facie, hoc eſt à notitia Dei exardeſcet in nobis. Ignis quippe charitas eſt virtutũ progreſſionibus creſcẽs, quæ quanto magis concupiſcitur, tanto efficacius ampliatur. Et ita Carbones, id eſt peccatores ſuccẽſi ſunt à Domino. Extinguuntur carbones ab aqua, quæ eſt cupiditas, inflammantur per gratiã, quæ eſt Spiritus Sanctus. Qui enim Eccleſ. 7.

iam mortui ſunt, deſerti ab igne boni deſyderij ac luce iuſtitiæ, & frigidi tenebroſique remanẽt:rurſus à Chriſto accenſi & illuminati reuiuiſcunt, & pœnitentia inflammante ex mortuis primis vini incipiũt eſſe carbones. Sed quomodo hæc omnia fiant, Sequitur, Inclinauit cælos, &c.

Inclinauit cælos & deſcendit, & caligo ſub pedibus eius.

In hac metaphora deſcribitur Deus habitator cæli, velut exiſtens in excelſo loco, ex quo abſque gradibus deſcendere volens, ipſum inclinauerit vt deſcendat. Deſcendens autem ponit pedes ſuper locum paululum à terra eleuatum, loco cuius ponitur hîc caligo, ita quod deſcribitur Deus velut homo exiſtens in cęlo, inclinans cælos ad hoc vt deſcendat, non vſque ad terram, ſed ponendo pedes ſuper caliginem ambientem terrã. Veritas autem ſignificata per hanc metaphorã ex parte Dei eſt, quòd Deus eſt author & ordinator virtutis cæleſtis ad producẽdos effectus in iſtis inferioribus (nam inclinare cælos nihil aliud eſt quàm ordinare cælos ad agendum in hæc inferiora) & quòd ipſa virtus diuina per ea quæ facit mediãtibus cæleſtibus corporibus, deſcẽdit in hæc inferiora. Ex parte autẽ cælorũ deſcribitur ſubiectio corporis cæleſtis reſpectu diuinæ voluntatis, ſicut & idem fit per caliginem ſuppedaneam, quæ ſignificat effectũ cæli infimũ. His metaphoris potes concipere & tenebras has palpabiles, quas tribus diebus olim fecit Dominus in AEgypto: de quibus Exodi cap. 10. & reliqua portenta in quibus ſaluauit Deus iuſtũ ſuũ Dauid. Volẽs inſuper nobis Propheta abditũ diuinę incarnationis myſterium ſignificare, ait quòd Pater inclinauit cælos vſque ad terrã, & quòd Filius ſine ſtrepitu deſcendit: occultè enim ac latenter, inſcijs nimirũ aëreis poteſtatibus, habitauit in Virginis vtero: atque ita Deus pater inclinauit cælos, miſſo Filio in

Philip. 2. terras ad hominem redimẽdũ: qui exinaniuit ſemetipſum, & quaſi dignitate ſe exuit, dum formam ſerui ſibi vniuit, in ſimilitudinẽ hominũ factus: quæ ſimilitudo verum hominẽ

Hebr. 4. exprimit. Humiliauit enim ſe Verbum, vt ſine peccato quidem, ſed tamen ſimilitudinem carnis peccati ſumeret. Nam

fuit

fuit paſſibilis & mortalis ſicut reliqui homines. Deſcendere autem illi, fuit ad nos venire, qui etiã cælos inclinauit, id eſt humiliauit cæleſtia, ſubdens angelos humanæ naturæ. Sed caligo, id eſt diabolus, qui hominũ mentes obnubilat, ſub pedibus iſtius Meſſiæ, quia vnde humilis in carne apparuit, inde principẽ tenebrarũ omnimoda ſubiectione proſtrauit, & Eccleſiæ ſuæ proſternendum dedit. Siue ſi per caliginem arcana Scripturæ ſacræ intelligas, hæc ſub pedibus eius quaſi ſanctis & ſynceris doctoribus credita, qui pedes Chriſti dicuntur, quia per eos ad omnes ipſe peruenit. Non enim Spiritu humano allata eſt prophetia, ſed Spiritu Sãcto inſpirati, locuti ſunt hi ſancti Dei homines & Prophetæ. Quare nec paſſim nec ab omnibus tractanda noſtræ fidei myſteria. Sed hæc caligo ſub pedibus Chriſti ſeruatur. Non enim Chriſtus coram omnibus Apoſtolis transfiguratus eſt, ſimiliter nec omnes aſſumpſit, cum quibus in orto, inſtante paſſione ad Patrẽ oraret, neque à Diſcipulis fuit dæmoniacus ille lunaticus ſanatus. Quapropter oportet infirmiores à maioribus altiora fidei accipere. Interim autem (inquit Auguſtinus) bonæ ſunt in Scripturis ſacris myſteriorum profunditates, quæ ob hoc teguntur, ne vileſcãt: ob hoc quæruntur, vt exerceant: ob hoc aperiuntur, vt pateant. Subnectit Pſalmographus, Et aſcendit, &c.

2. Petr. 1.

Matt. 17.
Matt. 26.
Matt. 17.

Et aſcendit ſuper Cherubin & uolauit, uolauit ſuper pennas uentorum.

Nunc inſinuat Dauid nomine volatus, quàm cito præſtò habuit auxiliũ diuinũ cõtra ſuos aduerſarios: ſimul etiã deſignat Dei prouidentiã ad creata. Aſcẽdit quidẽ Deus ſuper Cherubin, quaſi à principio mundi præſederit motori primi mobilis: ET volauit, hoc eſt velociſſimo motũ motus eſt, non ſecundum ſeipſum, ſed ſecundum ſubiectam ſibi creaturam, puta cælum: nõ tamen quòd ad motum cæli ipſe per accidens motus ſit. Et vt intelligas modum volandi, adiunxit explicãdo, Volauit ſuper pennas ventorũ, vel Cherubin volauit: quia Exodi cap. 36, Angeli figurantur alati. Et in Geneſi, Moyſes ait, Et Spirit⁹ Domini ferebatur (ceu volans) ſuper aquas. Quare forte veritas ſignificata per hãc Gen. 1.

metaphoram ex parte quidem Dei eſt,quòd Deus præſidet cælo & motori illius,ſicut equitans præſidet equo. Ita quòd eſt cauſa & motus & velocitatis cæli & vtriuſque, vt agens à propoſito, ex parte autem cæli & motoris eius eſt, quòd angelus motor etiam ſupremi cæli ſubiectus eſt diuinæ voluntati:& ſimiliter motus cæli,& velocitas eius ſumma(qualis eſt velocitas primi mobilis) quanuis ex neceſſitate naturæ determinatum ſit cælum ad ſuam velocitatem, vt tradunt philoſophi. Si vero de Chriſto ſit ſermo, ipſe
4. Reg.2. poſtquam reſurrexit à mortuis, videntibus Apoſtolis non
Acto.21. in curru ſicut Elias, non angelis ſubleuatus, ſed propria virtute aſcendit in cælum ſuper Cherubin,id eſt plenitudinem ſcientiæ.Nam omnẽ modũ cognitionis & intelligentię excedit,quòd caro paſſa,ſic vſque adeo exaltata eſt, & eã creaturis omnibus fecerit Deus adorabilem,quæ terrenas pertulit paſſiones.Nos vero qui ad tam altum explicãdum myſterium non ſufficimus,interim ſpem concipiamus, diuina auxiliante miſericordia, illuc perueniẽdi vbi CHRISTVS IESVS hominem collocauit. Nam dum humanam conditionẽ ſyderibus importauit,cælum poſſe patere credẽtibus monſtrauit. Additur in Litera,Volauit.Quippe cito ſe incomprehenſibilẽ eſſe monſtrauit dilectoribus ſuis,ne illum corporeis imaginationibus comprehendi arbitrarentur. Repetitio verò,volatus celeritatem decenter oſtendit,qua ſe incomprehenſibilem eſſe monſtrauit ſuper virtutes animarũ,ad ſimilitudinem incomprehenſibilitatis
Ioan.3. velocitatis venti:cuius,teſte Euãgelio, vocẽ audis, ſed neſcis vnde veniat aut quo vadat. Nãq; hæc incõprehenſibilitas ſuperat omnẽ vim animę,qua ſe ad Deũ cõtemplandũ, velut pennis in altũ attollit. Re vera etiã vectus eſt in cælũ Domin⁹ ſuper Cherubin,quæ diuinitati proximiora ſunt, licet Apoſtolis vehi ventorum alis viſus ſit, hoc eſt ab ipſis ventis,quos alatos eſſe Propheta introduxit propter velociſſimũ eorũ in aëre motũ· alata enim ſunt omnia quæ per
Acto.1. aërem incedunt.Et quia de Chriſti aſcenſione ſcriptũ legimus quòd nubes ſuſcepit eũ ab oculis eorũ,intellige quòd nubes illa à ventis ferebatur, quẽadmodũ aliæ omnes ferri ſolent.Sed vide quod ſequitur.Et poſuit tenebras,&c.

Et poſuit

Et poſuit tenebras latibulũ ſuum in circuitu eius: tabernaculum eius tenebroſa aqua in nubibus aëris.

Adhuc Dauid nunc pro explicatione prodigiorũ, in quibus liberauit eum Dominus, meminit illius inſignis tranſitus maris Rubri per filios Iſrael, de quo Exodi ca. 14, quãdo in colũna nubis ductor eorum fuit Altiſſimus: quæquidẽ colũna, ſi Hebręis credas, fuit duplex: vna ex parte AEgyptiorum, & illa erat obſcura, ita vt tota hac nocte in ſuo exercitu denſiſſimas tenebras habuerint: vnde cauſa fuit cur Iſrael non inuaſerũt: altera erat ignea, ſupra caſtra Hebręorum, quæ eos tota nocte illuminauit, ſicque tranſiit Iſrael mare Rubrum, & has columnas nũc appellat regius Vates, Latibulum & tabernaculũ Domini. Addit quoque tenebroſam aquam fuiſſe in nubibus aëris, quia ex nubium denſitate cadebant craſſæ pluuiæ ad maius impedimentum AEgyptiorum. Et forſitan iſtis ſimilia aut prope accedentia aliquando pro Dauide (vnde nunc gratias agit) operatus eſt Altiſſimus, tametſi in libris Regum expreſſum non ſit: quẽadmodũ pro legis nouæ confirmatione multa & alia ſigna fecit IESVS quæ nõ ſunt ſcripta in libro Euãgeliorũ. Veritas autem per hanc metaphoram ſignificata ex parte Dei eſt, quòd Deus cauſat & nubes & pluuiã, & ſerenum, ad libitum ſuum: ſicut homo quando vult, locat ſe in ſecreto ſeu tabernaculo: & quando vult, apparet: & hoc in loco litera 2. Reg. ca. 22. legit, Cribrãs aquas de nubibus cælorũ, quaſi Deus cribrans nubes pluat. Et aquæ quidẽ, quia guttatim cadunt, velut per cribrum videntur ſpargi: quum tamen vere continua nubes in continuam conuertatur aquam, quæ deſcendẽdo ob hoc quòd refrangitur vndique ab aëre obuiante, diſcontinuatur, & deſcẽdit ſine angulis velut ſi guttatim ſeu cribro effunderetur. Hunc verſiculum etiam ad CHRISTVM referendo, poſuit obſcuritatem ſacramentorum, & occultam ſpem in corde credentium, vbi ipſe lateret. Nam latuit diuinitas in carne, chlamyde hominis abſconſa: remiſſio peccatorum in baptiſmo, & CHRISTVS in altari, ſub panis & vini ſacramento. Sic aſcendens poſuit tenebras humanitatis latibulum ſuæ diuinitatis, neque

Exod. 13.

Ioan. 20. & 21.

tamen interim ſuos deſeruit, ſed in his tenebris hîc per fidẽ
2.Cor. 5. ambulamus, non per ſpeciẽ: quãdiu quod non videmus ſperamus,
Rom. 8. ac per patientiã expectamus. Verũtamen etſi lateat, eſt in circuitu eius tabernaculũ eius. Puta, quia dum aſſumptus eſt, fuit in circuitu diuinitatis ipſa humanitas, velut tabernaculũ eius. Ex quo collige ipſum Dominũ cum corpore in cælũ aſcendiſſe. Aut nũc eſt in circuitu eius tabernaculum eius, videlicet populus catholicus, in quo ipſe habitat, & in medio eorum eſt, quum omnibus ſine acceptione perſonarũ fauet. At non aperte eum hîc fidelis agnoſcere poteſt per Scripturas veteris Inſtrumenti: nam tenebroſa aqua, id eſt obſcura doctrina, in nubibus aëris, hoc eſt Prophetis, quos ideo nubes aëris appellat, quia ſicut nubes pluuiã portãt, & terrã aridam irrigant: ita ipſi à terrenis eleuati, inferioribus imbrem ſalutis compluũt, & eorũ doctrina corda ſimpliciũ irrigat. Tales tamẽ tenebras poſtea depu-
Ioan.1. lit adueniens lux vera, Quia præ fulgore, &c.

Præ fulgore in conſpectu eius nubes tranſierũt, grando & carbones ignis.

Si de Dauide ſermo eſt: reuertitur ad enarrationem ſub-
Exod. 14. uerſionis exercitus AEgyptiorũ, quando pede ſicco tranſierũt filij Iſrael mare Rubrum. Nam ex nube quæ caſtris eorum imminebat, circa crepuſculũ facta fulgura & tonitrua,
Antiq.Iudai.lib.2. cap.14. quibus rotæ & currus AEgyptiorũ deleti: ita vt (teſte Ioſepho) quũ AEgyptiorũ exercitus omnis intraſſet, mare rurſus effuſum eſt, & deſcendens ventorũ procella, imbréſque ſimul è cælo pariter deſcendentes, & tonitrua grauiſſima, coruſcationéſque labentes & fulmina omnes comprehenderunt AEgyptios, nihilque fuit vindictæ rerum euenientium per iram Dei ad perditionẽ hominũ, quòd eis minime tunc acceſſit, noxióſque caliginoſè & fluctuoſè mare apprehendit. Sicque calore fulminis ſuperueniente, nubes (ex qua pluuia, grãdo & ignis) tranſiit atque cõſumpta eſt. Neque mireris quòd Propheta prius deſcribit ceſſationem grandinis & carbonũ ignis, quàm deſcribat generationem eorum, quã in ſequenti verſiculo deſcribet. Fecit enim hoc quia ſimul ceſſant cum pluuia. De Chriſto vero nunc iſta

intelligendo,

intelligendo, prædicatores inſtar nubium, aquam ſacræ Scripturæ diſtillantes, tranſierunt de Iudæis ad Gentes, ſicut primo filiam principis curare venit IESVS, ſed mulier fluxum ſanguinis patiens, præripuit ſanitatem. Matthæi cap. 9, Hi prædicatores facti ſunt grando, obiurgationibus dura corda feriendo, vt quos beneficentiæ conſolatione ad Deum adducere non valebant, hos minis & terroribus intrare compellerent. Aliis autem fuerunt carbones ignis, ipſos fidei & charitatis ardore inflammando, atque (more Orphei infernales furias muſica ad pietatem reducentis) ſaxea corda hominum, in carnea, diſciplinæ ferula tranſmutando. Doctoris ſiquidem præcipua pars eſt, vitioſos, & à ſe inuicem per paſſiones varias diſcordantes, in vnam ciuilitatem recolligere, & eos per leges & rationes ſapientiæ caſtigare. Sed & nubes (hoc eſt myſtica noſtræ fidei ſecreta) ſunt in conſpectu Dei præ fulgore. Nam tunc omnia limpide cognoſcemus, & reuelata facie, quæ nunc tantùm in nube, ac obſcurè, ſiue per ſpeculum cernimus: nec propoſitionibus exquiretur, nec Parobolis tegetur: quod manifeſta luce tunc declarabitur. Nequis ergo ſe putet eſſe in futura luce, quia hac in via aliquantiſper Scripturas intelligit, Sequitur, Et intonuit, &c. 2.Cor.2. 2. Cor.13.

Et intonuit de cælo Dominus, & Altiſſimus dedit uocem ſuam, grando & carbones ignis.

Pro enarratione magnalium quæ geſſit Dominus in exitu Iſrael de AEgypto, iſta ſatis præcedenti verſiculo declarata ſunt, & ad Dauidis liberationem vtcunque applicata. Conſiſtit autem metaphora in hoc & ſequenti verſu, quòd Deus velut Dominus, puniturus, ſonum emittit & vocem & minas & ſagittas: ita quòd tonitruum eſt ſonus: grando vero & ignis, vox: fulgura, minæ: fulmina autem, ſagittæ. Veritas ſignificata ex parte quidem Dei eſt, quòd Deus eſt author tonitrui, grandinis, &c. & vtitur iſtis, vt Dominus ſuis tubis, ſua voce, ſuis ſagittis, &c. Ex parte autem rerum harum, eſt illarum ſubiectio nutui diuino, neque à natura alienum æquè (per antiperiſtaſim ſcilicet) in nubibus Exod. 12. & 14.

generetur carbo ignis,ſicut & grando. Vnde Exodi cap.9. dicitur, quòd grando & ignis mixta pariter ferebantur: quæ omnia prodigia forſitan ſæpiuſculè contigerunt,quando Dominus inclytum ſuum Dauidem è faucibus inimicorum eripuit, & propterea nunc ipſe gratias agendo iſtorũ meminit. Ad Chriſtũ vero pręſentia referẽdo, intonuit Dees pater ſuper Filiũ,Ioan.ca.12,quãdo eo dicente,Clarificaui & iterũ clarificabo, turba quæ ſtabat & audierat, dicebat tonitruũ factum eſſe. Similiter Altiſſimus dedit vocẽ ſuã in tranſſiguratione. Matth.cap.17. dum adhuc Chriſto loquente,ecce nubes lucida obumbrans eum,& vox de nube, dicens, Hîc eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene

Matth.3. complacui,ipſum audite. Qua in re ſicut baptizato Domino ſic & clarificato myſterium ſanctæ Trinitatis oſtenditur: quia gloriam eius quam in baptiſmo confitetur credendo, in reſurrectione laudabimus videndo. Spiritus Sanctus ibi in columba,hîc in nube lucida:quia qui modo

Matt. 17. ſimplici corde fidem ſeruat, tunc aperta viſione quod crediderit contemplabitur, & ea gratia qua illuſtrabitur,protegetur. Sed & quum opera Trinitatis ad extra ſint indiuiſa, & Filius in Apoſtolis reliquíſque legis diuinæ prædidicatoribus, loquutus ſit:idcirco nunc vocem eorum ſuam eſſe aſſerit. Non enim (dicebat Paulus) audeo aliquid loqui eorum quæ per me nõ efficit CHRISTVS, ad Rom. cap.15.& iſta vox recte grandini carbonibúſque ignitis nũc comparatur. Nam iuxta capacitatem auditorum,modo minando & terrendo intonabant, modo promittendo & demulcendo dabant vocem Apoſtoli, nunc vt grando contũdens, nunc vt ignis inflammans, vt ſic in profundo rerum humanarũ omnes audirent cæleſtia,& qui adhuc eſcã ferre non valebant, ſaltem interim lacte nutrirentur. Eadem ſimul audiebant paruuli & prouecti, quíſque pro modo ſuo capiebat. Subnectit litera,

Et miſit ſagittas ſuas, & diſſipauit eos, fulgura multiplicauit & conturbauit eos.

Sagittæ CHRISTI fuerunt Apoſtoli & Euangeliſtæ cum pennis virtutum recte volantes: ita vt aliis quidem eſſent

eſſent odor vitæ in vitam, & aliis odor mortis in mortem. 2. Cor.2.
Nã neſciunt prædicatores qui ſunt prædeſtinati, omnibus de Chriſto cõſtanter annuntiant: & interim hæc prædicatio Chriſti odor eſt. Quia ſicut quæ non vidẽtur, cognoſcuntur per odorẽ, ita inuiſibilis Deus per prædicationẽ hãc Chriſti intelligi voluit. Odor iſte vegetat diligẽtes, necat inuidentes, quaſi qui inuidet famę Chriſti, bono odore moritur, qui autẽ diligit, viuit in bono odore. Hîc Auguſtinus loco Diſſipauit, legit Diſperſit, tanquam in omnẽ terrã exierit ſonus tubæ Euangelicæ. Seu ſi Diſſipauit legas, verè per Euangelium omnem impietatem, omnéque peccatũ diſſipauit Altiſſimus, fideles recipiendo, impios abiiciendo. Sequitur, Fulgura multiplicauit. Hæc fulgura, fuerunt innumera per ſanctos facta miracula, quæ corda viuentium excitarunt, quemadmodum ſolent crebra viſa fulgura nos in bonum admonere. Prædicatio hæc Euangelij facta eſt in virtute ſignorũ & prodigiorum, in virtute Spiritus Sancti, ad Rom. cap. 15. Signa appellantur, in quibus quum aliquid ſit mirabile, indicatur etiam aliquid futurum: Prodigia vero, in quibus tantummodo mirabile aliquid oſtenditur. In virtute autẽ Spiritus Sancti poteſt illa poteſtas intelligi, qua manus imponebant Apoſtoli ſuper credentes, & ſigno viſibili accipiebant Spiritum Sanctum, vel ſuper infirmos, & ſanabantur. Sic prędicationem eorum virtus cõmendauit, & per potentiam minorũ & maiorum miraculorum, doctrina ipſorum eſt approbata. Iſta tamen fulgura multos conturbauerunt: quæ conturbatio imprimis his cõtigit, qui Chriſtũ ſurrexiſſe manifeſtis argumẽtis agnouerũt, prima facie territi & conturbati, exiſtimantes ſe ſpiritũ videre. Idem legis Matth. ca. 8, De Geraſenis, qui viſo Chriſti miraculo in ſanatione duorum inſignium dæmoniacorũ, exierunt obuiã IESV, & rogabant eum, vt tranſiret à finibus eorum: quod quidẽ nõ de ſuperbia, ſed de humilitate faciunt, qua ſe præſentia Domini indignos iudicabant. Sicut & Petrus in captura piſcium cadens ad genua Saluatoris, & dicens, Exi à me Domine, quia vir peccator ſum. Lucæ cap. 5. Tantundem exiſtimauit & vidua ad Eliam. Id legis 3. Regum cap. 17. Nam timebant Geraſeni ne deſtrueret eos præſen-

Marginal notes: Rom. 10. — Act. 8. & 19. — Luc. vlt.

tia ſanctitatis ſuæ, & propter peccata ſua, ſicut deſtruxe-
rat porcos: quod tamen ſignum fecit Dominus, vt per
Matth. 8. interfectionem porcorum, hominibus ſalutis occaſio præ-
beretur: ſimul vt intelligerent ipſum habere vniuerſorum
dominium, &c. Ecce quomodo miraculis homines bona
conturbatione conturbauit Meſſias, quippe eos ſic ad pœ-
nitentiam inuitauit. Proinde ſubdit Pſalmographus, Et ap-
paruerunt fontes, & cæt.

Et apparuerunt fontes aquarum, & reuelata ſunt fundamenta orbis terrarum.

Si de filio Iſai ſermo eſt, rurſus redit ad enarrationẽ tranſitus maris Rubri per Moyſen & ſuos, in quo fontes qui in fundo maris latebant, minorata aqua apparuerunt. Atque hîc & verſiculo ſequenti metaphoricè deſcribitur Deus velut iratus flatu & increpatoriis verbis efficiens vt appareãt fundamenta orbis & profunda, ſeu effuſiones aquarum. Sed ambiguũ forte videbitur en deſcribatur eruptio aquarum, an deſiccatio earundẽ: Etſi quidem deſcribatur noua aquarum eruptio, inſinuatur apparitio nouæ aquæ ex euerſione alicuius partis terræ, quæ ex interno vento cauſatur. Videmus enim quòd euerſa quandoque aliqua rupe ex vi interiorum exhalationum quærentium exitum, noui fontes ſeu nouus lacus apparet. Si autẽ deſcribitur exiccatio aquarum, tangitur exiccatio lacuum ſeu fluminum: & verſiculo ſequenti additur Ventus, pro cauſa deſiccatiua: more Scripturę. Gene. enim cap. 8. affertur pro cauſa exiccationis aquarũ, diluuij ventus: dũ dicitur, Adduxit Dominus ſpiritũ ſuper terrã, & imminutæ ſunt aquę. & Exodi cap. 14. ſcribitur, Quum extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus, flante vento vehementi & vrente tota nocte, & vertit in ſiccum, & ſic apparuerũt fontes aquarum; reuelatáque fundamenta orbis terrarum, hoc eſt inferiores partes terræ: & hîc ſenſus magis quadrat contextui literæ. Quocunque tamen modo intelligatur, veritas ſignificata ex parte Dei eſt, quòd ipſe eſt author horum vt agens à propoſito, & creatura ſubeſt eius imperio. Verum de CHRISTO ſingula intelligẽdo: eo mortuo & reſuſcitato

fontes

fontes aquarum ſalientium in vitã æternã apparuerunt. Nã Ioan. 4.
aperti ſunt Prophetę, qui antè vix intelligebãtur, ſuper quos
ædificaretur orbis terrarum credens Dominum. Patuit quoque quod hactenus obſcuritas diuini tegebat eloquij, viſa
mira conſonantia Euangeliſtarum, qui tametſi loco & tempore diſtincti, tamen eadem ſcripſerunt, quaſi vno Spiritus
Sancti organo loquuti: receptáque, nunquam ſatis laudata
Septuaginta interpretum in veteri Inſtrumento tranſlatio:
qui (teſtante Auguſtino) à multis non indignis fide narrantur ſinguli cellis etiam ſingulis ſeparati, quum interpretati
eſſent, nihil in alicuius eorum codice inuẽtum eſt quod nõ
iiſdem verbis, eodémque verborum ordine inueniretur in
cæteris. Quod ſiquis iſtud cum Hieronymo, velut fabulam
rideat, quin potius dicat in vna Baſilica congregatos, contuliſſe, nõ prophetaſſe: ſuus cuiq; placeat aut Auguſtinus, aut
Hieronymus. Tamẽ Iuſtinus narrat in Apologetico ad Gẽtes, Ptolomæum regem, quo fidem certius interpretum experiretur, & ex conſenſu veritatem colligeret, domunculas
iuſſiſſe duas & ſeptuaginta cõſtrui: ſecedéréq; vnum quenque in ſuam, quum verſurus eſſet: poſtea contuliſſe omnium
interpretationes, & per omnia inter ſe cõſenſiſſe. Atque ita
hoc vnum ſemper demirandum eſt, os vnum omnibus fecerit Spiritus Sanctus. Sic reuelata fundamenta orbis Eccleſiæ militantis, apertíque ſpiritales fontes, cæteros ex ſe
Scripturarum riuulos emittẽtes. Hoc deniq;, qui ſequitur,
ordine, CHRISTO lucrati fideles, videlicet Ab increpatione tua, Domine, &c.

Ab increpatione tua, Domine, ab inſpiratione ſpiritus iræ tuæ.

AB increpatione, ſonat Ab imperio: ad ſimilitudinẽ increpantis, & talia clamantis, Niſi pœnitentiam habueritis, Lucæ. 13.
omnes peribitis. Iſtud patuit in euerſione Iudæorum per
Veſpaſianum, & Titum. Nam fideles qui reſipuerant, &
Chriſto crediderant, ante aduentum Veſpaſiani & Titi per
angelũ admoniti ſunt, vt recederent de Iudæa, & trãſirẽt ad
regnũ Agrippæ, qui tunc erat Romanis confœderatus: atq;
hoc modo ſaluati ſunt, reliquis Hebræis perditis, qui non

pœnituerant de occiſione CHRISTI. Quare nunc non indecenter per increpationem & inſpirationem accipiemus hanc Chriſti ex Euãgelio ſupra memoratam prædicationem. Nam ſic increpabat peccatores vt pœnitentiam agerent, & inſpirabat vt iram futurã timerent. Et bene poſtquam dixit Increpationem, adiunxit Inſpirationem. Tunc enim vtiliter foris increpamur, quando inſpiramur intus vt timeamus. Ecce quomodo ſemper opportunè à Domino corripimur, & dum foris caſtigat, intus emendat. Atque ſic quoſdam benignè ſicut pius pater, ſuſcipit, nonnullos verò
Act. 9. vt Dominus ad ſe trahit: quemadmodum Paulo cõtigit, qui adhuc ſpirans minarum & cædis, de cælo proſtratus & cæcus factus, audiuit, Durum eſt tibi contra ſtimulum recalcitrare. Itaque amodo iam nullus vtilem inſpirationem ſpiritus iræ Domini contemnat. Deinde loquitur Eccleſia: vbi oſtenditur quo ordine iſta ſunt geſta, Miſit de ſummo, &c.

Miſit de ſummo, & accepit me, & aſſumpſit me de aquis multis.

Continuando narrationem de Dauide à periculis vitæ ſaluo, tractans ipſe dilectionem Dei erga ſe, applicat ipſam ad rem geſtam in Naioth. 1. Regum cap. 19, quãdo poſt ibi narratam euaſionem ex circundata domo propria à ſatellitibus Saulis fugiens venit ad Samuelem, & morati ſunt Samuel & ipſe in Naioth. Quo quum miſiſſet Saul lictores tertiò ad capiendum Dauidem, tandem quarto ipſe Saul venit illuc, & prophetauit cum cæteris tota die illa & nocte, & ſic euaſit Dauid, & fuit ſalus iſta manifeſtè de ſummo ac excelſo diuino brachio, quod reddidit Saulem & lictores cãtantes, velut extra ſe poſitos, atque hoc pacto aſſumpſit ſeu liberauit eum Deus de aquis, id eſt tribulationibus multis. Et appoſitè dixit Aſſumpſit me, hoc eſt ad ſe me duxit. Nam qui aliquem adiuuans, è periculo educit, ad ſe trahere illum ſolet. Quòd autem per Aquas, Tribulationes intelligantur, patet Eſaiæ cap. 8, Adducet Dominus ſuper eos aquas fluminis fortes, & multas, regem Aſſyriorum: cuius potentia occupans terram inundationi fluminis comparatur. Siue ad Eccleſiam, vnde digreſſi ſumus, ſtylum vertendo, hîc iam ipſa loqui-

ipſa loquitur de temporibus Chriſtianis, atque ſua deſponſatione facta cum Chriſto. Miſit (inquit) Deus Pater Filium Oſeæ 2. &
ſuum, & ipſe Filius accepit me in ſponſam, quam indiſſolu- 1. Cor. 11.
bili mutui amoris vinculo ſibi copulauit. Canticorum cap. 7, Ego dilecto meo, & ad me conuerſio eius. Quem locum interpretans Bernardus, hæc ſcribit, Quid ſponſa, niſi congregatio iuſtorum? quid ipſa, niſi generatio quærentiũ Do- Pſa. 23.
minum, quærentium faciem ſponſi? Non enim ille intendit huic, & non iſta illi, propter hoc vtrunque ponit: Et ego illi, & ille mihi: Ille mihi, quia benignus & miſericors eſt: ego illi, quia non ſum ingrata: ille mihi gratiam ex gratia: ego illi gratiam pro gratia: ille meæ liberationi, ego illius honori: illæ ſaluti meæ, ego illius voluntati: ille mihi & nõ alteri, quia vna ſum columba eius, ego illi & non alteri: nec enim audio vocem aliorum, nec acquieſco dicentibus mihi, Ecce hîc eſt CHRISTVS, ecce illic eſt. Hanc deſponſa- Matth. 24.
ſationem clarius adhuc inſinuat Oſeas cap. 2. talia dicens, Deſponſabo te mihi in æternum, & ſponſabo te mihi in iuſtitia & iudicio, & miſericordia & miſerationibus: & ſponſabo te in fide, & ſcias quia ego Dominus. Vbi ter ponit, Sponſabo te, quaſi ter ſigno particulari ſenſibili deſponſata ſit. Primo enim ſic deſpondit eam Deus ſibi in Abraham, Geñ. 17.
cui data eſt circunciſio in ſignum iſtius fœderis: Secunda Exod. 19.
deſpõſatio fuit ſub Moyſe in monte Sinai, in datione legis: & 20.
Tertio fuit deſponſata in aduentu Filij Dei in carnem, in quo fidei lumen amplius refulſit, & harũ nuptiarũ ſponſalia contracta fuerunt. In Prophetarũ ſpõſione perfectũ matrimoniũ fuit per verba de præſenti mutua colloqutione Mariæ & Angeli, vbi Virgo glorioſa cõſenſum præbẽs, ait, Luc 1.
Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuũ. Matrimonium verò conſummatũ fuit in carnis & Verbi vnione. Fœcundatur coniux in Chriſti paſſione, quia de latere CHRISTI fluxit ſanguis & aqua, quibus ſignificabantur Ioan. 19.
ſacramenta per quæ fœcundatur Eccleſia. De quo connubio ita ſcribit Auguſtinus, O magnum ſacramentum huius coniugij! ô quàm magnum myſterium huius ſponſi & ſpõſæ! de ſponſo ſponſa naſcitur, & vt naſcitur ſtatim illi coniungitur, & tunc ſponſa fœcundatur quando ſponſus mori-

tur, & tunc ille ſponſæ magis coniungitur, quando à morta libus ſeparatur, quando ille ſuper cælos exaltatur, tunc iſta in omni terra fœcundatur. Propterea nunc ait, Et aſſumpſit me de aquis multis, id eſt de multitudine populorũ, ex qua ipſa collecta eſt. Nam induratis Iudæis, ad Gentes tranſiit. Sequitur, Eripuit me, &c.

Eripuit me de inimicis meis fortiſſimis, & ab his qui oderunt me, quoniam confortati ſunt ſuper me.

En hîc Dauid de ſua ereptione loquens, minus dicit & plus ſignificat. Nulla enim erat cõparatio inter robur Sau-
1.Reg. 19 lis regis cũ ſuis, & Dauidem ac Samuelem, & pauculos qui cũ eis erant. Aut ſi nunc eſt vox Chriſti vel Eccleſiæ: Deus Pater eripuit Filium à Iudæis, & Eccleſiam ab hæreticis. Oderunt Iudæi Dominum, & hæretici Eccleſiam, qui præualuerunt temporaliter ad affligendam & conturbandam hanc mortalem vitam. Propterea nũc fortiſſimos dicit inimicos, perſequutores truculentos, qui Chriſtianũ populum vexabãt. Sed tunc fatetur ſe magis ereptam, quando tyranni confortati ſuper eam. Tunc enim Eccleſia creſcere meruit, quando eam, data deſuper poteſtate, inimicus afflixit. Nuſquam enim animoſiores athletas habuit, niſi quando efferbuit truculenta tyrannorum rabies: nuſquam ſuos doctiores & eruditiores vidit, niſi quando clam Biblia peruertere molliti ſunt hæretici: nuſquam integriores & moribus magis ornatos habuit, quàm dum contra hypocritas pugna ſuſcepta eſt. O vere diuina prouidẽtia, vt ſuis niſibus deſtruatur inimicus, & quanto ſe putat amplius lædere, tanto eum neceſſe ſit plus boni ſæuiſſima inſectatione præſtare! Subnectit textus, Præuenerunt me, &c.

Præuenerunt me in die afflictionis meæ, & factus eſt Dominus protector meus.

Si de Dauid nunc eſt ſermo, adhuc hîc meminit illius diei
1.Reg. 19 quo in Naioth cum Samuele, reliquíſq; Prophetis ſaluatus eſt à Saul & ſuis. Antequam enim inde fugeret præuentus eſt à lictoribus Saulis ad hoc vt interficeretur, & fuit Dominus modo dicto ei protector ne incideret in manus eorũ.

Præuenit

Præuenit inſuper Achitofel Dauidem, qui dederat conſiliũ Abſaloni vt patrem comprehẽderet antequam aliquem locum munitum intraſſet, 2. Regum cap. 17. Præuenit & ipſum Siba filius Bochri, qui concitauit diſceſſionem populi contra eum antequam rediiſſet ad ciuitatem & domum Regiam. Sed vtraque ſimul longe ſibi diſſimilia conuenerunt, impugnatio temporalis, & æterna protectio. Ad Eccleſiam inſuper redeundo, modo illud tempus ſignificat quo pſeudoapoſtoli veros prædicatores præuenire nitebantur, conantes ſubuertere corda ſimplicium, vſque adeo ſubtilis eſt hæreſis: quemadmodum & ſagitta quæ contento neruo primùm in incautum dirigitur, difficile vitatur. Ante enim ad eum ad quem iacta eſt prçuenit, quàm obice clypei fruſtretur. Adde hæreticos id habere curæ, non quomodo Scripturarum medullas ebibant, ſed quomodo aures populi declamatorum floſculis mulceant, atque hac via Eccleſiam præuenerunt in die afflictionis: puta quando celebrabantur martyria: & quomodo periclitata eſt arca in diluuio, ita periclitatur Eccleſia in mundo: & adhuc nũc hoc pacto res ſeſe habet: nemo ſecurus hunc agrum Dominicum poſſidet. Dormiente ſiquidem patrefamiliâs, inimicus homo zizaniam ſuperſeminauit, ad quam eradicandam quum ſerui ire proponerent, Dominus prohibuit, ſibi ſeruans palearum & frumenti diſcretionem. Hæc ſunt vaſa iræ & miſericordiæ quę in domo Dei ab Apoſtolo prædicãtur. Veniet ergo dies quando theſauro Eccleſiæ aperto proferet Dominus vaſa iræ ſuæ, quibus exeuntibus, Sancti dicent, Ex nobis exierũt, ſed non erant ex nobis: ſi enim fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtique nobiſcum. Sed quandiu hoc in ſeculo mũdata nõ eſt Eccleſia, ſemper Dominus protector eius. Ipſe enim cum ſuis eſt in tribulatione eos protegendo, & liberando, nonnunquam in corpore, aliquando in anima, quãdoque in vtroque, prout videt neceſſitatibus & vtilitatibus hominum expedire. Sequitur, Et eduxit me, &c.

2.Reg.20. Gen.7. Matth.13. Rom.9. 1.Ioan.2.

Et eduxit me in latitudinem, ſaluũ me fecit, quoniam uoluit me.

Vox Dauidis poſt multas tribulationes, regnũ Iſrael pa-

cificum adepti. Aut vox Eccleſiæ, quam dum carnales paſſa eſt anguſtias, eduxit Dominus in latitudinem fidei & ſpei. In Eccleſia ſiquidem catholica hunc eſſe morem fidelium nullus ignorat, vt quãto pluribus ipſa perſequutionibus cõſtringitur, tanto amplius dilatetur: & hanc exercet ſponſus & purgat iſtis medicinalibus moleſtiis, vt erutam de hoc ſeculo in ęternum ſibi copulet coniugem non habentem maculam, neque rugam aut aliquid huiuſmodi. Interim quoq; corpus ſuum multis membris diuerſa officia gerẽtibus, nodo vnitatis & charitatis, tãquam ſanitatis aſtringit: atque ita per gratiam Dei exurgunt inuicti animi, & facto agmine in gladios ſuauiter ruunt, quia vitæ æternæ præmia concupiſcunt. Nec te moueat quòd nunc ad maſculinum genus deducitur Eccleſia, quum dicitur, Saluũ me fecit. Quippe non videtur abſurdum hoc ei nomen aptari, quæ conſtat ex populo. Iure ergo beatorum iſtud agmen exultans, ſaluum ſe dicit factum, quòd ad Chriſtianę fidei meruit peruenire faſtigium. Id tamen non proprio merito, ſed ex vocante: dicente Paulo, Gratia eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum eſt, ne quis glorietur, &c. Deinde habet litera, Et retribuet mihi, &c.

Epheſ. 5. — Epheſ. 2.

Et retribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.

Dauid optime vtrunque ſeruauit. Nam prius dixit, Antequam aſſumeretur quoniam voluit me, quaſi Deus præbuerit prior miſericordiã, quàm haberemus bonam voluntatem. Nunc verò ait, Retribuet mihi ſecundum iuſtitiam meam, quæ ex Dei gratia profluit. Nam quomodo ipſe ſolus lux, ſolus immortalis, & ſolus ſapiens appellatur, quum
1. Tim. 6. multi immortales, & multa lux, & multi ſapientes ſint. Sic
Rom. 16. hęc iuſtitia & perfectio hominis, non ex natura, ſed ex gratia: & ſanguis IESV CHRISTI mundat nos ab omni peccato, tam in collatione baptiſmatis, quàm in ſacramento pœnitudinis. Puritatem autem manuum, intelligit opera pietatis quæ diuino munere ſanctorum virtus exercet. Ma-

nus qui-

hus quidem quibus operamur, actiones atque opera noſtra ſignificāt. Sed nō incongrue hoc in loco RETRIBVET geminatur, videlicet ne quis putet ſufficere bonā voluntatem ſine operibus, quoties bene operari in eius poteſtate relictū ſit. Sic enim oportet Dei cooperatores ſimus, & talentum Domini creditū ei cum vſura & fœnore reddamus. Nec ſibi aliquid fallaciter Pelagiana hæreſis blandiatur: dicit enim Apoſtolus, De reliquo poſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in die illa iuſtus iudex. Non quia ſuis meritis applicabat, ſed quia præmiſſis beneficiis Domini iam deberi poſſe præmiū cōfidebat. Id ipſum Apoſtolus Iacobus dicit, Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. & Paulus, Quid habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? Vnde alio loco inquit, Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia ipſius in me vacua non fuit: ſed omnibus his amplius laboraui, non ego autem, ſed gratia Dei quæ mecum eſt. ſicut & alibi loquitur, Fiduciam talem habemus per IESVM CHRISTVM ad Deum, non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Primo ergo fidem & charitatem gratis Deus præſtat: deinde pro illis, & operibus ex his emanantibus, quaſi pro meritis retribuit hîc perſeuerantiam & alia ſtudioſa. Vnde ſubdit, Quia cuſtodiui vias, & cætera.

1. Cor. 3. Matt. 25. 2. Tim. 4. Iaco. 1. 1. Cor. 4. 1. Cor. 15. 2. Cor. 3.

Quia cuſtodiui uias Domini, nec impie geſſi à Deo meo.

Hoc ponit vt cauſam puritatis manuum ſuarum: mundæ enim erant (inquit) quia cuſtodiui vias Domini, hoc eſt eius mādata. Viæ verò Domini ſunt, dilectio Dei, & charitas proximi. In quibus duobus mandatis (teſtante Chriſto per Matthæum) vniuerſa lex pendet & Prophetæ. Nam ad hæc duo refertur totus decalogus, & monita prophetarum ibi habent finem. Quapropter duæ tabulæ legis datæ ſunt Moyſi, in quibus erant decem præcepta, quæ ſunt decachordum pſalterium: tria in vnā, quæ ſunt ad Deum, ſeptem in altera, quæ ſunt ad proximum. quaſi omnia alia mādata & mo-

Matth. 22. Exod. 32. Pſal. 143.

nitiones ſolùm ſint quædam explicationes iſtorum duorũ amorum Dei & proximi. Rectè igitur ſe dicit curam habuiſſe viarum Domini, qui in cõmuni curſu vitæ hæc duo præcepta obſeruauerit. Sequitur, NEC impiè geſſi à Deo meo: quod faciunt hi qui ſemel poſt agnitam veritatem, &
2.Pet.2. dum iam Deo bene famulari cœperunt, recedunt à bono
Gen. 19. incœpto opere, canes iterum ad vomitum redeuntes. Ne-
& Luc.17 que recordantur vxoris Loth, quæ exiens de Sodoma ciuitate peccati, dum aſpexit retro, & quaſi priſtinos malos mores, quos deſeruerat, adhuc olfacit, ſtatim cõuerſa eſt in ſtatuam ſalis. Sic exemplum facta, & condimentum vnde fatui ſaliantur & ſapiant. Non enim ſtatim fortiſſimo athletæ ſufficit in ſtadium deſcendiſſe, ſed ipſum percurrere o-
2.Timo.2 portet: & qui certat in agone, non coronabitur niſi legitime certauerit. Itaque vſque adeo in Deũ debẽt fixa eſſe no-
Rom.8. ſtra opera, vt quũ ſemel bene cœperimus, nuſquam poſthac ab eo deflectamus, quin nec mors, nec paſſio, nec tribulatio quæuis vllatenus noſmetipſos ab ipſo ſeparent. Et ad hanc iuſtitiã cuſtodiendam, contrariámque impietatem deuitandam, vtile eſt nunquam fuiſſe iudiciorum Dei immemorẽ. Quapropter nunc iſta ratio redditur. Quoniam, &c.

Quoniam omnia iudicia eius in conſpectu meo; & iuſtitias eius non repuli à me.

Si de iudiciis Dei nũc agendũ eſt, hæc inſcrutabilia ſunt.
Rom.11. Quis (inquit Apoſtol9) cognouit ſenſum Domini? aut quis cõſiliarius eius fuit? In cauſa adiiciẽs, Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quæ ratio iudiciũ Dei iuſtificat, quo orationem pro vno fuſam audit, pro altero cõſimili nõ exau-
Acto.17. dit. Nam quũ & eſſe & viuere ab eo ſuſcipimus, nullũ ei poſſumus munus deferre, quod ipſum ad gratiæ vicem nobis aſtringat, quin ſine iniuſtitiæ aut illiberalitatis nota poteſt nihil retribuere operanti. In hoc enim differt humana amicitia ab illa quæ ad Deum habetur, quòd quum amicũ orauerimus, poſſumus eum beneficiis & oratione multa ita aſtringere, vt abſque illiberalitatis & ingratitudinis vitio nequeat petita denegare. Secus de Deo, qui nullius liberalitatis impartiẽdæ debitor conſtitui poteſt, propter immẽ-

ſa bene-

ſa beneficia quibus omnem creaturã præuenit. Sed ſi quandoq; debitor fuerit, ſibi debitor eſt, vt promiſſa compleat. Inde eſt quòd aliquãdo decreuit Dominus miſereri totius multitudinis, ſi vel vnus poſſit homo deprehendi bonus. Hiere. cap. 5, Circuite vias Hieruſalem, & aſpicite & conſiderate & quærite in plateis an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero eius. Vbi Hieronymus, Si vnũ inuenerit iam iámq; peritura Hieruſalem, qui in te faciat iudiciũ & quærat fidẽ, Deus tui miſerebitur. Vbi grandis amor iuſtitiæ: vt nequaquam iuxta interrogationẽ Abrahæ & reſponſionẽ Dei pro decẽ viris iuſtis, ſed pro vno iuſto Deus liberauerit ciuitatẽ. Interdũ autem nec iuſtorũ vult miſereri propter cõmixtos malos. Iob cap. 35, Clamabũt, & non exaudiã propter ſuperbiam malorũ. Vbi Gregorius: Reatus opprimentiũ prohibet audiri voces oppreſſorũ, nec eripiũtur viſibiliter iuſti, quia ſaluari iniuſti inuiſibiliter nõ merentur: & dũ tribulatione terũtur, eorũ nequitia cõſummatur. Et gloſſa interlinealis, Sicut aliquando Deus ſuos, propter inimicos eripit, vt illi cõuertãtur, ita aliquãdo ſuos nõ audit propter damnationẽ perſequentiũ. Quin quũ abſolute cõtra locũ vel perſonã decreuerit Altiſſimus beſtias malas, famẽ, gladiũ & bellũ immittere, nullius oratio poteſt mutare hanc ſententiã. vti teſtis locuples eſt Hieronym⁹, ſuper hũc locũ Hieremię cap. 10, Tu ergò noli orare pro populo, quia non exaudiã, &c. talia ſcribẽs, Præcipitur Hieremiæ ne velit pro eis Dominũ deprecari, in quos iam eſt conſummata ſententia, ne videatur oratio eius infirma, & propriis ſceleribus non exaudiri. Iſtud etiã probat verbũ Domini, Ezechielis cap. 14, Si dixero gladio tranſi per terrã, & interfecero de ea hominem & iumentũ: & tres viri, Noe, Daniel & Iob fuerint in medio eius, Viuo ego dicit Domin⁹ Deus, nõ liberabũt filios neq; filias, ſed ipſi ſoli liberabũtur. Et hæc inenarrabilia Domini arcana poſſunt ad quatuor iudicia referri. Duo ſunt pro præſenti via: puta proſperitas malorũ, & tribulatio ſanctorum: duo pro futuro poſt viam ſtatu, videlicet, remuneratio iuſtorum, & condemnatio peccatorum. Quare ſemper circunſpectus viator debet præſentem vitam meſſi & æſtati

Gen. 18.

Prouer. 6. & 30.

comparare. Nam nunc inter ardores tentationum tempus eſt colligendi futurorum merita præmiorum. Dies vero iu
Eccle. 9. dicij, hyemis aſſimilatur rigoribus: quia tunc nulla relinquetur facultas pro vita laborandi, ſed tantum quiſque poterit de horreo priſcæ actionis proferre, quantum prius recondiderit. Hæc autem quàm vtile ſit Chriſtiano ſemper animo mentéque reuoluere, nullus ſanæ mentis ignorat.
Eccleſ. 7. Quippe dum ſic meminerimus nouiſſimorum, in æternum
Ro. 8. & non peccabimus: interim ſi cōpatimur & conregnare ſpe-
2. Timo. 2 rabimus, poſt Chriſtum crucem noſtram ferentes. Nec nos alliciet perditorū hoc in mundo proſperitas, quæ cito peri-
Rom. 8. tura eſt. Sed dicemus non eſſe condignas paſſiones huius ſeculi ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: atque
Sapiē. 12. talia Domino cum Sapiente intonabimus, Quis dicet tibi quid feciſti? aut quis ſtabit contra iudicium tuum? aut quis in conſpectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? aut quis imputabit tibi ſi perierint nationes quas tu feciſti? nā vnicuique gratioſe commodas quicquid habet. Itaque ex his neque iuſtitias Dei à nobis repellemus, quod faciūt carnis fragilitate ſuperati, qui ſub faſce boni incœpti operis deficientes, deſerunt æquitatem quam cœperāt cuſtodire. Sed Dauid nunquā repulit iuſtitiā Domini, quia ſemper in eius carne permanſit. Proinde ait, Et ero immaculatus, &c.

Et ero immaculatus cum eo, & obſeruabo me ab iniquitate mea.

Promittit Domino regius Vates fugere conſortiū malo-
Dan. 9. rum, atque ei aſſimilari: qui quū ſit Sanctus ſanctorū, contubernium maculatorū nō admittit. Et recte talē ſocietatē declinat Dauid. Nam quādoque Dominus propter cōmixtionē ſeu initū fœdus cū iniquis, percutit innocētes, & in bonis fortunæ, & in bonis corporis, atque vſqueadeo exacerbatur, vt etiā iuſtorū preces petentiū liberari, renuat audire. Pro his habes hiſtoriā Ioſaphat 2. Paralipo. cap. 20, qui quāuis pius & iuſtus, tamen quia ſocietatē merciū contraxerat cū Ochoſia rege peſſimo, nunciatū eſt ei ex verbo Domini, ꝙ contritæ fuerint naues, nec ire potuerint in Tharſis. Idem legis 2. Paralip. 19, videlicet quia Ioſaphat rex Iuda au-

da auxiliatus eſt Achab regi Iſrael pro recuperanda Ramoth Galaad occupata per infideles, redeũti de bello & miraculoſe ſeruato, per Dominũ dictũ eſt ei, Impio præbes auxiliũ, & his qui oderũt Deum amicitia iungeris, &c. Atque nonnunquã Dominus pro peccato eorũ quibus attinemus, etiã innocẽtes punit: vti legis Numeri 14. de Hebræis quibus dictũ eſt, Filij veſtri erunt vagi in deſerto quadraginta annis, & portabunt fornicationẽ veſtrã, donec cõſumantur cadauera patrũ in deſerto: iuxta numerũ quadraginta dierũ quib⁹ cõſideraſtis terrã, annus pro die interpretabitur, &c. Et 3. Regũ cap. 11, Propter peccatum Salomonis, Dominus prædicit ſe præciſurũ decẽ Tribus à filio ſuo, parcẽs ei propter Dauid patrẽ ſuũ. Quid mirũ ergo ſi nũc Propheta à tali ſodalitio immaculatus fieri ſpondet, & perſeuerare vult in illa innocẽtia in qua vocatus eſt? Certe ex his verbis quæ ſequũtur, Obſeruabo me ab iniquitate mea: ſubtiliter beati vita deſcribitur, qui quando ad aliquã ſe gratiam Domini perueniſſe cognoſcit, cauet ne iterũ iniquitatis antiquæ calamitatibus innodetur. Proinde oportet ſit immaculat⁹ delectatione malæ cogitationis, ſimul etiam caueat maculam ſeu iniquitatem praui operis, quod eſſet ſuum, ſi quãdoque ipſum perpetraret. Itaque tale ſemper debet eſſe noſtrum ſtudium noſtrúmque deſyderium, vt intus ſimus immaculati, foris vero innocui, quia vnum ſine altero non ſufficit. Tunc retribuet (ait Dauid) mihi Dominus, &c.

Et retribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam, & ſecundum puritatem manuum mearum in conſpectu oculorum eius.

Sperat præmiũ nõ ſolũ propter latitudinẽ fidei, quæ per dilectionẽ operatur: ſed etiã (inquit) propter longitudinem perſeuerãtię retribuet mihi Dominus ſecundũ iuſtitiã meã. Gala. 5. Nã vt ſcribitur Ioannis cap. 9, Siquis Dei cultor eſt, & facit eius voluntatẽ, hunc exaudit. Quippe ſentẽtia nõnulla antiquorum, Si dii curam habẽt aliquam humanarum rerum, (vt exiſtimatur & creditur) rationabile eſt eos gaudere optimo & cognatiſſimo ſibi, cuiuſmodi eſt mens, & amantibus illam maxime honorantibúſque fauere, tanquã rerum

chariſſimarum ſibi curatoribus ac recte & bene agentibus. Decet ergo illorum vota ac deſyderia exaudiri. Pulchre verò additum eſt IN conſpectu oculorum eius, quod vtique nõ poteſt, niſi beatis euenire: vt ſicut illi ſemper corde Dominum contuentur, ita eos iugiter virtus diuina reſpiciat. Et vtriuſque retributionis ſperatæ ſcilicet, & expertæ, vna communis ratio ſubiungitur, videlicet ſuauitas diuini regiminis, ſubiungendo, Cum ſancto ſanctus eris, &c. Inſuper quia dixit de iuſtitia, oſtendit quomodo habeatur: ſalubriter nos inſtruens & admonens quòd ſocietas bonorum ſit appetenda, malorum fugienda: dicendo,

Cum ſancto ſanctus eris, & cum uiro innocente innocens eris.

Quod nunc memorat, CVM ſancto ſanctus eris, forte nõ ad illud reſpicit quod vſitata vulgi ſentẽtia dicimus, Cũ quo aliquis iũgitur, talis erit. Sed ſi vis hoc in loco planum facere ſenſum canẽtis: illud ad memoriam reuocabis, quod per Prophetã Domin⁹ dicit ad populũ, Si ambulaueritis in
Leuit. 26. conſpectu meo recti, & ego vobiſcũ rectus incedam: ſi verò ambulaueritis peruerſi, & ego vobiſcũ peruerſus ero. Vnde ſententia clara eſt, ſcilicet diuinũ regimen eſt ſuaue proportionaliter gubernans vnũquenq;, vt cuiuſque poſcunt merita. Et Hieremias cap. 22. ſimili metaphora vſus dixit, Seduxiſti me, Domine, & ſeductus ſum. Aut quum de iuſtitia ſuperna loqueretur Dauid, quia vnicuique reddit ſecundũ ſuorum actuum qualitatem, nunc exponit quemadmodum poſſit impleri quod lex præcipit obſeruari. Conuerſatio enim noſtra ex prioribus aut ducibus ſuis maxime ſimilitudinem trahit, dum vnuſquiſque tali ingenio gaudet, quali fuerit præditus ille quẽ ſequitur. Hinc eſt quòd nobis ſalutaris & moralis regula data eſt, quòd cum ſancto viro, id eſt Domino Saluatore ipſo præſtãte, ſancti eſſe poſſumus: ſicut ipſe dicit Leuitici 19, Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum. Præcipitur etiam tertium, vt cum innocentia eius innocentes eſſe mereamur. Proinde Chriſtiano ſemper incũbit accurate fugere quoduis ſuſpectum contubernium. Quis enim vnquam mortalium iuxta viperam ſecuros ſomnos capit? Secu-

pit? Securius eſt perire non poſſe, quàm iuxta periculum nõ periiſſe. In altero tranquillitas eſt, in altero gubernatio: ibi gaudemus, hîc euadimus. Sequitur, Et cum electo, &c.

Et cum electo electus eris, & cum peruerſo peruerteris.

Poteſt hîc reddi primus ſenſus qui præcedenti verſiculo ſcriptus eſt. Quippe Deus ab eo quẽ eligit, eligitur: vti Paulus dixit, Cõprehendam à quo cõprehẽſus ſum. Vel nũc eſt argumentũ à cõuictu, quia ex cõuictu mores formãtur, atq; moribus cõuiuarũ velut attactis quibuſdam coloribus inde notamur: quemadmodum & qui tãgit picem, inquinatur ab ea. Ecce (viator) duæ viæ tibi oſtenſę ſunt, vna iuſtorũ & ſalutis: altera reproborum & damnationis. Quę in mortẽ ducit, fugienda: vt ſi voluptas tibi blanditur, tam cautè eam fuge, quàm prudenter ſeniores plebis Troianorum ſe habebant ad Helenam, quam nec tangere nec videre volebant. Ita dicente Ariſtotele, Quod ſenes plebis patiebãtur ad Helenam, hoc oportet & nos pati ad delectationem, & in omnibus, illorum dicere vocem. Contrà verò amplectere humilitatem. Quoniã tu, Deus, populum humilem ſaluũ, &c. Philip. 3. Eccle. 13.

Quoniam tu populum humilem ſaluum facies, & oculos ſuperborum humiliabis.

Quid mirum igitur ſi (quemadmodũ ſcribitur Iacobi cap. 4,) Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autẽ dat gratiã. Ipſe enim quũ per naturam ſit excelſus & iuſtus, & omnia alia ad eum cõparata, ſint infima: idcirco humilia reſpicit: alta verò & ſuperba deſpicit. Super quem enim requieſcit, niſi ſuper humilem & quietum, & trementem verba ſua? Potentes potenter tormenta patientur, humilitas autem vſque adeo excellens bonũ eſt, vt & ipſa quoque ſuperbia ea palliari appetat ne vileſcat. Paruulos diligit Dominus, humiles magnificat & exaltat. Hac de cauſa presbyteros Daniel pueri iudicat: Amos ruborum mora diſtringens, repẽte Propheta effectus eſt. Dauid paſtor, eligitur in Regẽ, & Saul quũ eſſet paruulus in oculis ſuis, caput in Tribubus Iſrael fact⁹. Publicanus inſuper ſtans à longe qui nõ audebat prę humilitate oculos Pſal. 137. Eſa. 66. Sap. 6. Dañ. 13. Amos 7. 1. Reg. 16 1. Reg. 15 Luc. 18.

leuare in cælum, ſed percutiebat pectus, petens ſibi Deum propitium, deſcendit iuſtificatus in domum ſuam à Phariſæo, qui nimium de meritis extollebatur, atque ita humilis publicanus non audet appropinquare vt ad eum Deus appropinquet: non aſpicit vt aſpiciatur, premit conſcientiam, percutit pectus, pœnas de ſe exigit vt Deus parcat: confitetur, vt Deus ignoſcat, ignoſcit Deus, quòd ille agnoſcit. Phariſæus verò dum ſe laudat, & Deum non rogat, humiliatur, & ſuperbiendo à Deo fit alienus. Sic opertum eſt Euangelium perfidis Iudæis, qui faſtu atque ignorantia Chriſtum prædicantem, & legem ac Prophetas declarantem, audire contempſerunt. Credita verò ſunt hæc eloquia ſacra Gentilibus, qui non viderunt & crediderunt: ſed imitatione mulieris Cananitidis, (de qua Matth. cap. 15) ſimul fidem, patientiã ac humilitatẽ Domino conſecrauerunt. Fidem quidem, quia etſi Chriſtum docentẽ, aut miracula facientẽ oculis nõ perſpexerint, tamen per doctrinã eius ac Apoſtolorũ cõuerſi ſunt: patientiã autẽ, quia quãuis pluries ſpreti (quippe non erat miſſus Dominus niſi ad oues quæ perierant domus Iſrael) tamen mox vocati ſtatim intrare non diſtulerũt.

Matth. 15. Poſtremo eorũ humilitas ex Euangelio patuit, per quod nõ canibus, ſed catulis cõparantur, qui edunt de micis quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Et cauſam iſtius vocationis Gentium, reprobationíſque Iudęorum nunc propheticè annuntiat Dauid. Sed aduerte dum hîc fit ſermo contra ſuperbos Iudæos, illa pars in qua maxime manifeſtatur geſtus ſuperborum, ponitur pro toto, ſcilicet Oculi pro homine. Deinde progrediens Eccleſia, quod enuntiauit, orat, dicens, Quoniam tu illuminas, &c.

Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine, *Deus meus, illumina tenebras meas.*

Loquuntur adhuc, ſiue ipſe Dauid petens lucernã ſui ſceptri non extingui, ſiue ipſa Eccleſia, ſiue populus ille beatorũ, mirabili decore verborum. Atque ad iſta duo extrema ſermonẽ referẽdo, Lucerna, noctis eſt lumẽ, quę meritò delinquẽtibus datur, vt per verbum illuminationis fugiát tenebroſa peccata. Inſuper quum lucerna ſit lumen in teſta,

meritò

meritò lumen naturale, quod corpore terreo clauditur, ſic lucerna nominatur:& ſicut lucerna corporis, oculus· ita lucerna animæ, hæc mẽs. Iſtam lucernã Deus illuminat, quãdo huic lumini naturæ ſuperaddit lumen gratiæ: nempe gratia perficit naturã, & dum infundit Chriſtus oleũ donorũ ſuorum, prorſus tenebræ primęuæ originalis iniquitatis repurgantur. Anima certe hac lutoſa carne abſconditur, quemadmodum candela ardens in cornu· ſed ſicut quanto plus cornu attenuatur, tanto magis peruium fit, & lumen inde clarius apparet: ita mens eo plus valet, quo melioribus & honeſtioribus exercetur caro: quam perfectionem optime adducit gratia. Et nunc Propheta ſuas imperfectiones, atq; ipſum ſolum lumẽ, naturæ lumine ſupernaturali nequaquã illuſtratũ, Tenebras appellat. Nanque ſicut oculus corporis in tenebris non videt, ita intellectus animæ niſi illuminetur ab altero, hoc eſt à Chriſto, nõ bene proſpicit. Io. cap. 1, Erat lux vera quæ illuminat omnẽ hominẽ venientem in hunc mundum. Sic errauerunt vani philoſophi in cognitione diuinorum: ſic lumẽ quod in nobis eſt, tenebrę fieri poteſt. Lucernam ergo ſuam nunc poſtulat Eccleſia illuminari à Domino, quæ ſi lucida fuerit, oſtendit foueas in quas incauti ruunt, & laqueos in tenebris poſitos, quibus ſtulti irretiuntur. In tenebris enim niſi lumẽ habuerit ambulans, aut offendiculum incurrit, aut paratum periculum prorſus non euadit. Sed te, rogo, Domine (ait) & meritò, Quoniam in te eripiar, &c. Matth. 6.

Quoniã in te eripiar à tentatione, & in Deo *meò tranſgrediar murum.*

Si de regio Vate verba ſunt, iſte tentatus fuit occidere Nabal cum omnibus de domo ſua: à qua tentatione preſeruatus eſt per verbum Abigail, propter quod dixit ei, Benedictus Dominus Iſrael qui miſit te hodie in occurſum meũ: tu, curante Deo, meum mutaſti furorem. 1. Regum cap. 25. Quod autem ſequitur, IN Deo meo tranſgrediar murum: tantundem eſt acſi diceret, Te Deo efficiẽte, & vincam exercitus in campo, & vincã ciuitates muratas. Quod impletum eſt quando expugnauit arcẽ Sion, quam occupabat Iebuſæus

buſæus in Hieruſalem. 2. Regum cap.5.& quando ſuperauit Rabath filiorum Amon,2.Regum cap.12. Si verò nūc ſit vox Eccleſiæ, litera hîc inſigniter docuit regulam fidei. A te (dixit) eripiar non à me, quia per me nihil poſſum. Tē tentatione autem, diabolum ſignificat, qui momentis omnibus tentat, vt à bona conuerſatione nos abſtrahat. Et in Deo meo (inquit) tranſgrediar murum, quem inter homines, & cæleſtem Hieruſalem peccata erexerunt: ſicut Sanſon virtute Dei tranſiit per portas Philiſtinorum, tranſportatis foribus cum poſtibus ſuis & ſera ad verticem montis. Murum verò appellat obſtaculum peccatorum quod inter Deum & hominem mortalium conſtruxere nequitiæ, vt ait Gregorius. Murus eſt quicquid in itinere noſtro erigitur ne ad Deū trāſeamus. Sed & niſi à Deo deſtruātur illa peccata, nō poſſumus per nos trāſire ad ipſum. Tūc tamē trāſgredimur, quādo pro amore æternæ patriæ quæcunq; interim viā virtutis præpediunt, calcamus. Sed memineris quàm bene dixit Pſalmographus, Tranſgrediar, non Irrrumpam, non Diruā murum: nempe murus ille humano generi immobilis manet, etiam quum eum ſanctis beneficio diuinitatis tranſilire contigerit. Et vere (geminat Eccleſia) per Dominum eripiar, & in eo tranſgrediar, quia Deus meus impolluta via eius, &c.

Iudic 16.

Deus meus, impolluta uia eius, eloquia Domini igne examinata, protector eſt omnium ſperantium in ſe.

Aliud verſus iſte inchoaſſe, aliud ſubiunxiſſe videtur. Deus meus aggreſſus eſt dicere, neſcio quid exoratiuum: & ſubiunxit ei exitum inopinatum: Impolluta via eius. Nam ſi propoſitio ſequentibus concordaret, Dei mei dicturus erat, non Deus meus: quæ figura dicitur, Paradoxia, Latine inopinatus exitus, quum aliud proponitur, aliud explicatur. Vnde hîc eſt (quantum exiſtimo) figura loquendi apud ſacram Scripturam vſitatior. Pro eo enim quod dicendum erat, Dei mei impolluta via eſt, dixit, Deus meus impolluta via eius. Iſtud autem Impolluta via eius, vel ad incarnationem

tionem CHRISTI pertinet, quem conſtat nõ ex virili ſemine, ſed de Spiritu Sancto conceptum: vel ad legem eius Euãgelicam refertur, in qua nihil turpe ac flagitioſum ſpectandum imitandúmque proponitur, vbi veri Dei aut præcepta inſinuãtur, aut miracula narrãtur, aut dona laudãtur, aut beneficia poſtulantur. Ibi nulla cõceſſa eſt immunditia: exploduntur Pagani pro idololatria colentes opera manuũ ſuarum, in quibus nihil eſt numinis: damnantur Sarraceni, viliſſimi Mahometi diſcipuli, expectantes pro beatitudine quod porcis conuenit, gulam ſcilicet & coitum: confunduntur obſtinati Iudæi, quorum nunc ceremoniæ ſine CHRISTO ſunt inſipidæ: refelluntur & ſinguli hæretici ſacra pro voto ſuo peruertere conati. Nam (vt inquit Auguſtinus lib. 83. Quęſtionũ) non poteſt error oriri palliatus nomine Chriſtiano, niſi de Scripturis nõ intellectis. Sed ſolet circunſtantia Scripturarum illuminare ſententiam vnde hæreſes ortę ſunt, per ſe legendo, quæ conferendo repulſæ ſunt, quia conferentes diuerſas ſententias adduxerũt, quæ ex ſe inuicem mutuo videri poterãt quomodo, & qualiter eſſent intelligendæ. Quamobrem nunc dicuntur Eloquia Domini igne examinata: nam flamma fidei lex ſuperna diſcutitur: & vt ſcribit Hieremias, verba Domini ſicut ignis qui paleas conſumit, & ſicut ſecuris cõcidens petram, Hiere. 23. quippe auferunt cor lapideum, vt ponant pro eo cor carneum, molle videlicet, & quod poſſit Dei ſuſcipere & ſentire præcepta, atque interim has inanes ſtipulas pſeudoprophetarum conterunt, & ipſas infructuoſas arbores ſuccidunt: atque ita qui hæc eloquia Domini bene guſtauerit, rutilat ſicut aurum per ignem purificatum. Poſtea addit Propheta generalem promiſſionem, vt omnium animos releuet, ne putet quis protectorem Deum non habere, ſi à peccato prorſus immunis non fuerit. Dicendo enim eum protectorem omnium ſperantium in ſe, nullus ab eius cuſtodia excipitur, niſi qui in eum ſperare neglexerit. Sic nunquam conſumet tribulatio, quia ſpes ſemper ſequetur fidem. Et merito ſperandum eſt in illo. Quoniam quis Deus præter Dominum, aut quis, & cæt.

Ezech. 11.

Quoniam quis Deus præter Dominum, aut quis Deus præter Deum noſtrum?

Hoc contra Paganorum ſcribitur dementiam, qui Deos ſibi multifaria vanitate finxerunt: quorum error ex hoc ſatis refellitur, dum eos pro hoc impetrando colebant, quod neque pręſtare ſufficiebant. Vt dea Iuuenta nō paſſim quoſcunque iuuenes reddere valebat, neq; Fortuna ſemper ſuos vbique felices collocabat. Adde quòd neque immortales ex mortalibus facere poterant. Quare forſan his melius cōſultum erat qui ignoto Deo aras conſtruxerant, prout legis Act. cap. 17. Sic enim tacite fatebantur beatum fore populum, cuius eſſet Dominus Deus eius, & qui non reſpexiſſet in has vanitates & inſanias falſas. De origine tamen huiuſmodi cultus ignoti Dei, nonnulli ſcribunt iſtas aras inuento Epimenidis Cretenſis fuiſſe erectas. Nam quum regio peſtilentia laboraret, conſultáque Pithia reſpondiſſet expiari oportere vrbē & agros, nec cui Deo ſacrum fieri oporteret, dixiſſet, Epimenides qui tum Athenis erat, iuſſit dimitti hoſtias per agros, ſequíque eas ſacrificos, & in quo loco quęque conſtitiſſet, ibi mactari eam immolaríque Deo ignoto propitio. Itaq; ex eo tempore etiā ad ætatē Diogenis Laertij frequētes viſebantur per pagos Atticæ terræ, ſacræ aræ ſine nomine. Sed vtcunque res ſeſe habeat, quod ignorantes aliquandiu coluerunt Athenæ, tandem veritas oſtendit: Deum videlicet eſſe omnis creaturæ conditorem, & cui propterea omnia ſeruiant: qui fecit omnem animam ſiue quocunque modo viuentem & ſenſus & rationis expertem, ſiue etiam ſentientem, ſiue & intelligentem: qui rerum cauſas habet, qui vim ſeminum condidit, qui munus futura dicendi quibus placuit ſpiritibus impartiuit, & per quos placet, ipſe futura prædicit: qui bellorum (quum ſic emēdandum & caſtigādum eſt genus humanum) exordiis, progreſſibus finibúſq; moderatur: qui terram fundauit atque fœcundat, qui fructus eius animalibus hominibúſque largitur, qui lunæ ſtatuit motum ſuum, qui vias cæleſtes atque terreſtres locorum mutationibus præbet: qui humanis ingeniis quæ creauit, etiam ſcientias artium variarum ad

Pſal. 143.

adiuuandam

adiuuandam vitam naturámque conceſſit. Hunc modo Propheta Dominum appellat: quia ipſius ſerui ſumus. Deum etiam nominat, quia eum iuſtiſſimè & adoramus & colimus. Et ipſe, inquit, eſt vere Deus qui præcinxit me, &c.

Deus qui præcinxit me uirtute, & poſuit immaculatam uiam meam.

Hic Dauid ponit beneficiũ viæ, hoc eſt quòd Deus Dauidẽ cuſtodiuit in via fugientẽ atq; vagum: nec ſolum cuſtodiuit, ſed roborauit. Dedit ſiquidem ei ſexcentos viros: accinxit quoque eum gladio Goliath in Nobe, & fecit viam eius immaculatam, auferendo maculas adulterij cum Berſabea, & homicidij Vriæ: quæ maculæ fuerunt purgatæ per patientiam quam Deus dedit Dauidi in perſequutione Abſalon, 2. Regũ ca. 12. Vel nũc Eccleſia à ſimilitudine currentis dicit, Deus præcinxit me virtute, ſicut homo pręcingit in via veſtimenta ſua, vt non impediant cœptum iter. Præcinxit autem (ait) vt fortis ſim ne ſoluentes ſinus cupiditatis, impediant opera & greſſus meos. Poſuit immaculatam viam charitatis qua ad illum veniam, ſicut immaculata eſt via fidei qua venit ad me, & meipſam conſtabiliuit atque firmauit vt nulla ſeculi ambitione mouear. Congrue vero ſubiungitur, Qui perfecit, &c.

1. Reg. 21.
1. Reg. 23.
1. Reg. 21.

Qui perfecit pedes meos, tanquam ceruorum, & ſuper excelſa ſtatuens me.

Excelſa appellat Dauid celſitudinem regni ſibi promiſſam, & recognoſcit agilitatem ceruorum ſibi à Deo fuiſſe collatam, ad inſequendũ hoſtes, & vt ipſe quando expediebat, ad loca tuta & abdita confugeret. Inſuper eſt vox Eccleſiæ iam à terrenis cupiditatibus liberatæ, & quæ mundo altior facta eſt. Dicit enim Pedes, (id eſt amorem in ea) ita perfectos, vt facile tranſcendat dura, & vmbroſa huius ſeculi impedimenta: ſicut cerui calcant pedibus ſpinas, & tranſiliunt ſyluas. Iſtud illa mens vere dicere poteſt quæ cum Paulo talia loquitur, Omnia arbitror vt ſtercora, vt CHRISTVM lucrifaciam. Melius eſt confidere in Domino quàm confidere in homine. Melius eſt ſperare in Domi- Philip. 3. Pſal. 117.

no quàm ſperare in principibus. Et facile quis ſic contem-net mundum, qui quotidie cogitabit ſe cum mundo peritu-rũ, atque attẽdet qualiter noſtra quę hîc dicitur vita, nõ vita, ſed mors quædam eſt. Proinde amodo cauebit Chriſtianus, ne hominum rumuſculos aucupetur, ne offenſam Dei, po-

Gala. 1. pulorum laude cõmutet. Si adhuc (inquit Apoſtolus) homi-

2. Cor. 6. nibus placerem, CHRISTI ſeruus non eſſem. Deſiit pla-cere hominibus & ſeruus factus eſt CHRISTI. Per bonã famam & malam, à dextris & à ſiniſtris Chriſti miles gradi-tur, nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur: non diuitiis tumet, non contrahitur paupertate, & læta cõtem-nit & triſtia. Per diem ſol non vret eum, neque luna per no-

Pſal. 120. ctem. Super excelſa ſtatuit eum Dominus, collocãdo ſpem illius in æternis, & ſuper cæleſtem habitationem figendo cordis intẽtionem, vt impleatur in omnem altitudinem Al-tiſſimi. Officij illius erit quæcunque ſtudioſa amplecti, & mala declinare: omnium domos amabit quaſi proprias, nec quid agatur in alia, domus alia per eum cognoſcet. Hippo-crates adiurat diſcipulos ſuos antequam doceat, & in ver-ba ſua iurare compellit: extorquet ſacramento ſilentium: ſermonem, inceſſum, habitum moreſque præſcribit. Quã-to magis nos, quorum mens iam tota cæleſtium conſcia eſſe debet, iſta Deo libare tenemur? Nam ipſe eſt (inquit Pſal-mographus) Qui docet manus meas, &c.

Qui docet manus meas ad prælium, & poſuiſti ut arcum æreum brachia mea.

Nunc illud dici poteſt, quòd extendere manus ad Deum aduerſus inimicos, validiſſimũ eſt genus certaminis. Do-cere verò, eſt ab imminentibus inſidiis cautũ fieri. Manus, operationes ſignificant. Præliũ, diaboli certamen demõ-ſtrat, cum quo ſpiritualiter cõfligitur, quia inceſſabilib' col-luctationibus ſemper fatigamur, & errat quiſquis putat vn-quã Chriſtianũ perſequutionem non pati, ſed tunc maxime oppugnamur, ſi nos oppugnari neſcimus. Nũc perſequitur luxuria, nunc auaritia conatur irrumpere, nunc venter vult Deus eſſe pro Chriſto, perſequitur hoſtis cui nomina mille, mille nocendi artes: & inter tot decipulas, nihil Chriſtiano felicius,

felicius,cui promittitur regnum cælorum : nihil laborioſius,qui quotidie de vita periclitatur:nihil fortius,qui vincit diabolum:nihil imbecillius,qui ab hoſte diabolo ſuperatur. Itaque lubricum iter eſt per quod gradimur : nec tãtum ſequitur gloriæ poſt victoriam,quantũ ignominiæ poſt ruinã. Militia,eſt vita Chriſtiana,vallo,foſſa atq. hyeme acta:ſub pellibus agere opus eſt, ſi has ſpirituales nequitias debellare volumus:delicatũ militẽ non amat Chriſtus.Ecce de cælo tuba canit : ecce cum nubibus debellaturus orbem imperator armatus egreditur:ecce bis acutus gladi⁹ ex regis ore procedens,obuia quæque metit: & quis de cubiculo ad aciem,de vmbra egreditur ad Solem? Corpus aſſuetũ tunicis,loricæ onus non fert:caput opertum linteo,galeam recuſat:mollẽ otio manum,durus exaſperat capulus. Blandimenta igitur & mollia huius ſeculi rumpere debet amor Dei, & gehennæ timor:atque interim nos totos CHRISTO credamus,poſt eum crucem noſtram ferentes,qui docet operari ad ſuperandos inimicos,debellandáq; facinora, quiq; poſuit vt arcũ æreum brachia noſtra. Et iſta ſcribit Dauid mutãdo perſonã. Arcus autẽ eſt intẽtio. Brachia vero ſunt fortitudo in operando : vt ſicut manus brachiis adhærent, ita ab intentione procedat operatio : & ſi quandoque cœpimus bene agere,non deficiamus in via,ſed perſeueremus in bono vſque in finẽ : quẽadmodũ neque arcus æreus ſagittando molleſcit. Ad terrã ſanctam multo per heremũ labore perueniendũ eſt. Non putemus perfectam eſſe virtutẽ exiiſſe de AEgypto , ſed per innumerabiles inſidias ad montem Nabo,& ad Iordanem fluuium perueniendum,vt accipiamus ſecundam in Galgala circunciſionẽ,vt illi muri Hiericho corruãt,ſacerdotaliũ tubarum ſubuerſi clangoribus:vt iuguletur Adonizedeb :vt Hai & Azor pulcherrimę quondã corruant ciuitates. Sequitur, Dediſti,&c.

(margin: Apo. 1. & 19. — Ioſ. 5. — Ioſ. 6. — Ioſ. 10.)

Et dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ,& dextera tua ſuſcepit me.

Hoc in loco pro Protectione Hieron.legit Clypeũ ſalutis: quiquidẽ clypeus eſt ſalutare nomẽ IESVS inuocatũ:nomẽ quidẽ quod os Domini ab æterno nominat, & quod Ange- Lucæ 1.

lus Virgini denũtiat:nomen ſacrum,quod langorem homi nis expiat,& certa ſalutis nuntia portat. De quo nomine ſic luſit in Ioſephina Gerſon, Dulce IESVS nomen ex quo gaudemus toto orbe venire ſalutem,Romani veteres quõdam Saluti dicauêre templum:

Vera ſalus IESVS eſt,ſine quo ſaluabere nemo,
Vexillum fuit hoc nomen tibi,Paule,per orbem,
Cuius ſunt fidei ſtrati virtute rebelles:
Eſt cordis iubilus IESVS,exultatio mentis:
Nomen ad hoc IESVS,in cælis terris & abyſſis

Cuncta genu flectunt,tentatio diffugit omnis.Eſt *triumphale* vincens ſceleratas peccatorum acies: IESVS ergo nobis ſemper IESVS eſto: Tu noſtrum pretium, tu ſpes mœrentium,mentes ſalua miſeras:Quod deeſt in nomine, ſupple tuo nomine quod eſt ſalutiferum:Quum tu circunciſus hoc tibi cælicum nomen virtus diuina indidit:Fac tua
Lucæ 2. circunciſio nobis ſit cordis præciſio atque efficax cauteriũ: Sanguis preputij per te effuſus,ſordidos lauet,riget aridos, mœſtis det ſolatium: Iſta quotannis tua ſint encenia nobis.

Poſtea Eccleſia hîc dicit ſe dextera Patris,quæ eſt Filius, fuiſſe in incarnatione Meſſiæ ſuſceptam, quemadmodum poſt cruenta in bello accepta vulnera,benignus chirurgus ſaucium militem ſanandum recipit.Hîc vero Hieronymus pro Suſcepit,legit Confortauit: quod etiam bene quadrat. Sed quia eoſdem quos cõfortat & curat Dominus,aliquãdo flagellat.Idcirco nunc recte ſubnectitur, Et diſciplina, &c.

Et diſciplina tua correxit me in finem: & diſciplina tua ipſa me docebit.

Diſciplina CHRISTI, ſunt flagella & aduerſa quibus
Prou. 3. & nos corripitatque erudit. Quẽ enim diligit Dominus,cor-
Hebr. 12. ripit ſiue erudit, ac flagellat omnem filium quem recipit. Erigimur ergo qui prius corrueramus, quum cæſi à Domimino fuerimus: & in hoc apparet quòd nos diligit Deus, quũ dat diſciplinam:hîc corrigendo mores,docẽdo ſcientiã qua quicquid agamus, in eum finẽ referamus,quo ei ſemper cohæreamus:atque ſic eadẽ correctio docebit nos per-
Pſal. 89. uenire quo direxit, & quoniam ſuperuenerit manſuetudo,

tunc

tunc adhuc corripiemur. Poſt enim elapſos ſeptuaginta, & in potentatibus octoginta annos, quum venerit Domini manſuetudo, & dies nobis mortis ingruerit, non iudicabimur iuxta meritum, ſed iuxta clementiam, & quæ putatur correptio eſſe, eruditio eſt & doctrina: quæ quidem docet etiam nonnulla imprimis vitare peccata, quæ hîc in cælum vindictam clamant: vt ſunt blaſphemiæ, homicidia innocẽtum, pupillorũ ac viduarũ oppreſſio. Et per hanc diſciplinam (inquit Dauid) Tu deus dilataſti greſſus meos, &c.

Dilataſti greſſus meos ſubtus me, & non ſunt infirmata ueſtigia mea.

Hac metaphora ſignificat Dauid & ſtabilitatem ſui regni, & quàm firmiter gratia Dei adiutus, in virtutis apice ſteterit. Quandoquidem homo ligatis vel ſimul preſſis pedibus facile cadit, qui eiſdem compoſite elongatis firmiſſime ambulat. Propterea nunc etiam voce membrorum Eccleſiæ, ait dilatatos greſſus ſuos, ne videlicet impedimento ſint ad virtutes, carnales anguſtiæ. Nam latam fecit Dominus charitatem hilariter operantem, etiam de ipſis quæ ſub nobis ſunt mortalibus rebus & membris, vt non præferamus illa ſaluti animæ, ſed poſtponamus. Dilatatos inſuper ſub ſe habet greſſus, quiſquis gloriatur in tribulationibus. Si enim foris eſt anguſtia doloris, intus eſt latitudo charitatis: quia Deus nos late diligit. Atque iſtud fit certum per Spiritum Sanctum, qui hàc Domini charitatem ad ſuã creaturam nos intelligere facit, & ideo in tribulationibus iuſtus gloriatur, quia ſemper tanto plus accepturum ſe credit, quanto in tribulatione ſe viderit fortiorẽ. Pignus enim charitatis Dei habet in corde per hunc Spiritum veritatis. Nam fidele eſſe promiſſum Dei probat is Spiritus, vt quia charos falli impoſſibile eſt, ſecuros cunctos faciat de promiſſione: quia & Deus eſt qui promiſit, & his quos charos habere vult, promiſit. Quia enim fidei noſtræ rationem humana verba aſſerere non valent, virtutum teſtimonio (quæ quum tacent, clamant,) rationabilis approbatur, ad confuſionem prudentium mundi, qui audacia verborum, terrenis contra cæleſtia dimicant, & carnalibus aduerſus ſpiri-

talia, & prudētes ſe dicere nō erubeſcunt. Nam ſicut peregrini hominis improbabilis origo in terra aliena eſt: ita & fidei noſtræ veritas peregrinatur in terris: & quia natura eius verbis explicari non poteſt, virtutis (quę maior res eſt) teſtimonio commendatur. Itaque illius non ſunt infirmata veſtigia, qui præparat cor ſuum ad æquanimiter quæcunque aduerſa propter Deum tolleranda: & ſiquod tale ſuis poſteris exemplum patientiæ ac longanimitatis relinquit, neque infirmū eſt, taliáq; impreſſa cordibus hominū, perſeuerātiæ veſtigia ſeu ſigna, maxime imitaturis profutura ſunt. Deinde eſt vox Chriſti ſeu Eccleſiæ: Perſequar, &c.

Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant.

Ad Dauidē præſentia referendo, ita vt hic dicitur, ei contigit in filiis Amon, quos capta ciuitate regia trucidauit, dū circumegit ſuper eos ferrata carpenta, trāſducēs eos in typo laterū, 2. Regū 12. Si vero nūc ēſt vox Chriſti ad Patrem: iſtud pro Iudæis accipi poteſt, qui iniuſtè Domino inimici ſunt facti, & quos propterea multis malis *afflixit*. Aut hoc intelligit regius Vates de illis qui primùm cōtra Dominū extolluntur, poſtea conuerſi, eius pedibus inclinātur, & vitā merentur humiliati, qui mortē demeruerant contumaces. Perſequitur enim Deus inimicos ſuos afflictionū diuerſa clade fatigatos, & cōprehendit eos quos ab ſtudio peruerſo mutauerit, quēadmodū Paulo contigit in Actis, cui dictū eſt, Ego ſum IESVS quē tu perſequeris: durū eſt tibi cōtra ſtimulū calcitrare. Vbi Meſſias nō Deum, vel Dei filium ſe vocat, ſed humilitatis meę (inquit) infirma ſuſcipe, & ſuperbiæ tuæ ſquammas depone. O quàm felix eſt qui hoc modo capitur! beatus nimiū qui illas man⁹ euadere nō meretur! tunc magis liber redditur, quū fuerit tali ſorte captiuus: & quando nō conuertitur Dominus, tunc præda capitur, & à prauo ſtudio ſuo deſinit, qui vincitur ad ſalutē. Siue aliter intellige Eccleſiā hîc loqui pro ſuis membris, quaſi ad ſtudioſa animata conſtanter dicat, Perſequar affectus carnales meos mihi infeſtos, nec ab eis comprehendar, ſed comprehendā illos vt abſumantur, & ab iſta intentione nō cōuertar ad

Acto. 9.

tar ad

tar ad quieté, donec deficiant quæ obſtrepunt mihi. Quomodo enim in legionibus & exercitu ſunt tribuni, ſunt centuriones, ſunt ferentarij ac leuis armaturæ, & miles gregarius, & manipuli, cōmiſſaque pugna vacant nomina dignitatū, & ſola fortitudo quæritur: ita in campo & prælio Chriſtiano quo contra dæmones dimicamus, quãuis aſtet Eccleſia multo & vario ordine circundata, tamen non quærũtur nomina ſed opera, & glorioſior ille ſub vero imperatore Chriſto, nõ qui nobilior, ſed qui fortior. Recte igitur ſubiungit Propheta, Confringam illos, &c.

Confringam illos, nec poterunt ſtare: cadẽt ſubtus pedes meos.

Nunc prudens viator depingitur, qui carnem fræno temperantiæ retinet, ne ſe præcipitet currẽdo poſt concupiſcẽtias: & eandem, ne pigra ſit & inobediens, ſtimulis timoris & amoris diuini vrget, velut calcaribus ad curſum boni operis. Nulli parcẽdũ, vt ſoli parcamus animæ, & in hac valle, vbi vita tentatio eſt, ſemper concupiſcentia rationi ſubdenda. Vas electionis in cuius ore Chriſtus reſonabat, macerat corpus ſuum & ſubiicit ſeruituti, & tamen cernit naturalẽ carnis ardorem ſuæ repugnare ſententiæ, vt quod nõ vult, hoc agere compellatur, & quaſi vim patiẽs, vociferatur & dicit: Miſer ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? & quis arbitratur abſque lapſu & vulnere poſſe tranſire, niſi omni cuſtodia ſeruauerit cor ſuum? Quãdiu viuimus, pugna cõtinua eſt, & incerta victoria: ſed Chriſto faciente, victoriã adducent oratio ſine intermiſſione, vigil ſenſus, nec vanis cogitationibus patens: corpus inſuper pariter & animus tendens ad Dominũ. Hæc perfectè ſuppeditant noſtros infeſtiſſimos hoſtes, mundũ, carnẽ, & diabolũ: ſic confringuntur nec durant aduerſum nos, ſed cadũt ſubtus pedes noſtros. Quippe calcatis illis, præponimus amores quib⁹ ambulemus in æternũ. Nos affectu virtutũ ſic vitia ſuperamus, ſicut philoſophi ſeculi ſolẽt amorẽ veterem amore nouo quaſi clauũ clauo expellere. Niſi oderimus malũ, bonũ amare nõ poſſumus, quin potius faciẽdũ eſt bonũ, vt declinem⁹ à malo. Declina (ait Scriptura) à malo & fac

Iob. 7.
1. Cor. 9.
Rom. 7.

Pſal. 33. bonũ: quęre pacẽ & perſequere eam: pax quærenda vt bella fugiamus. Nec ſufficit eã quærere, niſi inuẽtam fugientẽmque omni ſtudio proſequamur, quæ exuperat omnem ſen-
Philip. 4.
Pſal. 75. ſum: in qua habitatio Dei eſt, dicẽte Propheta, Et factus eſt
Rom. 12. in pace locus eius. Pulchrẽque perſequutio pacis dicitur, iuxta illud Apoſtoli, Hoſpitalitatẽ perſequentes, vt nõ leui vſitatóque ſermone, & (vt ita loquar) ſummis labiis hoſpites inuitemus, ſed toto mentis ardore teneamus, quaſi offerentes ſe cum lucro noſtro atque compendio. Itaque ſimiliter hanc Domini pacem ſummo labore omnibúſque neruis nobis comparare debemus, vt ſemper iſti hoſtes de quibus dicimus, cadant ſub pedibus noſtris, & procidant imbelles coram nobis.

Et præcinxiſti me uirtute ad bellũ, & ſupplantaſti inſurgentes in me ſubtus me.

Deſcribuntur per hæc ſummarie vniuerſa prælia Dauidis. De quibus 2. Regũ cap. 8. Et clauſula quę nũc habetur, in principio Pſalmi, ſecundum ordinem ſententiarum videtur fuiſſe locãda: quoniam hinc factum eſt, vt ipſe perſequutus ſit inimicos & comprehenderit: ita vt ab eo ſubacti ſint, qui eum ſubactum reddere volebant. Iſtud etiam poteſt intelligi dictum à fideli anima cui conſtrinxit Dominus ſua virtute fluentia deſyderia carnis, ne in pugna contra diabolum præpediretur. Et hos inimicos refert ſupplantatos: quaſi Deus illos decipi fecerit, qui ipſam inſequebantur. Et ſub ea redacti ſunt, qui ſuper eã dominari cupiebãt. Quapropter quoties aduerſum nos aliquod vitium inſurgere viderimus, ſi cito ipſum ſupplantare volumus, poſtulemus à Domino virtutẽ huic vitio cõtrariam, & hoc artificio facile quæcũque peccati pericula vitabimus. Interim hæc ad ſupplantãda vitia perutilia ſunt, intus & foris ſemper bonũ habeam⁹ teſtimoniũ, tales ſint nobis ſocij, quorũ contubernio non infamemur. Caueamus omnes ſuſpiciones & quicquid probabiliter fingi poteſt, ne fingatur, antè deuitemus, diuinas Scripturas ſæpius legamus, immo nũquam de manibus ſacra lectio deponatur, obtineamus eum
Tit. 1. qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonẽ. Permaneamus

mus in his quæ ſic didicerimus, ſcientes à quo didicerimus: & non confundant opera noſtra ſermonem noſtrum, ne quum in Eccleſia loquuti fuerimus, tacitus quilibet rideat, Cur ergo hæc quæ dicis, ipſe non facis? Delicatus magiſter eſt, qui pleno ventre de ieiuniis diſputat. His artibus fiet iam in portu nauigantes Altiſſimo gratias referendo dicamus, Et inimicos meos, &c.

Et inimicos meos dediſti mihi dorſum, & odientes me diſperdidiſti.

Si de Dauide ſermo eſt, apparet hîc eum loqui de rebellione facta per Abſalonem & Sibam filium Bochri. Nam deſcribit ſalutem ſuam per diſperſionem odientium eum, & per fugam illorum, à ſimilitudine terga vertentium: vt iam quaſi à facie non reſiſterent: quod Abſaloni contigit, qui à prælio fugiens, dum crinibus penderet de quercu, à Ioab tribus lanceis cõfoſſus eſt. 2. Regũ cap. 18. Duplicia inſuper Legis ſacramenta verſus iſte complexus eſt. Primũ eſt, quòd DORSVM, conuerſionem eorum ſignificat, qui ex reſiſtentibus nomini Chriſti, in ſalutiferam victoriam fugati, emerſerũt ſubito Chriſtiani: vt Paulus ex perſequutore factus Vas electionis: ſicut & quoſdam immatura morte præuenit Dominus, ne peccent. Sapientiæ cap. 4, Raptus eſt, ne malitia immutaret ſenſum eius, aut fictio deciperet animã illius. Atque ita nunc ait Chriſtus Deo Patri, Inimicos meos conuertiſti, & dorſum mihi eos eſſe feciſti, vt tandem ſequerẽtur me. Nam (inquit) inimici mei qui noluerunt conuertere faciem ſuam ad me, dorſum dant quando confugiunt, & quando poſt me vadunt. Secundum eſt quòd Redemptor odiẽtes eum diſperdendos eſſe denũtiat, qui in perfidiæ ſuæ obſtinatione manentes, ſatis malitia ſua diſperduntur. Id abunde patuit in obſtinatis Iudæis, quos propterea ita diſperſit Dominus, vt nullibi aliquid poſſideant, ſed vbique ſeruiunt & ſub tributo viuunt, ſanguinem CHRISTI ſuper ſe & ſuper filios ſuos portantes. Sequitur Clamauerunt, &c.

2. Reg. 15. & 20.

Acto. 9.

Matt. 27.

Clamauerunt, nec erat qui ſaluos faceret ad Dominum, nec exaudiuit eos.

Explicans Dauid ad quẽ clamauerũt ſui hoſtes, ſubiũgit, AD Dominũ: tãquã agentes vindictas Domini cõtra ipſum adulterũ & homicidã. Sed ſequit. NEC exaudiuit eos, quia nõ ſatiſfecit deſyderio eorũ: quippe ab his criminibus iam emẽdatus erat regius Vates. Inſuper nũc Eccleſia dicit clamores irritos tũ Iudæorũ tũ perditorũ, qui à malitia recedere noluerũt. Ante Titũ ſemper fuerũt Iudæi ſuis in tribulationibus exauditi: vt patet ex decurſu libri Ioſue, Iudicũ,
Ioſue 8. Regũ, Machabæorũ. Sed in hac vltima deuaſtatione, nuſ-
Iudic. 2. quã liberatorẽ inuenerũt: nã tranſlato ab eis ſacerdotio &
3. 4. ſacrificio, trãſlata etiã fuit oratio, ſaltẽ quæ eos tandẽ à ſer-
1. Reg. 7. uitute eriperet. Adde quòd dũ eis loquutus eſt Dominus, & per ſe, & per Prophetas, audire noluerunt. Quid mirũ ergo ſi quod prædicit Prouerbiorũ cap. 1. eis contingat, Vocaui (inquit) & renuiſtis: extendi manũ meã, & nõ fuit qui aſpiceret: deſpexiſtis omne cõſiliũ meũ, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, quũ vobis quod timebatis aduenerit. Quum irruerit repẽtina calamitas, & interitus, quaſi tempeſtas ingruerit, quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia: tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane conſurgent, & nõ inuenient me, eo quòd exoſam habuerint diſciplinã, & timorẽ Domini nõ ſuſceperint. Tantũdẽ de quocũque hîc indurato & finaliter obſtinato dici poteſt: nam alius ſaluare nõ valet, & Deus non vult, quia à nequitia ſua nõ diſcedit, nec pure Dei miſericordiã requirit: vnde infructuoſa illic agno ſcitur pœnitudo, vbi iam eſt iuſta damnatio. Qualiter Regi Antiocho contigit, de quo 2. Machab. 9. atque ipſi Eſau, de quo ad Hebr. cap. 12, Nõ inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis exquiſiſſet eam. Vbi inquit gloſſa: Corruit benedictione, non quòd non pœniteret, ſed quia non
Gen. 27. pœnituit vt debuit, dicens, Veniet dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum. Certe tales clamores ſaluum facere nequeunt, qui ſalutis authorem cõtemnũt. Addit litera, Et comminuam eos, &c.

Et com-

Et comminuam eos ut puluerem ante faciem uẽti:ut lutum platearum delebo eos.

Iam Dauid fretus Dei miſericordia ſuis inimicis cõminatur exterminium:quod adimpletum conſtat in proſtratione tam Abſalon quàm Sibæ.Idem facit Iudæis Chriſtus victor mortis,quos(ſicut lutum platearum proiicitur extra ciuitatem ad loca immunda) ita deiecit à templo & ſacerdotio. Qua ex re factũ eſt vt fuerint poſteaDeo eorum ſacrificia ac orationes abominabiles. Nunc etiam contunditur lingua grandiloqua, & ventoſa ſuperbia: nam nouerint vt puluerem ſe comminuendos, quia Domino prauis mentibus cõtradicere moliuntur.Et ne putent ſe, quanuis detritos poſſe quieſcere addit textus. ANTE faciem venti:vt quieſcere non poſſint aut refrigerium habere,quum fuerint imminuti: aridi enim ſunt non recipiẽtes imbrẽ miſericordiæ Dei, atque elati & inflati ſuperbia, à ſpe firma & inconcuſſa,tanquam à terræ ſoliditate & ſtabilitate rapiuntur. Bene autem luto platearum cõparat peccatores, quod fœtidiſſimis ſordibus inquinatur, nec excipitur à conculcatione populi, vt ſemper eius fœtor iteretur. Sic peccatum ſemper ſui & pœna & abominatio eſt. Et hos peccatores delendos hîc aſſerit CHRISTVS. Nam per latas, quas multi ambulant perditionis vias, luxuriantes,ſic in immundiciis viuunt,& foras(vt lutum)proiici merentur. Græca enim dictio eſt Platea,& latum ſignificat. Deinde vox CHRISTI ad Patrem pro ſubiectione Gentium,Eripies me de contradictionibus,&c.

2.Reg.18 &20.

Matth. 7.

Eripies me de contradictionibus populi, conſtitues me in caput Gentium.

Plane ereptus eſt CHRISTVS de contradictionibus populi,quando exploſis perfidis Iudæis,ad Gentium fidem deuotionémque tranſlatus eſt:quod aperte prædixerat Oſeas, ita ſcribens, Et erit in loco, quo dictum eſt eis, Non populus meus vos, vocabuntur & ipſi filij Dei viui. Hoc teſtimonium Propheticum de vocatione populi Gentium, qui prius non pertinebat ad Deum, etiam Apoſtoli

Oſeæ 2.

Rom.9.

intellexerunt. In priore enim epiſtola Petri cap. 2. ſcriptum eſt, Qui aliquando non populus Dei, nunc populus Dei. Et quia ipſe quoque populus Gentium ſpiritaliter eſt in filiis Abrahæ, ac per hoc recte dicitur Iſrael, propterea ait idem
Oſeæ 1. Oſeas, Et congregabũtur filij Iuda & filij Iſrael in idipſum, & ponent ſibimet principatum vnum, & aſcendent à tera. Quod vt clarius intelligatur, recolatur lapis ille angularis,
Eſa. 28. & Epheſ. 2. & duo illi parietes: vnus ex Iudæis, alter ex Gẽtibus: ille nomine filiorum Iuda, iſte nomine filiorum Iſrael: eidem vni principatui ſuo in idipſum innitentes & aſcendentes agnoſcantur in terra, & ſic facile quis deprehẽdet quomodo cũcti homines poſſunt pertinere ad ſpiritalem promiſſionem Abrahæ, ſi eius pietatem & iuſtitiam fuerint ſectati. Deſertionem vero Iudæorum ibidem teſtatur idem Propheta, ta-
Oſeæ 3. lia prædicens, Quoniam diebus multis ſedebunt filij Iſrael ſine Rege, ſine principe, ſine ſacrificio, ſine altari, ſine ſacerdotio, ſine manifeſtationibus. Et poſtea (inquit) reuertentur filij Iſrael, & inquirent Dominum Deum ſuum, & Dauid regem ſuum, & ſtupeſcent in Domino, & in bonis ipſius in nouiſſimis diebus. Nihil eſt iſta Prophetia manifeſtius, qua Dauid regis nomine ſignificatus intelligitur CHRI-
Rom. 1. STVS, qui factus eſt (ſicut dixit Apoſtolus) ex ſemine Da-
Amos 9. uid ſecundum carnem. Amos quoque ſimilia de hoc Prophetat, talia acclamans, In die illa (inquit) reſuſcitabo tabernaculum Dauid quod cecidit, & reædificabo quæ ceciderunt eius, & deſtructa eius reſuſcitabo, & reædificabo ea ſicut dies ſeculi, ita vt exquirant me reſidui hominum, & omnes Gentes, in quibus inuocatum eſt nomen meum ſuper eos, dicit Dominus faciens hæc. Quem locum ad vocationem Gentium pertinere etiam Iacobus frater Domini interpretatus eſt, Actorum cap. 15, Quum ij qui ex Iudaiſmo Phariſaico ad baptiſmum venerant, negotium faceſſerent Paulo & Barnabæ quòd in Eccleſia Dei cum præputio verſarentur, & ſine ceremoniis ſabbatiſmorum. Itaque quum Apoſtolica declaratio huic dicto acceſſerit, quis audeat aliam quærere? Contradictiones verò populi Iudaici nunc illas appellat CHRISTVS, quando inter
Ioan. 7. ſe diſſidentes aliqui dicebant, Quia bonus & verax eſt: alij blaſphe-

blaſphemabant, Non: ſed ſeducit turbas. Et hîc præcipue deſcribit Dauid quo ordine, quôve medio vocatę ſunt Gentes: reprobatis ſcilicet prius perfidis Iudæis: ſicut dicit Apoſtolus, Illorum delicto ſalus eſt Gentibus. Calcato ſiquidem Iſrael, CHRISTVS triumphator extitit ſuper Gentes. Et verè (inquit Meſſias) ita accidit, nam populus quem non cognoui, ſeruiuit, &c. Rom. 11.

Populus, quem non cognoui, ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.

Hoc factum eſt à Gentibus, quas non cognouit Dominus, viſitando eas præſentia corporali, vel lege, vel Prophetis. Ignorabat hunc populum Deus, quum idolis ſeruiret. Nunc credens cognitus, ac ſeruiens factus eſt. Magi crediderunt, quos Deus non dignatur cognoſcere, & illis ſeruientibus, & munera offerentibus, Iudæi abnegant, & in CHRISTI perſecutionibus perſeuerant. Obaudierunt autem Gentes in auditu auris, quia non viderunt miracula, neque præſentem corpore Dominum, ſed ſolo auditu ex prædicatione Apoſtolorum, obediuerunt Euangelio, & crediderunt, atque auditu auris ſuæ CHRISTI ſuſceperunt nuntium. Imbuentibus enim his prædicatoribus, accepit Eccleſia aurem ſpiritualem, qua intelligens cuſtodiat præcepta diuina. Quare laus iſta Gentium vituperium magnum eſt Iudæorum, vt ſeruiant Meſſiæ qui non viderunt, vt audiant eum, quibus ex ore eius ſacratiſſima minime verba ſonuerunt, ſicut ſcriptum eſt Eſaiæ cap. 52, Quibus non eſt narratum de eo, viderunt, & quæ non audierunt cõtemplati ſunt. Præſentem ſermonem inſuper poteſt dicere CHRISTVS vel Eccleſia de ſimplicibus & idiotis, quos non videtur cognoſcere Dominus ipſos illuminando ſcientia, & tamen ſæpiuſculè proniores ſunt ad omnia eius mandata obſeruanda quàm docti & literati. Sed væh illi qui acceptum talentum in ſudario ligans, cæteris lucra facientibus, id tantum quod acceperat reſeruauit: illico indignantis Domini clamore ferietur, Serue nequam, quare non dediſti pecuniam meam ad menſam, & ego veniens cum vſuris exegiſſem eam, id eſt depoſuiſſes ad altare Luc. 19.

quod ferre non poteras. Dum enim tu ignauus negotiator denarium tenes, alterius locum qui pecuniam duplicare poterat, occupaſti. Quāmobrem ſicuti qui bene miniſtrat, bonum gradum ſibi acquirit; ita qui tepidus eſt, euomitur ex ore magiſtri. Sed filij alieni (inquit Redemptor) mentiti ſunt mihi, &c.

1. Tim. 3. Apoc. 3.

Filij alieni mentiti ſunt mihi, filij alieni inueterati ſunt, & claudicauerunt à ſemitis ſuis.

Ad Dauidem rurſus redeundo: hîc aſſignatur cauſa ex qua ipſe conſtitutus eſt à Deo caput Gētium extranearum. Origo enim totius belli, cuius iure Dauid aſſequutus eſt dominium Gentium, fuit iniuria quam fecerūt Ammonitæ legatis Dauidis miſſis ad conſolandum Regem ſuper morte patris. Huiuſmodi enim iniuria adiuncta conductione Syriorum (de qua 2. Regum cap. 10.) appellatur negatio Dauidis, quia vere negauerunt fidelitatem mutuam, & ipſum amicum & officioſum, ſeu mendacium, quia verè mentiti ſunt, & violata fide & impoſito crimine explorationis: vt patet ibidem. Meritò autem vocantur Filij alieni ſeu alienigenæ, quia non erant ex filiis Iſrael: immo nec ex fratribus, vt Idumæi, ſed nec ab Abraham deſcenderant: ſed à
Gen. 19.
Loth. Et congrue ſubditur iuxta Hebræum, Timebunt à
1. Reg. 12
clauſuris ſuis, quia nec in clauſuris ſuis erant tuti: cœpit enim Dauid etiam regiam vrbem eorum. Hîc præterea intelligi poteſt vox CHRISTI contra Iudæos, qui antiquo vocabulo filii Dei appellati ſunt: quibus primum
Rom. 3.
credita ſunt & eloquia & arcana ſacra: ſed nunc alieni ſeu abalienati nominantur, quemadmodūm Synagoga Matth. cap. 12. generatio adultera dicitur: & id egregie quidem,
Ezech. 16
quia dimiſit virum: & (iuxta Ezechielem) multis ſe amatoribus copulauit. Tota enim lex & Prophetæ hunc populum ducebant ad CHRISTVM, tanquam in finem ac ſcopum ſuum: ſed quum finis aduenit, ipſi Hebræi à fine diſcedentes, ex filiis, mutato nomine, alieni facti ſunt. Et CHRISTO mentientes qui ei perpetuum obſequium in receptione legis deuouerant, inueterati noui hominis non

recepe-

receperunt aduentum, ſed ſua in malitia perſeuerauerunt. Attulerat quidem eis Meſſias nouum Teſtamentum, vt renouarentur: verum in veteri homine potius remanſerunt, & claudicauerunt à ſemitis ſuis. Claudicant certe, quia Patrem credunt, & Filium non credunt: claudicant inſuper tanquam vno pede debiles, quia vetus tenentes Teſtamentum, nouum reſpuunt: claudi effecti ſunt etiam in ipſa veteri Lege, tenacius traditiones ſuas quàm Dei ſequentes. Matth. 15. Calumniabantur enim de manibus non lotis, quia tales erant ſemitæ, quas ipſi fecerant & conſuetudine triuerant, aberrando ab itineribus præceptorum Dei, ſuiſque ſuperſtitionibus agebantur, non recipientes Meſſiam promiſſum. Iſta claudicatio huius populi figurata eſt, Gen. cap. 32. quando Iacob luctans cum Angelo manſit claudus vno pede, eò quòd emarcuit neruus fœmoris eius. Sícque erat Iacob benedictus, & claudus: in fidelibus benedictus, in infidelibus claudus: & is neruus fœmoris, qui in eo emarcuit, non ſolùm ſignificauit quòd plures ſui ſanguinis à fide Patrum degenerantes, & à præceptis ſui authoris deuiantes, in erroris ſui ſemitis claudicarent: ſed & quòd tandem is populus claudicans etiam torpeſceret, ne vltra iam fideles generare poſſet. Tum demum his enumeratis Pſalmographus quaſi exultans ſummatim recapitulando munera Dei laudat, vt ſic gratiarum actiones concludat: atque ait, Et quia prædicta Deus facit, patet quòd viuit Dominus, & benedictus Deus, &c.

Viuit Dominus, *&* *benedictus* Deus *meus, &* *exaltetur* Deus *ſalutis meæ.*

Nunc vox eſt Eccleſiæ, ſeu fidelis cuiuſcunque animæ Deo pro receptis beneficiis gratias agentis: & aſſerit contra inſenſatam Iudæorum peruicaciam viuere Dominum, quem ipſi in ſepulchro ſub ſignaculorum poſitione clauſerant. Sicut dicit Sanctus Paulus, Qui mortuus eſt ad tempus ex infirmitate carnis, viuit ex virtute Dei. Iam enim non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Benedictus verò eſt cui laus omnis ſemper debetur, & qui Matth. 27 2. Cor. 13. Rom. 6.

cunctis propitius benedicit. Filium autem modo Deum ſalutis ſuę appellat, quia ſolus eſt incarnatus, paſſus, atque reſurrexit ad redimendum nos. Olim enim Filius, creationis tantũ erat ſeu formationis Deus, nũc autem & reformationis Deus eſt, id eſt ſalutis. Ipſe exaltetur qui & toto orbe creditur. Nam quónã pacto aliter exaltari potuit, qui propriè vocatur Altiſſimus? Vel exaltetur, id eſt in nobis ſemper excelſus ſit, cuius vocatio ſalus noſtra eſt, ne quicquam de eo vile ſentiamus. Proinde intelligamus totum quod nobiſcum agitur per Teſtamentum nouum, nõ pertinere niſi ad noui ſeculi hæreditatem nouam: vt hîc pignore accepto, illud cuius hoc eſt pignus ſuo tempore conſequamur. Nũc autem ambulemus in ſpe, & proficientes de die in diem ſpi

Roma. 8. ritu facta carnis mortificemus: nouit enim Dominus qui

2. Tim. 2. ſunt eius: & quotquot ſpiritu Dei aguntur, hi filii Dei ſunt,

Roma. 8. ſed gratia non natura. Vnicus enim natura Dei Filius, propter nos miſericordia factus eſt filius hominis, vt nos natura filij hominis, filij Dei per illum gratia fieremus. Manens quippe ille immutabilis, naturam noſtram in qua nos ſuſciperet, ſuſcepit à nobis, & tenax diuinitatis ſuæ, noſtræ infirmitatis particeps factus eſt, vt nos in melius commutati, quòd peccatores mortalésque ſumus, eius immortalitatis & iuſtitiæ participatione amittamus: & quod in natura noſtra bonum fecit, impleti ſummo bono in eius naturæ bonitate. ſeruemus. Sicut enim per vnum hominem peccantẽ in hoc

Roma. 5. tam graue malum deuenimus: ita per vnum hominem eundémque Deum iuſtificantem, ad illud bonum tam ſublime veniemus. Nec quiſquam ſe debet ab iſto ad illum tranſiiſſe confidere, niſi quum ibi fuerit vbi tentatio nulla erit, niſi

Gala. 5. pacem tenuerit, quam bello huius vitæ (in quo caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem) multis & variis certaminibus quærit. Hoc autem bellum nunquam vllum eſſet, ſi natura humana per liberum arbitrium in rectitudine in qua facta eſt, perſtitiſſet. Nũc vero quę pacem felix cum Deo habere noluit, ſecum pugnat infelix: & hoc quoque quum malum ſit miſerabile, melius eſt tamen quàm priora vitæ huius. Melius quippe confligitur cum vitiis, quàm quum ſine vlla conflictione dominantur. Melius

eſt inquam bellum cum ſpe æternæ pacis, quàm ſine vlla liberationis cogitatione captiuitas. Cupimus quidem etiam hoc bello carere, & ad capeſcēdam ordinatiſſimam pacem, vbi firmiſſima ſtabilitate potioribus inferiora ſubdantur, igne diuini amoris accendimur. Sed ſi (quod abſit) alibi tāti boni ſpes nulla eſſet, malle debuimus in huius conflictationis moleſtia remanere, quàm vitiis in nos dominationē non eis reſiſtendo permittere. Poſtea Redemptor conuerſo ſermone ad Deum ait, Deus qui das, & cæt.

Deus qui das uindictas mihi, & ſubdis populos ſub me, liberator meus de inimicis meis iracundis.

Vox CHRISTI quaſi Deo Patri dicat: Sicut liberaſti Dauid de manu Saulis, Abſalon, & reliquorum inimicorum, 1. Reg. 23.
atque feciſti ei de omnibus vindictam, dans etiam victoriā, 2. Re. 17.
& ſubieciſti ditioni eius duodecim Tribus Iſrael, populóſ- 2. Reg. 5.
que finitimos Ammonitarum, Idumęorum & Moabitarum, 2. Reg. 8.
quæ omnia contigerunt in figuram mei: ita tu es Deus & liberator meus de inimicis meis tam Iudæis quàm tyrannis iracundis & perſequutoribus. Seu vox eſt Eccleſiæ quæ in iſto mundo cum triumpho vindicatur, quando blaſphemi & infideles ad verę religionis penetralia perducuntur: vt qui antè contumaces extiterunt, fiant illi proficua deuotione ſubiecti. Ecce vere vindicta pia, ſalutaris pœna, vltio glorioſa. Ipſi enim Eccleſiæ ſubduntur, qui liberi probantur à vitiis. Nam qui ab ipſa deuiant, mox laqueum noxiæ captiuitatis incurrunt. Addidit autem liberatori ſuo laudem, dū ſe ſaluam prædicat ab inimicis iracundis. Maior ſiquidem gloria eſt à feruentibus malis eripere, quàm dum non inſaniunt hoſtes, adeſſe. Sequitur,

Et ab inſurgentibus in me exaltabis me: à uiro iniquo eripies me.

Decora diuerſitas: vt quanto magis ad iram excitati ſunt inimici, tantò plus exaltaretur illa quæ pertulit. Sic nobile vincendi genus patientia: ſic improbitate perſequentium virtus Eccleſiæ clarior effecta eſt. Nec vanis aduerſariorum ſuſurris ceſſit. Omnia quippe ſuſtinuit, vt ſoli CHRISTO

adhæreret. Sanctus enim amor impatientiam non habet. Falſus rumor cito opprimitur & vita poſterior iudicat de priore. Fieri ſane non poteſt vt abſque morſu hominum, vitæ huius pericula quis pertranſeat, malorúmque ſolatium eſt, bonos carpere, dum peccantiũ multitudine, putant culpam minui peccatorum. Sed tamen cito ignis ſtipulæ conquieſcit, & exundans flãma deſſicientibus nutrimentis paulatim emoritur. Propterea nunc in Deo ſperans ait Eccleſia, A viro iniquo eripies me: & virum iniquum appellat Diabolum aut (ſi mauis) ſciſmaticum, qui peruerſi dogmatis graſſatur iniquitate. Ecce quomodo ſpõſus ſponſam cõ-
Matth. 16. tra hos omnes infeſtiſſimos hoſtes ita munit, vt portæ inferi non præualeant aduerſus eam. Propterea (ſponſa inquit) Confitebor tibi in nationibus, &c.

Propterea confitebor tibi in nationibus, Domine, & nomini tuo Pſalmum dicam.

Illatiua coniunctio refert quę accepit Eccleſia à Deo beneficia, & propter hæc repromittit confeſſionem laudis nomini eius. Laudabo te (ait) inter credentes nationes Gentium. Nam ipſa erat Gentiũ numeroſitate dilatãda. PSALMVS vero hîc ſignificat opus quod facimus: vnde quũ Altiſſimo ita ſpondet, Pſalmum dicam nomini tuo: tantũdem eſt acſi dicat, Bene operabor, vt latius innoteſcas bonis operibus meis. Ille enim Deum vere & perfecte laudat, cuius in laude lingua & vita concordant: & quando bona quæ loquitur, agit. Et hæc duo ad vnius Dei laudem atque dilectionem conuertere debemus, à quo cuncta eſſe cognoſcimus. Sic Eccleſia & bona docet, & mala dedocet: ſic laudando & operando conciliat auerſos, remiſſos erigit, neſcientibus quid agatur, quid expectare debeant intimat. De Dauide præterea iterum verba faciendo, præſens illatiua coniunctio PROPTEREA, denotat exaltationem Dauidis ordinatam diuinitus ad hoc, vt ex ipſius regio ſemine naſceretur Meſſias, Saluator non ſolum Iu-
1. Tim. 2. dæorum, ſed & Gentium. Et propter hanc tantam gratiam,
&. 4. Deo ait, Confitebor confeſſione laudis & fidei te in nationibus, quę modo te Deum non colunt. Quid autem can-

taturus

taturus erat, ſubiunxit, Magnificans ſalutes Regis eius, &c.

Magnificans ſalutes Regis eius, & faciens miſericordiam Chriſto ſuo Dauid, & ſemini eius uſque in ſeculum.

Tria continet hic verſiculus. Primum quòd Deus eſt magnificans ſalutes Regis ſui, hoc eſt ipſius Dauidis, Regis ab eo conſtituti: Secundum eſt, Et faciens miſericordiã vncto ſuo Dauidi, per Samuelem. Et hæc miſericordia tertio loco extenditur ad ſemen Dauidis, apponẽdo Vſque in ſeculum, vt intelligas quòd de miſericordia æterna præſtãda Dauidi & ſemini eius loquitur, quam conſtãt nõ niſi per Meſſiam adimpleri. Perpendamus autem qualem Pſalmum ſuperius dixerimus, qui magnificet filiũ Altiſſimi toto orbe terrarũ. Deus eſt qui magnificat, vt admirabiles faciat ſalutes quas eius Filius dat credentibus. Confert enim eis ſalutẽ corporalem, ſpiritualem & cęleſtem. Facit etiam miſericordiam CHRISTO ſuo Dauid, quum ex ſemine eius excitat regnum quod imperet in ſecula ſeculorum. 1. Reg. 16

IN PSALMVM XVIII.

CAEli enarrant gloriam Dei, & opera manuũm eius annuntiat firmamentum.

Titulum ſic vertit Hieronymus. Victori Pſalmus Dauid: & huius intelligẽtia ſatis patet ex ſupradictis. De argumẽto autem iſtius Pſalmi licet plerique exiſtiment ipſum continere vocem Prophetæ de CHRISTO loquentis: nos tamen nunc etiam ad literam accipiemus comparationẽ eſſe notitiæ diuinorum quam habemus ex cęlis, ad notitiam diuinorum ex lege diuina. Atque hoc pacto Pſaltem agere de excellentia ſupernaturalis legis, comparatione notitiæ naturalis diuinorum, quam imprimis ex cæleſtibus corporibus venamur, quando in eis maxime apparent diuina opera, & conditiones deificæ, vtpote incorruptibilitas vniuerſaliſque cauſalitas. Neq; intelligas cælos narrare, & annũ-

tiare loquendo, ſed materiam narrationis & annuntiationis præbendo. Quippe ſuper humanum opus, & ens entium imprimis lucet iis motibus & naturis aſtrorum, atque à ma-
Sap. 13.& gnitudine ac pulchritudine creatarum rerum, quaſi pro-
Roma.1. portione quadam earum artifex conſideratur. Sed dum cę-li enarrantes tum gloriam tum opus Dei, pariunt notitiam ſucceſſiue volubilē & imperfectam de prima cauſa, ipſa Domini lex interim non ſolum perfecta, animam reſtitués, illuminans, ſaperéque faciens, ſed etiam obſeruatio eius dulcis ac cum mercede eſt. Quare Dauid hîc gratias agit pro
Pſal. 147. receptione iſtius legis Iſrael dilecto datæ, quaſi non fecerit Altiſſimus taliter omni nationi: ſed in hoc oſtendit & ſuam infinitam ſapientiam, & ſuam indicibilem miſericordiam, qui ægroto generi humano ita protinus adfuit. Ante enim receptionem Decalogi, vſqueadeo obfuſcata erat naturæ lex vt (teſtante Paulo ad Rom.5.) peccatum non imputaretur, quum lex non eſſet: & per legem cognitio peccati. ad Rom. cap.3 Hæc enim lex naturalis quæ per Moyſen partim reformata, partim authoritate firmata, in vitiis cohibē-dis cognitum fecit peccatum, non quòd lateret, ſed oſtendit peccata quæ fiunt, non impunè futura apud Deū, ne forte quis ad tempus euadēs, legem euaſiſſe putaretur, & iſtud eſt quod lex oſtēdit. Nunc igitur Deo laudes cantat Propheta, pro tāto ſuſcepto beneficio, perfectionémque iſtiuſmodi legis multis metaphoris explicat. Nec obeſt quòd Paulus ad Rom.cap.10. vtitur quarto verſiculo huius Pſalmi (ſcilicet In omnem terram, &c.) ad aſſerendum prædicationem Apoſtolorum auditam vbique terrarum: quoniam conſtat Apoſtolos vti quandoque Scriptura in ſenſu myſtico, vt patet Ioannis cap. 19, Os non comminuetis ex eo. Quando enim clare apparet alterius hiſtoria ſenſus literalis, aſſerere licet Apoſtolos myſtico ſenſu vti. Sic autem nūc accidit. Nam liquet ea quæ hîc dicuntur de cælis, verificari de ipſis corporibus cæleſtibus: quemadmodum præceptum de non frāgendo (os ſcriptum Exodi cap.12.) aptatur agno qui immolabatur. Itaque ſecundum hiſtoriam, Cæli cum cæteris creaturis ſuis, gloriam Dei narrant. Ad Rom. cap.1, Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt, intellecta cōſpiciūtur. Et mirum

Et mirum iſtud opus hoc ordine patet: quippe cæli agunt in hæc inferiora, motu, lumine, & influentia. Quo fit, vt ſicut corrupta prima intelligentia corrũperentur alij orbes, (lib. 12. Metaphyſicæ) & corrupta luce deficeret lumen: ita corruptis cælis hæc inferiora corrumperentur ob ordinem eſſentialẽ. Et terra recipit influẽtias à motu planetarum & ſtellarum, quaſi mundus iſte inferior regatur lationibus ſuperioribus, Planetæ à primo mobili: vnde neceſſe eſſe plures motus ipſorum cælorum. Quos quidem cælos (intelligendo cælum eſſe corpus ſublime, luminoſum actu vel potentia, incorruptibile, per naturã circundans regionem ele mentarem) nunc ita diſtinguimus: videlicet, vnum ſit cælum ſydereum, aliud criſtallinum, aliud empireum. Primũ eſt partim diaphanum, & partim actu lucidum: Stellæ enim ſunt actu lucidæ, reliquæ eius partes ſunt diaphanæ. Secundum prorſus eſt diaphanũ, vtpote aqueũ ſiue criſtallinum: ſic dictum à ſoliditate & diaphaneitate, ad ſimilitudinem criſtalli, quòd eſt aqua ſolida, & iſtud dicitur primum mobile, ſeu aquæ quæ ſuper cælos ſunt. Tertium eſt omnino lucidum, Empyreũ nominatum, nõ à calore, ſed à perfecto lumine: & hoc dicimus authoritate Strabi, Bedæ, & Baſilij, quòd eſt locus beatorum à principio creatus, & ſtatim angelis repletus, vt ſicut damnati in tenebras vltimas abiguntur, ita beati remunerationem quæ pro dignis operibus redditur, in ea luce quæ eſt extra mundũ, quietis domicilium ſortiantur. Fitque locus beatorum ſpirituum, vt exterior claritas conueniat interiori, & vt nobiliſſimæ creaturæ, nobiliſſimus aſſignetur locus. Teſtante ſiquidem Baſilio, miniſtrator Spiritus non poterat degere in tenebris, ſed in luce & lætitia. Cælum ſydereum à doctoribus in octo ſphæras diuiditur: ſcilicet in firmamentum & ſeptem orbes planetarum. Firmamentum duobus motibus mouetur, vno ab oriente in occidentem ſuper polos mundi, vigintiquatuor horis, vno quoque die ſuam complens reuolutionem, & ſuo motu rapit ſecum omnes ſphæras inferiores, etiam ignis & aëris regionem ſuperiorem, quod ex motu Cometæ patet: aliter mouetur ſuper polos Zodiaci ab occidente in orientem, centum annis vno gradu,

Gen. 1. & Pſal. 148.

Pſal. 61.
Matt. 16.
Rom. 2.
2. Cor. 5.

complendo in triginta ſex millibus annorum vnam reuo-
lutionem, quam aliqui nominant Longum annum Plato-
nis, & iſte motus eſt proprius firmamẽti. Primum vero mo-
tũ (qui Raptus dicitur) habet à ſphæra ſuperiore, primo ſci-
licet mobili, cuius ille eſt motus, quemadmodum corpora
craſſiora & inferiora per ſubtiliora & potentiora regun-
tur quodam ordine, teſtante Auguſtino lib. 3. de Trinita-
te. Et hoc primum mobile (quod aliter Cælum criſtallinum
appellamus) vniformi ſuo corpore & motu (qui viginti-
quatuor horis vnoquoque die completur) eſt cauſa conſer-
uationis rerum, quemadmodũ firmamentum cum ſphæris
planetarum ſuis motibus & diuerſitate exiſtimantur princi
Sap. 13. & pia generationis & corruptionis. Quæ tamen omnia à Dei
Rom. 1. voluntate proxime pendent, vt ex creaturis creator intelli
gatur & quantum ſuam creaturam dignificauerit, perpen-
damus: qui (vt inquit Auguſtinus, ſuper Geneſim, ad literã)
ſic mundũ ordinauit vt Spiritum præficeret omni corpori:
Hebr. 1. & ita quemadmodũ congruũ erat angelos deputari ad mi-
niſterium hominũ, hac denique ratione congruum fuit eos
ordinari ad motum & regimen cælorum: quando in hoc &
miniſtrant homini viatori, & diuinæ ſubſeruiunt maieſtati.
Sed & vt ſciamus quia hoc eſt Firmamentum quod Cælum
Gen. 1. ſcribitur in Geneſi, Et appellauit Deus firmamentũ cælũ:
quod quidẽ dicitur firmamẽtũ, non propter ſtationem, ſed
propter firmitatẽ aut terminũ aquarum intrãſgreſſibilem.
Ex iis vero tãtis operib⁹, & à magnitudine ſpeciei & crea-
turæ, facile poteſt creator hominum videri. Sap. cap. 13. i-
pſaque immenſitas diuinæ potentiæ, ſapientiæ & bonitatis
comprimis in iſtis oſtenditur. Porro ad Chriſtum noſtrũ
ſingula hæc referẽdo, iuſte Euãgeliſtæ (in quibus Deus tan-
quã in cælis habitat) exponũt gloriã Domini IESV: & cæ-
Malach. 4 li facti ſunt Apoſtoli, habẽtes in ſe ſolẽ iuſtitiæ, & merita in
1. Cor. 15. modũ ſtellarũ pro varietate diuerſo ſplẽdore radiantia. Do
ctrinæ eorum ſignis approbatæ, ſunt firmamentũ, ſiue quia
crux (quæ firmamentũ eſt æternũ) opere manuũ tantorũ ſi-
gnorũ triũphauit & vicit, ſiue quia gloria Dei, illa qua ſalui
facti ſumus. Neq; exiſtimemus præſenti dicto (ſicut quidã
ſentiũt) Deus tanquã præſtantiorẽ cæteris hominẽ ſuis ma-
nibus

nibus fecerit: nam infirma eſt iſta & non ſatis elimata ſententia: omnia enim verbo fecit. Quippe licet opera Dei di uerſa narrentur, in quibus hominē ad imaginē ſuā fecit, tamen omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Atque quū ſcriptū eſt, Opera manuū tuarū ſunt cæli: certe quod verbo fecit, ſapientia fecit: quod manu fecit, virtute fecit: Chriſtus vero eſt Dei virtus, & Dei ſapientia: proinde omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Quare Dei ſumus figmentum creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis: non ſolum quippe homines ſed etiam iuſtos (ſi tamen ſumus) ipſe fecit nos, & non ipſi nos. Inſuper OPERA manuū eius referri poſſunt ad ea quæ Chriſt⁹ ſecundū hominē geſſit, puta ad ipſius natiuitatē, paſſionem, & mortem, quæ omnia vera eſſe ipſi Apoſtoli facti firmamentum Spiritus ſancti, ad aras vſque defenderunt.

Ioan. 1. Gen. 1. Pſal. 101. 1. Cor. 1. Ioan. 1. Epheſ. 2. Pſal. 99.

Dies diei eructat uerbum, & nox nocti indicat ſcientiam.

Paria paribus retulit Pſalmographus, quòd ex ordine tēporum, ad Dei magis notitiam perueniamus. Ex ſucceſſu ſi quidem dierum & noctium, hyemis & æſtatis, incremētorum & decrementorum dierum ac lunæ, miranda apparet Dei & potentia & ſapientia, omnia in numero, pondere & menſura regentis. Sic propterea Soli data duo ſolſtitia· ipſe quoque ab æquinoctio vernali ad ſolſtitium æſtiuum aſcendens, & inde ad æquinoctium autumnale tranſiens, atque poſtea ad ſolſtitium brumale perueniens, tandémque ad æquinoctium vernale rediēs, quatuor anni tempora diſtinguit. Luna vero certas ſuas coniunctiones & oppoſitiones ac Eclipſes ad caudam & caput draconis habet. Ipſa denique poſt æquinoctiū vernale veſpere plena procedēs, paſchalem terminū facit. Ecce iſto ordine lationis Solis ad nos fit pulchra viciſſitudo temporis ad operā & quietē mortaliū conueniētis: atq; interim infirmitati hominū prouiſum eſt, vt circūeūte Sole, diei noctiſq; viciſſitudine, propter vigilādi & dormiēdi viciſſitudinē, potiantur. Et ne nox indecora remaneret, luna cū ſyderibus cōſolatur eos quibus operādi nocturna neceſſitas incumbit. Simul etiā ſeruit animalibus

Sapiē. 11. Pſal. 103. Pſal. 135.

quæ lucem diei ferre non poſſunt. Iſtis demirandis Plaſmatoris ſanctionibus ſatis cogitur creatura ſuo creatori gloriam & honorem dare: ſicque videtur quodammodo ipſa DIES eructare, hoc eſt ſignificare, VERBVM, hoc eſt mādatū Dei. Quod de huiuſmodi nimirū ordine ab eo cōſtitutū eſt. Sed pulchrè hic appropriatur diurno tēpori Eructatio verbi: nam diurnū tempus congruū eſt ad actū docēdi, & diſcendi eloquio humano: nocti vero appropriatur INDICARE ſcientiā, quia nox magis cōmoda eſt ad aliquid meditandū & excogitandū. Pro Chriſto inſuper hūc verſiculū accipiendo, memineris quēadmodū in mundo elementari, dies & nox fiunt ex latione ſeu abſentia ſolis ſuper terrā, ita in Eccleſia (quæ dicitur mundus myſticus) nox fuit ab Adam vſque ad Chriſtū facta propter peccatū Adę: dies vero incœpit à baptiſmo & prædicatione Meſſiæ: nam tunc
Malach. 4 ipſe ſol iuſtitiæ protinus miſit lumen Euangelicū, & influxum diuinorū ſacramentorū ſuper vniuerſam terram: vnde ad Rom. 13, inquit Apoſtolus, Nox præceſſit, dies autem appropinquauit: diei comparans huiuſce rei ſcientiā, & nocti aſſimilans iſtorum ignorantiā. Verūtamen ſicut in nocte non apparet ſol, ſed tantū cælum ſtellatū, in quo dignoſcūtur ſtellæ, quarum aliquę ſupra reliquas diem propinquum prænuntiant, cuiuſmodi ſunt Venus & Lucifer. Ita Chriſtus in nocte legis veteris præmiſit Patriarchas & Prophetas, tanquam ſtellas prædicentes aduentum ipſius, & hoc pacto nox Patriarcharum & Prophetarum indicauit nocti
Malach. 4 Synagogæ ſcientiam aduentus Chriſti, qui fuit verus ſol,
& Ioā. 8. ortu ſuo pellens & fugans omnes tenebras noctis Prophetiæ, & per quem omnia quæ latebāt ſub vmbra & litera veteris Inſtrumēti, manifeſta & clara reddita ſunt. Atque ipſe Chriſtus verus dies, eructauit verbum Euāgelicum diei, hoc eſt cœtui Apoſtolorum iam in die gratiæ exiſtenti. Et quomodo ipſe Chriſtus dies eſt, ſicut dicit Ioan. 8, Ego ſum lux mūdi, ſic Apoſtoli dies ſunt. Matth. 5, Vos eſtis lux mundi. Quādo Chriſtus loquebatur Apoſtolis, dies diei eructabat verbū, & ipſæ duodecim quę ſunt horę diei, (Ioan. 11.) ipſi duodecim erāt Apoſtoli. Nox vero difficultas Scripturarum in Prophetis intellecta, tandem indicabat ſcientiam

noctis

noctis veteris Inſtrumenti, quę tamen maxime profuit. Nēpe, teſtante Auguſtino, nonnulla verba Scripturarum obſcuritate ſua ad hoc valuerunt, quòd multas intelligentias pepererũt, & dum ipſa myſteria per CHRISTVM & Apoſtolos fuerunt mundo manifeſta, hîc appellantur Verbum: quẽadmodũ hîc etiam nominantur Scientia, quādo in vtero Synagogę ante Chriſtum adhuc clauſa tegebantur: nam vt ſcientia in intellectu clauſa, nō niſi per verbũ manifeſtatur, ita iſta per ſolũ Verbũ, CHRISTVM, mũdo reſerata. Quare (inquit Auguſtinus) nil aliud eſt Teſtamẽtum vetus, niſi occultatio noui, & nouum Teſtamentum nil aliud eſt niſi manifeſtatio veteris. Sed quoniam ſingula quę ſupradicta ſunt, iam cunctis patent, idcirco nunc ſubnectit Dauid, Non ſunt loquelæ neque, &c.

Non ſunt loquelæ neque ſermones, quorum non audiantur uoces eorum.

Eſt Hebraicum idioma, geminatio illa pronominum, QVORVM, EORVM: verũ ordo ſic fiat cũ interrogatione, Nō ſunt loquelæ neq; ſermones eorũ, quorũ nō audiātur voces? Nam quum nulla earum rerum, quæ anima carent, audiatur vox (quia ſcilicet nullam habent) credere etiā quis potuiſſet, quòd nec loquela, nec ſermo eorum audiri poſſit. Sed imprimis declarat Dauid vbique terrarum intellectā eſſe rationẽ cælorũ: & SERMONES, hîc pertinere poſſunt ad cōmunes narrationes, LOQVELAE ad publicas ſuaſiones. Antiquorũ vero monumẽta probāt quātũ olim & domi & foris aſtrorum ſcientia recepta ſit. Sic huiuſce rei cauſa quondam ſacerdotes AEgypti omnibus mũdi negotiis curiſque poſtpoſitis, rerum naturas cauſáſque ac rationes ſyderum contemplando, nunquam mulieribus ſe miſcebant, nunquam cognatos & propinquos, ne liberos quidem videbant, ex eo tempore quo cœpiſſent talia rimari, atque humores corporis qui naſcuntur ex otio, & ex māſione vnius loci, nimia victus caſtigatione ſiccabant. Habuit Iudæa Eſſenos, aſtrologię non imperitos, qui iſtius philoſophię amore quotidianum ieiunium vertebant in naturam. Apud Indos ſapientes fuerunt Brachmanæ nuncu-

pati,quorum princeps Hierarchas nominabatur,eo tẽpore quo Apollonius Thianæus diſcẽdi viſendíq; deſyderio eò ſe contulerat,quem(narrante Hieronymo) in throno ſedentem aureo & de Tantali fonte potantem,inter paucos diſcipulos, de natura, de moribus, ac ſyderũ curſu audiuit docẽtem. AEthiopia Gymnoſophiſtas & famoſiſſimam Solis menſam tutata eſt in ſabulo.Deficeret me tempus ſi per reliqua vetuſtatis ſuper hac re teſtimonia curreret oratio. Nulla certe,vt credo, vnquam natio extitit,quæ non ſuos vates,ſuóſque ſuper hoc ſtudio philoſophos aliquando demirata ſit,nec improbabile eſt aſtrorum ſcientiam Abrahæ à Deo fuiſſe reuelatam, qui primus eam docuit in AEgy-

Gen. 12. pto,quando orta fame in terra Chanaã deſcendit in AEgyptum vt peregrinaretur ibi. Quid mirũ igitur ſi poſtea de cælis,ſyderúmq; natura totus audiuit mundus? Neque etiã præſentia Chriſto ſuiſque diſcipulis non quadrant, quos in

Acto.2. die Pentecoſtes dono linguarũ ditauit, & omnibus linguis loqui fecit Spiritus Sanctus, ita vt linguas omniũ & intelligerent & loquerentur: ſiue quia ipſis tantum lingua ſua Hebræa loquentibus,quiſque tamen linguam ſuam,in qua natus erat,diuina id præſtante virtute,intelligebat: vt quẽadmodum per rebellionem ad Deum,primùm diuiſæ ſunt linguæ in turri Babel,(Geneſ.11.) ita per Spiritum Sanctũ mundum ad Dominum reducentem,iterum vnitæ ſint. Et tunc veteri errore ſublato,vnum confeſſionis redditum eſt labium.de quo Sophoniæ cap.3, Reddam populis labium electum, vt inuocent omnes nomen Domini, & ſeruiant ei humero vno. Nec eſt cur ob hanc Sophoniæ authoritatem cũ Talmudiſtis interpretemur,quòd ſicut ante linguarũ di-

Gen.12. uiſionẽ in turri Babel factã, vniuerſa terra vnius erat labij (vtpote Hebræi) ita in reſurrectione generali omnes homines vna loquentur lingua (Hebraica videlicet) qua & primi parentes in Paradiſo loquebãtur, & qua electi omnes in ſtatu innocẽtiæ loquuti fuiſſent,ſi ipſi primi parẽtes in gratia Dei ſtetiſſent. Nam iſtud Iudaicas fabulas redolet,cõſultiúſq; fieri puto,ſi nũc Spiritũ viuificantẽ magis q̃ literã oc-

2.Cor.3. cidentẽ ſequamur. Nã quãdo ad antiquũ cõfeſſionis Domi-

Philip.2. ni eloquium reuertimur, & in nomine IESV omne genu flectitur,

fle&itur, & omnis lingua confitetur Dominum IESVM in gloria Dei Patris, tunc recipimus linguam quam ante perdidimus. Et hanc Apoſtolos primos Eccleſiæ doctores tam longe támque late loqui fecit Spiritus Sanctus, quòd in omnem terram exiuit, & cæt.

In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum.

Vniuerſalitas deſcribitur ex omni terra & finibus orbis, vt intelligas vbique ſonũ ſeu famã cælorum perueniſſe. Nã omnes nationes accipiunt regulas ac mẽſuras operũ ſuorũ, menſium, annorũ, æſtatis & veris, à cæleſtibus motibus, neque vlla tam barbara gens eſt, quæ nõ viſu ſaltem percipiat manifeſtas differẽtias diei ac noctis, æſtatis & hyemis. Ad Apoſtolos vero hunc verſiculum referendo: hîc Spiritu Sancto reuelante videt Propheta Euãgelium vbique terrarũ per eos annuntiandũ. Ad Rom. cap. 10. ex hac litera impletum eſſe probat Apoſtolus. Sed interim nõ parua ſurgit quæſtio, ſi Pauli argumentũ efficax recipiendũ eſt, quũ non à literali ſed à myſtico potius ſenſu arguat, quod tantũdem eſt quaſi à tota diſiunctiua, ad eius alteram partem aliquid probandũ aſſumeret. Nos tamen nunc etiam à myſtico ſenſu hoc efficax argumentum recipiemus propter authoritatẽ dicentis, quẽ ſcimus Spiritu Sancto inſpirante loquutum eſſe. Nã repromittit Chriſtus, Ioan. cap. 14, Quum venerit paracletus quẽ mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnẽ veritatem. Sic ad Galat. ex allegoria de duobus filiis Abrahæ, probat Paulus duo teſtamenta, & Actorum cap. 3. Ex hoc loco Deutero. ca. 18, Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſuſcitabit Dominus: ipſum audies: ſatis quidẽ oſtendit Petrus Iudæos CHRISTO obedire, tametſi is locus ad literam de Ioſue ſcriptus ſit, ſi gloſſæ interlineali hoc in loco credendum eſt. Verum enimuero nunquid igitur ex præſenti litera accipiendũ eſt nunc Euãgeliũ ad omnium aures perueniſſe? Quid de inſularibus dicemus? nũquid de CHRISTO audierunt? Certe Marci cap. vltimo de Apoſtolis ſcriptum habemus, Illi profecti prędicauerunt vbique. Sed cur non dicẽdum apud Marcum ob certitudinẽ Galat. 4.

prophetiæ poni præteritum pro futuro, ſicut & in præſenti verſiculo ita fieri aſſerit Auguſtinus? Memineris Euangelium hiſtoriam eſſe nõ prophetiam: atque hiſtoriam deſcribere res iam factas aut ſtatim complendas. Quare non recipimus aliquem adultum nunc adhuc inuincibiliter ignorare legem baptiſmi, ſeu legem diuinam poſitiuam ad ſalutem neceſſariam: nam auditu ſaltem interiori & ſignato

Pſal. 4. Dei lumine ſuper nos omnes, de his ſatis audierunt: & niſi culpa ſua quis obſtiterit, protinus quantum ſufficiet ad ſalutem, à Deo ſi petat illuminatur, qui ſemper prope eſt omnibus inuocantibus eum, quod exemplo demonſtratum videmus Actorũ cap. 10. de Cornelio Centurione: & 1. Ioã. 2. ſcriptum legimus, Non neceſſe habetis vt aliquis doceat vos, ſed ſicut vnctio eius docet vos de omnib⁹ & verum eſt, & non eſt mendacium, attamen fatemur poſſe inuincibiliter ignorari ius diuinum poſitiuum ad ſalutem non neceſſarium: pro vt contigit Machabęis, qui propter religionem & obſeruantiam Sabbati, crediderunt non licere ſibi manu auxilium ferre, aut loca ſpeluncarum obſtruere. 1. Machab. cap. 2. Itaque Deo & nos iſta hæc loquimur, quia ſonus ille Euangelicus ad nos vſque peruenit: ſonus qui in omnem terram exiit, ſonus qui ad cunctos miſſus, vt cuncti in cælum intrent. Quid ergo ſuperbe ſciſmatice contra te conaris? audi teſtamentum patris tui: partem vis in lite retinere, qui potes totum in concordia poſſidere? quid fugis in tenebras? Chriſtian⁹ es, audi CHRISTVM: ſeruus es, audi Dominũ: emendâre, reſipiſce, fac dicamus

Pſal. 144. (margin)

Lucæ 15. de te, mortuus erat & reuixit, perierat & inuentus eſt. Nõ mihi dicas, Quid me quæris, ſi perij: ideo enim te quæro, quia periſti. Noli, inquit, me quærere. Hoc ſanè vult iniquitas qua diuiſi ſumus, ſed non vult charitas qua fratres ſumus. Sequitur,

In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo.

Hîc Hieronymus ad veritatem Hebraicam legit, Soli poſuit tabernaculum in eis: quaſi ſol in medio ſeptem orbium planetarũ habitet: habet enim tres orbes ſupra ſe, ſcilicet

Martem

Martē, Iouem & Saturnũ, & tres infra ſe puta Venerē, Mercurium & Lunam: ſiue nos poſt dictionem Tabernaculum, virgulam ponentes & dictionem quæ Græce ἀυτȣ̃ habetur non pro relatiuo, ſed pro aduerbio loci intelligentes, cõmodiſſime ordinem reddimus, Poſuit Deus ac determinauit ſoli habitationem illic, id eſt in cælo: ita tamen vt ſuperflua ſit prępoſitio IN. Nã quũ Gręci ſexto caſu careant, hîc illius loco, tertio vtũtur, & dictio SOLE, hoc pacto, SOLI apud eos eſt. Et ordo traditus recte fieri poteſt vt diximus. Sol itaque qui conſtitutum ſibi in cælo habitaculum nunquam reliquit, diuinæ gloriæ ac prouidentię perpetuus eſt pręco. Atque hîc ex deſcriptione ſolis in medio cælorũ habitātis, ſatis reliquos inſinuat Prophetas, & nequis putet alibi ſolē quàm in cælis. Nunc vero ipſum depingit ab occaſu & ortu: occaſum autem comparat tentorio ſeu vmbraculo. Sol enim occidens (teſtante Virgilio) demenſo decedit Olympo, atque æſtimatur à vulgo ingredi tentorium in quo pernoctet velut in tabernaculo. Quum tacet omnis ager, pecudes pictæque volucres: & medio voluuntur ſidera lapſu: qúmque tempus adeſt, quo prima quies mortalibus ægris incipit, & dono diuum gratiſſima ſerpit. Mox ſequitur illius ortus, ET ipſe (inquit Vates) tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo, ſubintellige verbũ EST: vbi eius ortum aſſimilat egredienti ſponſo de thalamo ſuo: ipſe enim oriens egreditur de hemiſphærio nobis occulto, ornatus ſuis radiis, ſicut ſponſus egrediens de thalamo, ſua ſecum compoſita habet ornamenta: vnde pro hoc ita quidam luſit: Emicat Oceano Phœbi rota clara relicto: Illuſtrata nitent lumine cuncta ſuo, Quũ ſol igniferos currus è gurgite magno Suſtulit, & claris aſtra fugauit equis. Illius vero thalamũ hoc decore fingit Virgilius AEneidos lib. 4, Et iam prima nouo ſpargebat lumine terras Tithoni croceum linquens aurora cubile. In quo ipſius crepuſculum ſatis depictum eſt, quando pulcher & decorus apparet radiorum fulgentium decore, inſtar ſponſi exeuntis à thalamo, atque ex his naturam beneficam ipſius ſolis oriētis deprehēdet. Vide etiam hîc in ſole figurari ortum conceptũq; CHRISTI, qui in ſole, hoc eſt in manifeſto, poſuit taber-

metſi iam tot annis mandato Dei inſeruiat. Quum vero additur, A SVMMO cælo egreſſio eius, vtriuſq; motus Solis termini deſcribũtur, paſſim ab omnibus cogniti: tum motus raptus, quo ab oriente mouetur in occidentẽ, ſequẽdo motũ primi mobilis: tũ motus ſuper polos Zodiaci, quo facit differẽtiam ęſtatis & hyemis, accedẽdo ad tropicos Cancri & Capricorni. Tropici enim Cancri & Capricorni ſunt fines ſeu extremitates motus Solis à ſeptentrione & auſtro. Ad Chriſtum etiam hunc ſermonem conuertẽdo, bene giganti comparatur: quia humanam naturã potentiæ ſuæ magnitudine ſuperans, omnia mundi vitia cum ſuo truculẽtiſſimo authore proſtrauit, & alligauit fortem diabolum, & vaſa eius (quæ nos fuimus) diripuit. SED exultauit: quippe non inuitus infirmitates hominis aſſumpſit. Ipſe autem viã huius vallis miſerię cucurrit: nam non fecit hîc moras: natus ſtatim venit in paſſionem, reſurrexit & aſcendit. Merito inſuper dixit, VIAM cucurrit, cuius in nulla mũdi ambitione potuit actus hæſitare. Et nequis crederet Chriſtum habere totum ſuum principium ex thalamo Virginis Mariæ (ſicut blaſphemant Ebion, Cerinthus & moderni Iudæi) ideo nunc ſubnectit Propheta, quòd licet Chriſtus ſecundum humanitatem proceſſerit temporaliter ex Virgine Maria, quẽadmodũ Sol ex aurora: tamen ſecundũ diuinitatẽ egreſſio & natiuitas eius eſt à ſummo cęlo, id eſt de Patre natus eſt ante ſecula, neq; temporum cõditor tẽpore tenetur: pro vt ſcriptum eſt, Michææ cap. 5, Egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis. Nam in principio erat Verbum apud Deũ: ſed quemadmodũ Sol, quãtũ ad nos, naſcitur ex aurora, ipſe tamen ſemper fuit ante aurorã, & ſemper manet in ſuo cælo: ita Deus, Verbũ æternum, licet ſit natus ex matre de vtero Virginali ſecũdũ carnẽ, tamẽ ab æterno & ſemper naſcitur Filius à Patre, & ſemper natus eſt, ſemper in eo manẽs quãtũ ad diuinitatẽ. Dauid vero hîc dicẽdo EIVS, notauit vnitatẽ trinitatis: immo ſi diligentius intueamur, tota hæc Trinitas nũc & verſiculo ſequenti oſtẽditur: A ſummo cælo Pater ſignificatur: Spiritus Sanctus his verbis quæ nũc nũc ſequũtur, NEC eſt qui ſe abſcõdat à calore ei⁹: Egreſſio eius, natiuitas Filij nõ tẽporalis, ſed æterna, qua exiuit à Pa-

Matth. 12.

Ioan. 1.

tre, quæ eſt ante omne principiũ. quippe quũ ipſum Filium conſtet eſſe principium. Occurſus verò qui ſtatim ſubnectitur ſecundum hominem dicitur, quia poſt aſſumptam carnẽ Chriſtus in vtraque natura permanens, dum reliquit mundum, & ad Patrem aſcendit, ſedi maieſtatis Paternæ occurrit, Quare ſequitur, Et occurſus, &c.

Et occurſus eius uſque ad ſummum eius, nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius.

Nunc deſcribit qualiter Sol de Occidente ad Orientem (ſummum eius) quotidie reuertitur. De quo regreſſu perpulchrè Virgilius in opere Epigrammatum ita luſiſſe fertur,

Sol oriens, currúſque ſuos è gurgite tollens
 Oceano, claro reddidit orbe diem:
Flammiferúmque iubar terræque polóque reduxit,
 Et pepulit radiis aſtra repente ſuis.

Eccleſ. 1. Iſtud idem (& ordine quidem infatigabili) teſtatur Eccleſiaſtes fieri, talia ſcribens, Oritur ſol & occidit, & ad locum ſuum reuertitur: ibíque renaſcens gyrat per meridiem, & flectitur ad aquilonem: ſic ortu & occaſu ſuo quotidie mũdi interitum demonſtrans, atque humanam ætatem ſenſim labi, dum neſciat homo, oſtendens. Si tamen ſol nobis occidens, Antipodas illuſtret, & terra intra cõuexa cæli ſuſpenſa eos contineat, dubium eſt. Et quanuis hoc ita fieri fabulam eſſe dixerit Auguſtinus, quin potius exiſtimat ab illa parte non eſſe nudam terram ab aquarum cõgerie, tamen opinio veterũ (cui Cicero, Mela, & maximi quique ſuffragati ſunt) fuit, Auſtralem illam plagam penit⁹ incognitam nobis eſſe quæ Antipodas contineat. Cicero in ſexto de Republica, interfuſum maximum inter nos & illos Oceanum putauit, quem nemo vnquam penetrarit: idque fuſiſſimè Macrobius perſequitur. Vnde Coſmographi omnes, cęlum, & proinde terram in quinq; cingula diuiſerunt: quorũ poſtrema duo, quòd cæli verticibus ſubiecta eſſent, procul à cæli motu, à ſolis orbita, duobus perennibus fontibus caloris, perpetuis rigoribus infeſtãtur. Medium verò, in quo & concitatiſſima eſt cæli vertigo & via ſolis, nimio æſtu peruſtum, cultum omnem humanum abigit: quæ media ſunt inter frigida, & toſtum

toſtum, temperie ſua ſedem animantibus præbent. Cingulum (in quo nos ſumus) ad Septentrionem vergens, Boreale temperatum dicitur: contrarium illud Auſtrale, itidem tēperatum. Tum iubet Cleomedes zonas iſtas duas, quatuor in partes æquas rectis angulis ſecari: qui partes, quæ in eadem ſunt zona, incolunt, inter ſe ſunt circuncolæ: qui diuerſis aut æqua diſtantia ab Occidentali inæquali à polis habitant, ſunt quaſi contra ſe poſiti: aut in æquis omnibus ſunt Antipodes: Luce differunt ac tenebris, non viciſſitudinibus anni & temporum, atque ita non eſt qui ſe abſcondat à calore Solis. Nam nulla terræ plaga eſt, quam is calor non attingat: hoc enim vniuerſi percipimus plus & minus. Cæterū ad CHRISTVM noſtrum, de quo digreſſi ſumus, redeūdo: OCCVRSVS eius ſecūdum hominē dicitur, quia poſt aſſumptionē carnis in vtraque natura Chriſtus permanens, ad ſedem maieſtatis Paternæ occurrit in aſcenſione, regreſſus vnde venerat. Ipſe tamen quum venit à ſummo, in nullo minor fuit, quum rediit ad ſummum Deus, homo, æqualis Patri in deitatis ſubſtantia perſeuerat, cui nihil humana detraxit humilitas. Occurſus igitur eius in coæqualitate æternitatis, quia aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Patris, vbi antea & ſemper fuit cum ipſo. Quod verò ſequitur, NEC eſt qui ſe abſcondat à calore eius. His verbis deſignat Propheta Spiritum Sanctum, quem poſt aſcenſionem Redemptor diſcipulis miſit. Act. cap. 2, Sicut ignis, venit is Spirit9, fœnum carnis conſumpturus, aurum cocturus & purgaturus. Ipſe calor eſt, à quo nemo poſſit abſcondi, qui deitatis ſuæ potentia vniuſcuiuſque corda cognoſcit. Nullus eſt qui de hoc calore nō habeat aliquid, ex multis diuiſionibus gratiarum, ſicut dixit Paulus 1. ad Corinth. cap. 12, Aliis datur ſermo ſapientiæ, aliis ſermo ſcientiæ, &c. Protinus ſubnectit Dauid, Lex Domini, &c.

Lex Domini immaculata conuertens animas, teſtimoniū Domini fidele, ſapientiā præſtans paruulis.

Qui per creaturas Deum laudauerat, nūc eum per donationem legis incipit prædicare: quandoquidem hæc lex (vt inquit Paulus ad Galat.) Pædagogus noſter fuit in Chri- Galat. 3.

ſto:per quam(ſicut bene inſtituti pueri)tandem ad Chriſtianam perfectionem venimus. Quapropter nunc Immaculata appellatur,ſiue quòd immaculatos facit,ſiue quia nihil reprehenſione dignum continet. Siquis tamen propter id hanc diuinam philoſophiam accuſet,quòd inculto humilíque ſermone tradita ſit,neque lautitias vocum,flores acveneres habeat: huic iſtud vnicum reſponſum ſufficiet, Adeo multa eſſe quorum ſplendorem, ſiquid adiũxeris,elimines & non illuſtres:ita ſunt ſcilicet in ſua natura optimo ſtatu, vt demutari ab illo niſi in peius non poſſint. Marmorea domus picturam non recipit: ſi opus albarium ſuper induxeris,demas de dignitate,de pulchritudine. Non aliter & ſermo iſtius legis,quę ob eã cauſam ſe nudam præbet,& vndique cõſpicuam, tota ſub oculos,ſub iudicium venire geſtit, quia ſcit ſe habere vnde tota vndique placeat, neque indiget pigmentis Rhetoricis. Quis enim cincinnos? quis fucũ in proba virgine non damnet? quis in Veſtali non deteſtetur? Eſt ob hãc cauſam legere res ſacras ruſticè potius quàm eleganter ſcriptas: teſtante Paulo 1. ad Corinth.cap.5.non in ſermone eſſe regnum Dei, ſed in virtute. Et ſi vis effingam ideam ſermonis ſacri, ea eſt ipſiſſima quæ Silenorum Alcibiadis: erant enim horum ſimulachra hiſpido ore, tetro & aſpernabili,ſed intus plena gemmarum,ſuppellectilis raræ & pretioſæ: ita extrinſecus ſi Theologiam aſpexeris, agreſte quid videas: ſi introſpexeris, numen agnoſcas: plus ſiquidem habet in receſſu, quàm fronte promittat. Quamobrem hæc conuertit animas, inuitans ab errore ad iter rectum, à mendacio ad veritatem. Illius enim diſtrictionis metus errantem corrigit, & ad CHRISTI gratiam facit confugere, quum ſpem in noſtris operibus cœperimus prorſus abſque Dei auxilio non habere. Lex iſta tantæ eſt perfectionis, quòd reſtituit animam, viuificat mentem. Non enim in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Et hæc duobus præceptis tota clauditur, Dei videlicet, & proximi dilectione: quod non ita intelligendum eſt, vt ſufficiat Chriſtiano, Dei & proximi per ſola naturalia dilectio. Sed de hoc præcepto nobis iniungitur, vt quod naturale eſt, per donum

Deu. 8. & Matth. 4.

Matth. 22.

ſuperna-

ſupernaturale perficiamus. Iubemur itaque Deum ita ſuper omnia diligere, vt eius amorem proprio præferamus, & vt nos, omniáque noſtra ad eum tãquam ad finem ordinemus. Vnde Apoſtolus, Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. Et quia maxime nos ab hoc amore, carnis petulantia retrahit: idcirco dictũ eſt, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. In corde enim eſt fons vitæ, ſenſuum, appetitúſque principiũ, à quo ad amorem ſenſibilium tracti, ab amore diuino ſeparamur. Ideóque inquit, Ex toto corde, ac ſi diceret, Subiicias prorſus partem ſenſibilem volũtati, vt & illa pari ordine ad Deum tendens, nulla in re à vero dictamine, Deíque lege diſſentiat. Sed quoniam abſque duce ratione ſolet aberrare voluntas: ſequitur, Ex tota anima: vbi recte per animam, voluntatem intelligimus. Quippe quemadmodum anima eſt cuiuſuis motus principium, ſic voluntas mouet omnes animæ rationalis potentias. Additur, Et ex tota mente: nam voluntatis motus à ratione dependet, quum illius obiectum, ſit bonum cognitum: atque ita mens hîc ſignificet intellectum & rationem, quæ vſque adeo in Deum tendere debet, vt quicquid intelligit & contemplatur, ſit Deus, vel ad eum actu aut habitu, ſaltem deſtinetur. At quoniam finis frequenter ſine mẽſura dilectionis animo inſidet, cõgrue tribus his ſubiũgitur, Ex omnibus viribus tuis: vt ſcilicet, quum Deus ſit finis noſter, ad eum omni ſtudio ac conatu tendamus, eíque ratio, voluntas & ſenſus penitus obtemperent, atque omni virtute & gratia perficiantur. Cæterum quia minus ex hoc conſtabat qualiter eſſet proximus diligendus, cuius amor non ita ſicut proprius naturalis eſt: vt omnis ambiguitas erroris ceſſaret, ſecundum Deus addidit præceptum, dicens, Diliges proximum tuum ſicut teipſum, id eſt, ad eundem, ad quem teipſum diligis, finem: vt quemadmodum in nobis, ita & in illo diuinum opus eluceat ac laudetur. Quod teſtimonium de Domini bonitate fidelius quærimus? quid quæſo hac lege ſanctius? quid his duobus mandatis ſeu principiis verius, ex quibus pendent leges & Prophetę, in quib' & diuina iura, & humanę ſocietatis fœdera continentur? Itaque hæc lex quia teſtimonium

1.Cor. 10 · Matth. 22 · Ibidem · Luc. 10 · Ibidem

perhibet reuelatorum, tum geſtorum, tum promiſſorum, fidele teſtimonium appellatur, non hominis ſed Domini: atque ſapientiam præſtat non quibuſcunque, ſed paruulis. Apte ſiquidem teſtimonium Domini verax, nõ facit ſapienté niſi hominem ſimplicem, hoc eſt ſuaſibilem, qui aſſenſum præbet teſtimoniis diuinis: & intellectum captiuat, quando altitudini arcanorum deeſt humana & experimentalis ratio probans. Homo enim imperſuaſibilis lõge eſt ab huiuſmodi dono. Adde inſuper quum in vnoquoque ſit dare vnum primum quod ſit aliorum menſura, in genere legum primã ponemus eam, quam nuncupamus Legem æternam, quæ ſcilicet omnium eſt actionum, monitionúmque diuinæ ſapientiæ ratio directiua, vnde omnes aliæ leges deriuantur: & hæc ſapientiam præſtat paruulis. Lex autem, vt regula & menſura, dupliciter in aliquo eſſe poteſt: vno modo, ſicut in dirigente ac menſurante· alio modo, ſicut in directo & menſurato. Vnumquodque enim quatenus regulæ vel dimenſionis eſt particeps, ita demum dirigitur ac menſuratur. Quum ergo omnia diuinæ prouidentiæ ſubiiciantur, manifeſtum eſt ipſa aliquid de æterna lege retinere, quatenus inquam, ex eius characteris impreſſione ad actus, finéſque proprios inclinantur. Inter creata autem, rationalis creatura excellentiori modo diuinæ ſubiacet prouidẽtiæ, prout illius ſit particeps, eámque pro ſe & pro aliis exercet. Hæc verò legis æternæ participatio in rationali creatura lex dicitur naturalis, quæ eſt naturalium præceptorũ in intellectu congregatio habitu vel virtute. horũ nanque præceptorum radix, eſt lumen rationis naturalis diuinitus impreſſum, cuius virtute quædam ſunt nobis tam in ſpeculatiuis quàm in practicis per ſe nota: quæ in ſpeculatiuis quidẽ, prima principia: in practicis autem potiora præcepta vel primas ac naturales leges appellamus. A quibus tanquã à principiis per ſe notis leges alias bifariam ducimus. Vno modò ſicut ex manifeſtis principiis concluſiones: altero ſicut aliquorum prudentum decreta communiter probata. Primus quidem modus illi ſimilis eſt, quo demonſtratiuè ſcientiarum concluſiones ex principiis inferuntur. Secundus verò illi, quo in artibus formæ communes ad aliquid ſpecialiter applicãtur. Velut

tur. Velut ſapiens architectus formã ædificiorum communem ad hanc vel illam determinat domus figuram. Quædã ergo à communibus principiis legis naturæ per modũ conclusionis habentur: vt ab hoc præcepto, Non occides, elici poteſt, nemini venenum eſſe dandum. Quædam vero per modũ determinationis: ſicut lex naturæ iubet, vt qui peccat, puniatur: ſed quòd illa vel alia pœna plectatur, non fit ſecundum determinationẽ legis naturæ: ideóque hoc prudentum arbitrio relictum eſt, vt ſcilicet id decernant quod bono communi nouerint expedire. Huiuſmodi vero leges humanas aut aduentitias aut poſitiuas vocamus: pro locorum nanque ac temporum ratione, ad conſilium ſapientis, provt commune bonum exigit, variantur. nõ enim omnes homines eiſdẽ legibus poſitiuis & inſtitutis gubernari poſſunt, & ideo has leges voluit philoſophus eſſe non ferreas, ſed plumbeas, quippe quæ flecti poſſint. Lex tamẽ naturalis apud omnes nationes eadem & immobilis perſtat. Leges quoque particulares ab ea per modũ cõcluſionis manantes, minime immutãtur: ex veris nãque principiis ortã concluſionem veram eſſe oportet. Ecce ſapiẽtiam quam ſuis paruulis, & humilibus, per legem naturæ præbet Dominus. Verum quia ad humanæ vitæ directionem non ſufficiebat hæc lex naturalis, protinus additum auxilium diuinæ legis: vt homo qui ex duplici ſubſtantia reſultat, corporea videlicet mortali, & ſpirituali æterna, in finem etiam ſupernaturalem & humanam dirigatur. De hac lege diuina nunc ſequitur, Iuſtitiæ Domini, &c. Exod. 20.

Iuſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Iuſtitiæ legis diuinæ ſunt rectæ, quia hominem rectificant, & eum in finẽ ſupernaturalẽ (ad quẽ creatus eſt) dirigunt. Ob id vero datæ ſunt: nam tenuitas humani intellectus id expetiit, data ſit lex ex alto, quę cunctos de ſpectantibus ad ſalutem certiores faciat: neque talis lex legi naturæ aduerſatur, ſed ſicut gratia perficit naturam, ita huiuſmodi lex naturalem perficit. Proinde eadem præcepta quatenus à naturali lumine deriuantur, naturalia appellantur,

quatenus vero à ſupercæleſti lumine fluunt, & à gratia ſupernáque charitate perficiũtur, in ius diuinum tranſeunt. Sunt tamen pleraque à Chriſtiana religione mandata, quæ nullatenus naturali ratione indagari poſſunt: ſed à CHRISTO legiſlatore ad conſequutionem felicitatis æternæ tradita, quæ Legẽ diuinam poſitiuam, nominamus vt, ea quæ de ſacramentis dicimus: nam illa ſunt diuina medicaméta quæ gratiam (quam ſignificant) efficiunt, & ſunt cauſa ſine qua non, illius ſupercæleſtis opitulationis, quam præcipue in eis operatur CHRISTVS. Vnde Auguſtinus de baptiſmo loquẽs, ſuper Ioannem, inquit, Quæ eſt virtus iſta tanta aquæ vt corpus tangat & cor abluat? Mirum ſane, niſi quòd ſic imbecillitati hominis prouiſum eſt, cui ita inuiſibilia per viſibilia nota fiunt, & dum accedit verbum ad ele-
Rom. 1. mentum, fit ſacramentum, ſiue ſacræ rei ſacrum ſignum. Et talia ſacra ſigna habuit Synagoga vt & lex noua: quin & ipſa etiam efficiebant quod ſignabant: nam effectus circuncíſionis, abſque collatione gratiæ compleri non potuit.
Rom. 3. Neque Paulus, dicens ex operibus legis non iuſtificari omnẽ carnem, iſtud negauit: ſed tantum hic diſputat contra Iudæos, qui falſo putabant ſe ſaluandos ex ſola repromiſſione facta Abrahæ: quorum ſuperbiam reprimit, quia credebant ſe ex iuſtitia beatificandos, tantum ſi ſecundum carnem filij Abrahæ eſſent, & quod propter id operibus eorum nude conſideratis, ex iuſtitia debebatur gloria. Fatemur tamen ſacramenta noſtræ legis maiorem gratiam conferre, quàm illa veteris Iudaiſmi: quippe noſtra ex virtute paſſionis CHRISTI exhibitæ, valent: illa autem tantum in paſſione Chriſti præordinata, adiuuabant. Plus vero impetrat paſſio Chriſti iam exhibita, quàm ipſa dũtaxat præuiſa. Atque ita quãto excedit Euãgeliũ vmbras antiquæ Synagogæ, tanto perfectiora homini ægro medicamenta attulit. Sic huiuſmodi iuſtitiæ lætificant corda: nam rectitudo animi, magna cordis eſt lætitia: & malæ habẽti, grata ſunt medelę nuntia. Adde quia hoc pacto nobis per corporalium ſimilitudinẽ, ſpiritualia tradit Dominus, quatenus humanæ cõgruit infirmitati: atque ex ipſis ſacramẽtis tota noſtra ſpiritualis vita fit. Per Baptiſma enim peccato ori-

ginali mortui, in Chriſto renaſcimur, deificæ vitæ initium formámque accipientes. Per munus Cõfirmationis iam in Chriſto renati, ſtabilimentum contra omnia tentamenta ſuſcipimus: quippe militia eſt vita hominis ſuper terram, & per multas tribulationes currimus ad patriam. In iſto ſpirituali certamine quotidie Euchariſtia tanquam iterato cibo reficimur: Si morbo animæ laboramus, ſtatim ſpiritus ſalutem, per Pœnitẽtiæ ſacramentum recuperamus: Cæterũ tum ad corporis, tum ad animæ proſperam pertinet valetudinem, Extrema vnctio, quę delendo peccatũ, etiam corpus ſanat (quod propter noxã quandoque affligitur) & dum ipſum ſanat, etiam animã ſanat. Nempe ex ægritudine corporis plerunque tabeſcit anima, organis ſuis languẽtibus præpedita, ne bonis operibus vacare poſſit. Spiritualis autẽ propagatio per ſacramentum Ordinis in Eccleſia cõtinuatur: Corporalis vero, per Sanctum connubium, ſine quo ſpiritualis hominum ſoboles deficeret. Ecce ſeptem legis diuinæ poſitiuæ recta ſigna, quæ nos paſſim lætificant, quibus prorſus in vita ſpirituali reficimur, munimur, protegimur, & ſum'. Sequitur, PRAECEPTVM Domini lucidũ, &c. Hoc in loco Pſalmographus reuertitur ad explicationem illius legis quam noſtri theologi iudicatiuam appellant: & hæc (vt inquit) lucida eſt, quippe à natura indita: ſicut dicit philoſophus quædam eſſe quæ ſtatim nominata inuoluunt aut bonitatem aut malitiam, & Beatus Auguſtinus teſtatur furtum, homicidium, & cætera iſtiuſmodi, non ideo mala, quia prohibita, ſed ideo prohibita quia mala. Quid inſuper tam natura cognitum quàm hoc, in quo iubemur omnia quæ volumus vt faciant nobis homines, eadem nos faciamus eis. Iſta lex illuminat oculos noſtri cordis: nam docet quid amplectendum, quid fugiendum ſit, atque hoc diuino munere illuſtrati, ab ignorantiæ tenebris ad claram lucem amandorum & fugiendorum peruenimus. Interim timor Domini ſanctus, &c.

Iob. 7.

Iacobi 5.

Matt. 7.

Timor Domini sanctus permanet in ſeculum ſeculi, iudicia Domini uera iuſtificata in ſemetipſa.

Tres timores oſtendit nobis in domo ſua paterfamilias:

nam aliter timet eum ſeruus, aliter filius, aliter vxor. Seruus timet peccare, ne vapulet: filius, ne hæreditatē perdat: vxor, ne repudietur. Primum timorē, ſeruilem appellamus, qui bonus interdum, vtpote ſi duntaxat cauſa impulſiua vitandi peccata fuerit: de quo Apoca. cap. 3, Vtinam calidus eſſes aut frigidus. Calidus eſt, qui charitate feruens nihil omittit eorum quæ à Deo præcepta ſunt: Frigidus vero, qui à formidine pœnæ incipit mandata ſeruare: neque tales deiicit Dominus, ſed ſequitur, Quia tepidus es, incipiam

Apoc. 3. te euomere ex ore meo. Tepidus autē intelligitur, qui nec amore trahitur, nec tormētorum metu ad diuinæ legis obſeruantiam coarctatur: qui tepidus metaphoricè dicitur, quia neutrum poteſt, videlicet nec calefacere nec frigefacere, adimplendo mandata, ſiue amore diuino, ſiue timore pœnæ. Perfectius tamen, ſanctius quoque eſt, aut à ſecundo aut à tertio timore voluntatem Dei Patris noſtri facere: vnum Filialem, alterum Caſtum nominamus: quo Eccleſia ſponſum ſuum quanto ardentius diligit, tanto attentius ca-

1. Ioan. 4. uet offendere. Et quanuis perfecta charitas foras mittat timorem, quantum ad aliquos actus: is tamen ſanctus reuerentialis timor manet in patria & in ſeculum ſeculi: quemadmodum in præfatione Miſſæ canimus, Tremunt poteſtates: mixta enim cum pauore dilectio, timor eſt Domini, qui vulgo Reuerētia nuncupatur. Itaque ſic Deum timere, nō trepida confuſio, ſed imperturbata conſtantia eſt: atque in omni ſanctitate verſatur, qui ſuum iudicem hoc modo & timere cognoſcitur, & amare. Is timor ſanctus, qui ſanctitatis cauſa eſt, & mundos homines reddit: vel ideo ſanctus & mundus, quia poſt animæ purgationē innaſcitur: & permanens, quia timor ille qui ad munditiā peruenit, eiicitur à dilectione: dilectio enim ſaltē foras pellit initialem timorem qui in charitate imperfecta eſt, partim timore pœnæ, partim ex amore iuſtitiæ obediens. Hic autem timor qui munditiam ſubſequitur, permanet in æternū. Addit Propheta, IVDICIA Domini vera, &c. Hîc mādata Dei, iudicia appellātur, quia ex iudicio ſunt prolata: & hæc ſunt vera, quia ſiue minetur, ſiue polliceatur Dominus, neminem fallit: & ea ſola proprie omni prorſus errore carent, & iuſtificantur in

tur in ſemetipſis: nanque non egent alterius authoritate, quàm illius à quo ſunt, ſed quæ vera pariter ſunt & iuſta: nempe quod proprie verum fuerit, illud etiam iuſtum erit. Et quia talia ſunt iudicia Dei, ideo ſunt deſyderabilia ſuper aurum, & cætera.

Deſyderabilia ſuper aurũ, & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel & fauum.

Nũc quantum latentis energiæ habeat regina Sacra philoſophia, paucis oſtendit Pſalmographus: quæ (ſicuti dicebat Plato) ſi oculis cerneretur, maiores adhuc excitaret amores ſapientiæ: nam Dei munus eſt quòd viuimus, iſtius autem philoſophiæ, quòd bene viuimus: ſine qua non modo nos, ſed nec hominum vita eſſe potuiſſet, & quam ſi quis ſuſtulerit, ſolem è mũdo abſtuliſſe videbitur. Hæc enim (vt cum Cicerone loquar) vrbes peperit: hæc diſſipatos homines in ſocietaté vitæ conuocauit: hæc mortales primo inter ſe domiciliis, deinde coniugiis, tum literarum ac vocũ communione coniunxit: quamobrem flexanima à doctis nuncupata, & (Auguſtini teſtimonio) ipſius philoſophi, theologi appellati, quòd & diuinorum & terrenorũ ſimul ambitũ omnẽ primi tradiderunt. Nil mirũ igitur ſi omnes hanc philoſophiã ament, nil cunctandũ, ſi paſſim ab omnibus excolatur, quæ tanta ſuis alumnis cõmoda præbet, quæ tam pulchrè mortales principio quaſi beluas in homines transformat, & eos à cæteris mutis animãtibus ſeparat. Veruntamẽ terrere poteſt propius accedenté illius magnitudo: nam ea (teſte Boetio) reſpicientiũ hominũ primum fruſtratur intuitus, ac pulſare cælum ſummi verticis cacumine videtur: tum demum ſicut ſe habet oculus noctuæ ad lumen Solis, ſic intellectus noſter ad ea quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit. Et (quantum ſuſpicor) ipſa theologia fila humani intuitus, & raritate tranſmittit, & ſplendore reuerberat, & ſubtilitate fruſtratur, Sed hoc vnum interim ardentem auditorem conſolatur, dum (Quintiliani ſententia) nullus reperitur qui ſit ſtudio nihil theologiæ conſequutus. Et ſicut cornu, ſi attenuetur, peruium fit: ita mens noſtra ſi ſeſe continuis Sacrorum exerceat ſtu- 1.Cor.2.

diis, ſtatim quęcunque cognoſcere poteſt: atque facillimum eſt eum quæuis ſtudia aſſequi, qui ſtudio delectatur. Adde Theologiam hoc habere peculiare, quòd lactis more quãto quis magis eius dulcedinem ſuxerit, tanto plus nutriméti ſpiritualis ex ea recipit. Quæ quum ita ſeſe habeant, nihil amplius ſubdubitemus illam amplecti, illam excolere, cuius conſiliis ſemper vtrunque fortunæ vultum eodem animo ferre poſſumus. Hãc veneremur, cuius theſaurus nec nimia liberalitate perditur, nec nimia parcitate putreſcit: hanc redamemus, cuius opes ab initio auferri nequeunt, & quas (ſiquis aliis diſtribuerit) diminutionem propterea non patiuntur: hanc obſeruemus, cuius iudicia deſyderabilia ſunt ſuper omnia huius mundi bona, quæ pretioſa ab hominibus reputantur. Et attende hîc quo ordine hæc omnia laudet Dauid: nam ſicut obrizum pretioſius eſt auro vulgari, ita dulcedo fauorum ſuauior eſt melle, quod ex fauo extrahitur. Eſt enim quaſi adeps mellis illa ſtillatio quę ſponte ex fauis prodit. Per pretioſiſſimas igitur materias, & cibum ſuauiſſimum, deſyderium & dulcedinem diuinorum iudiciorum demonſtrauit. Qui verò ab huiuſmodi naturalium rerum deſyderio procul fuerit, ille diuina iudicia, hoc eſt, legem Dei, quaſi famelicus ſemper appetet, eíſque nunquam ſatiabitur. Nam deſyderabilia ſunt hæc iudicia Dei ſuper pompas iſtius ſeculi, quarum deſyderio fit, vt non deſyderentur, ſed timeantur aut contemnantur, aut non credantur iudicia Altiſſimi. Quòd ſi quiſquam ſit aurum lapiſque pretioſus, vt igne non conſumatur, ſed aſſumatur in theſaurum Dei, pluſquam ſeipſum deſyderat iudicia Dei, cuius voluntatem præponit ſuæ. Et ſiue quiſquam iam ſit mel, qui iam ſolutus huius vitæ vinculis, expectat diem quo veniat in epulas Dei, ſiue adhuc ſit fauus, vt quaſi cera circumplicetur hac vita, non huic concretus, ſed implens eã, cui opus ſit aliqua preſſura nõ opprimentis, ſed exprimétis manus Dei, qua de téporali vita in æternã eliquetur, dulciora ſunt illi iudicia Dei quàm ſibi ipſe eſt, quia ſuper mel & fauum illi dulciora ſunt. Iſta faucibus tantum ſapiunt, illa mẽtibus pleniſſime dulceſcunt. Propter quod accuratiſſime ſeruanda ſunt, & idcirco nunc ſequitur, Etenim ſeruus, &c.

Prouer. 8

Etenim

Etenim ſeruus tuus cuſtodit ea: in cuſtodiendis illis retributio multa.

De ſeipſo Propheta hoc dicit: vel in vniuerſum, quòd omnis qui ſeruus Dei eſt, atque ita per virtutem affectus, neceſſario omnia obſeruat, quę ſuperius dicta ſunt. CVSTODIT enim, poſuit pro eo quod eſt, amat atque operatur: nam amor Dei nunquam eſt otioſus, & ideo ſi eſt in corde, oſtenditur in opere: quippe non loquendo ſed cuſtodiendo probat Dauid deſyderabilia eſſe iudicia Dei, & dulcia. Sed quum parum ſit dulcem eſſe obſeruationem legis, niſi reddenda multa merces expectetur: idcirco poſt obedientiam præmia ſubſequuntur. Propter quid enim ſeruus cuſtodit mandata domini, niſi quia hinc bonum multum ſperat? Si pręcepta mea ſeruaueritis (inquit CHRISTVS, Ioannis cap. 15) manebitis in dilectione mea, ſicut & ego præcepta Patris mei ſeruaui, & maneo in eius dilectione. Quid autem tam commodum quàm vt quis diligatur à Deo? Tāta ſiquidem diuini amoris dona ſunt, vt comprehendi nequeāt. Vnde nunc merito dicta ſunt MVLTA, quę non in futura tantum vita, ſed etiam in præſenti valent. Nam hîc in eorum cuſtodia magnum gaudium, quum ſeruire Deo, regnare ſit: in patria etiam erunt ſalubria, vbi propter hæc ſatiabimur. Quapropter recte Cato ſenior equites his verbis ad ſtudioſa animabat, Cogitate animis veſtris ſiquid per laborem recte feceritis, labor cito abibit, benefactum autē dum viuetis, à vobis non abſcedet, ſed ſi quid per voluptatē nequiter egeritis, voluptas quidem cito tranſibit, ignominia autem perpetua. Qua de re cuſtodiamus ſemper ea quæ frugi ſunt, à ſcelerum ſentina continuo diuertamur: amanda totis remis veliſque amplectamur, & fugienda execrabili odio expellere cogitemus. Sed quoniam quàm difficillimum eſt ſingula pro his recte perpendere, & in nullo labi, propterea ſubnectit regi⁹ Vates, Delicta quis intelligit? &c. Pſal. 16.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo.

Meritò dubitat Propheta quíſnam futurus ſit vſqueadeo ſapiens ad diſcernendum peccata, vt in ea non incidat: nam
Rom. 7. vas electionis perſpicuè loquitur, Conſentio legi Dei iuxta interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuātem me in lege peccati, quæ eſt in mēbris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hui⁹? Nec eſt cur dicas Apoſtolum iſtud ex perſona peccatoris ſcribere: debebat ſiquidem dícere, Infelix ego peccator, & nō Infelix ego homo: homo quippe naturæ eſt, peccator voluntatis. Audi inſuper
Ibi. eundem Apoſtolum apertiſſime prædicantem, Quod operor non cognoſco: nō enim quod volo operor, ſed quod odi, illud facio: ſcio quòd non habitat in me, hoc eſt in carne
Sap. 9. mea bonum. Corpus enim quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena habitatio ſenſum multa cogi-
Rom. 7. tātem. Velle (inquit) mihi adiacet, perficere autem bonum, non inuenio: non enim quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago. Quòd ſi hoc Pauli teſtimonio non moueris, audi aliud eiuſdem cui contradicere non po-
1. Cor. 4. tes, Nihil mihi conſcius ſum, nec tamen in hoc iuſtificatus ſum. Qui hoc dicebat, nullius vtique peccati ſibi conſcius e-
Prouer. 12 rat: ſed quia legerat, Sunt viæ quæ videntur viro iuſtæ, nouiſſima autem earum reſpiciunt in profundum inferni. Et iterum, Omnis vir videtur ſibi iuſtus: Deus autem corda hominum dirigit. Ideo temperabat ſententiam, ne forte per i-
Eccleſ. 7. gnorantiam aut infirmitatem deliquiſſet, maxime quū Scri-
Deu. 6. ptura teſtetur, Eſt iuſtus qui perit in iuſtitia ſua. Et alibi, Iu-
1. Reg. 15 ſte quod iuſtum eſt ſectaberis, ne opinione veritatis à iuſti-
Pſal. 7. tia declinemus; recordantes Saulis & Achan. Quapropter
Pſal. 32. & omnis creatura peccato ſubiacet, & indiget miſericordia
118. Dei, dicēte Scriptura, Miſericordia Domini plena eſt terra.
Iob 25. & illud idem affirmat Iob, talia ſcribens, Nūquid iuſtificari poteſt homo comparatus Deo? aut apparet mundus natus de muliere? Ecce enim luna non ſplendet, & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius, quanto magis homo putredo, & filius

filius hominis? Népe ſi aduerſus famulos ſuos nô credit, & contra angelos, prauum quid reperit, quanto magis in his qui habitant domos luteas, è quibus & nos de eodé luto ſumus? Hoc eſt illud quod in Prouerbiis legim⁹, Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor? aut quis confidit ſe mundum eſſe à peccato? Vnde ſcriptum eſt, Ne beatum dixeris quépiam ante mortem: quandiu enim viuimus, in certamine ſumus, & quandiu in certamine, nulla eſt victoria. Pugnant continuo aduerſum nos dolor & voluptas, amor & timor. Quapropter dixit Ioſephus, frangi & regi poſſe perturbationes animi, non eradicari: & quinque Tuſculanarum quæſtionũ Ciceronis libri, his diſputationibus referti ſunt: pugnat enim, iuxta Apoſtolum, aduerſum nos fragilitas corporis, & ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus. Manifeſta ſunt (dicẽte eodem) opera carnis & opera Spiritus, & hæc ſibi inuicem aduerſantur, vt non quæ volumus, illa faciamus. Ex quo intelligimus non noſtræ ſolum eſſe poteſtatis facere quod velimus, ſed & Dei clementiæ, ſi noſtram adiuuet voluntatem. Quid mirum igitur ſi nunc ſuper ſuis peccatis à Deo illuminari poſtulet regius Vates? præſertim quum aliqua ſint maxime latentia, ea præcipue quæ in animo conſiſtunt: & medicina iſtius humanæ infirmitatis eſt confugere ad Deũ pro venia, & pro cuſtodia. OCCVLTA antem, appellat peccata vitiatæ in Adam concupiſcentiæ: nam ab occulto inimico veniũt, & illud bellum ſemper iuxta nos eſt: & propterea ea peccata veriſſime ſua eſſe dicit Propheta: ab his ardenter ſupplicat mundari: nã quanto magis adhærẽt, tãto difficilius expelli ac ſuperari poſſunt. ALIENA verò ſunt quæ ſuggeſtione mundi, vel diaboli fiũt. Super his (inquit) PARCE ne ſeducar, neque enim alienis capitur, qui eſt mundus à ſuis. Sed quum dicit SERVO tuo, iam ſe oſtendit Legi diuinæ iure famulari. In vno ait Munda, in altero Parce. Quia ſi mei, &c.

Iob 4. Prou. 20. Eccl. 11. Epheſ. 6. Gala. 5.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.

Præſentia intellige acſi Dauid intuliſſet, Si (quæ ſuprà diximus) vitia me non vicerint, tunc perfectionem aſſequar,

non quòd ipſa omnino tollantur (quod impoſſibile eſt)ſed ſufficit non dominentur. Et verè IMMACVLATVS ERO, qui etiam hoc maximo delicto carebo:de quo 1. Ioannis cap. 5, Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis. Quod teſtimonio Magiſtri Sententiarũ ſic accipiendum eſt, vt pro aliquo peccante ad mortem, quum finiuerit hanc vitam, non oremus. Dum autem adhuc in hac vita eſt, nec peccatum illius iudicare, nec de ipſo deſperare, ſed pro eo orare debemus: vt plane probat ſentẽtia Auguſtini

Matth. 12. de verbis Domini exponẽtis, quæ ſit blaſphemia in Spiritũ Sanctum, quæ nõ remittetur in hoc vel in alio ſeculo: Finalis videlicet impœnitentia, non ea quæ obiectiua tãtum eſt, ſed illa quæ circunſtantionalis. Nec obſtat quod Apoſtolus 2. ad Timotheum cap. 3. pro Alexandro ærario non orauerit, ſed pro aliis, qui timore ipſum deſeruerant. Nam licet ibi pro eo non orauerit, neque tamen propterea iudicandum eſt eum ſui perſequutoris in cæteris orationibus fuiſſe oblitum. Seu hîc delictum maximum eſt ſuperbia, qua maior in Deum rebellio non inuenitur. Nam quum

Eccle. 10. cætera vitia à Deo fugiant, ſola ſuperbia ſe opponit: hæc

Eſa. 14. fuit initium omnis peccati. Per hanc diabolus cecidit, &

Rom. 5. mors in omnes regnauit. Quærit aliquis quàm magnum ſit hoc delictum quod deiecit angelum, quod ex angelo fecit diabolum, eíque in æternum intercluſit regnum cælorum. Maximum hoc delictum eſt, & caput atque cauſa omnium delictorum: ab hoc vitio facta eſt apoſtaſia, eunte anima in tenebras, & male vtente libero arbitrio. Propter hoc vitium, propter hoc magnum ſuperbiæ peccatum, Deus humilis venit. Hæc cauſa, hoc peccatum magnum, iſte ingens

Philip. 2. morbus animarum, omnipotentem medicum de cælo deduxit, vſque ad formam ſerui humiliauit, contumeliis egit, ligno ſuſpendit, vt per ſalutem tantæ medicinæ curetur hic tumor. Iam tãdem ergo erubeſcat homo eſſe ſuperbus, propter quem factus eſt humilis Deus. Ita (inquit Dauid) mundabor à delicto maximo, quia Deus ſuperbis reſiſtit: humi-

Iaco. 4. & 1. Pet. 5. libus autem dat gratiam. Et per hoc erunt vt complaceant eloquia oris mei, & cætera.

Et erunt

Et erunt ut complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.

Hîc vides magnitudinem fructus obſeruationis legis, in hoc quod & cogitationes, & loquutiones, ac reliqua opera noſtra, erunt grata Deo, ſi prædictis omnibus vitiis careamus. Hoc pacto (inquit Vates) preces meæ erunt tibi acceptæ, atq; ex his verbis inſtruimur, vt ſemper Deo placere ſtudeamus, ſiue lingua, ſiue mente oremus. Pro oratione ſiquidem vocali, impio dixit Deus, Quid tibi eſt cum enarratione pręceptorum meorum, vt aſſumas pactum meũ in ore tuo? qui odiſti diſciplinam, & proieciſti verba mea poſt te? Pſalmo 49. ad veritatem Hebraicam, referente Hieronymo. Vbi (teſtante Caſſiodoro) interdicitur ſceleratis, ne ſe præſumant ſermonibus immiſcere diuinis: quod intelligendum eſt, ſi adhuc ſuo in ſcelere viuunt, & contemnendo irreuerenter ad Deum per orationem accedunt: nam os debet eſſe iuſtum, quod iuſtitias Domini narrare præſumit. Nec Teſtamentum Dei quis indigna præſumptione contrectet, ne per os ſceleratum atque blaſphemum ſancta & veneranda verba progredi poſſe videantur. Nempe alibi ſcriptum eſt, Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Eccleſiaſtici 15. Aſſerit quoque Gregorius, quòd dum is qui diſplicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. Secus autem dicendum eſt, ſi peccator accingit ſe vocali orationi humiliatus & dolens ſe peccaſſe: nam tali oratione manſueſcit Deus: quemadmodum legis Lucæ cap. 18. de publicano qui ſtando à longè & percutiendo pectus ſuum, dum diceret, Deus propitius eſto mihi peccatori, deſcendit iuſtificatus in domũ ſuam. Fatemur tamen quòd minor conuerſio ſufficit, ſi priuatim Deum voce oremus, quàm ſi eandem orationem tanquam miniſtri Eccleſiæ ageremus: neque in primo requiritur ſaltem ſemper multum intenſa ad Deum conuerſio, & quæ exiſtimari poſſit delere peccatum: ſed ſatis eſt tunc, ita appropinquare Deo, vt appropinquet: & probo ſufficere debet, quia fecit bonum opus, dicente Paulo, Gloria noſtra hæc eſt, 2. Cor. 1. teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Et Matthæi cap. 5, Beati

mundo corde, quos ſcilicet non tenet conſcientia vlla peccandi: de qua ita luſit Horatius in Epiſtolis,

-hic murus ahæneus eſto,

Nil conſcire ſibi, & nulla palleſcere culpa.

Sic meditatio cordis noſtri erit ſemper in conſpectu Domini, qui intus videt & conſcientiã puram inſpicit, atq; huc (tanquam ſagittarij ſignum habentes) omnia noſtra referemus: niſi enim dediſcat cor humanum turpia cogitare, diuina certe, & ea quibus Altiſſimus delectatur, nũquam conſiderabit. Attamen quia hoc non eſt prorſus noſtrarum virium, idcirco ſubnectit Propheta, O Domine adiutor, &c.

Domine adiutor meus, & redemptor meus.

Deum dicit Adiutorem ſuum in bonis, Redemptorem à malis, vt nemo ſuis meritis applicet, quod cæleſti liberalitate acceperit. Non enim (inquit Paulus) eſt volentis aut currentis, ſed miſerentis Domini, qui omnia operatur in nobis, à quo eſt omnis firmitas in bono, cum cuſtodia à malo. Adiuuat ſiquidem in his omnibus quæ per virtutem agimus, & liberat de omnib⁹ periculis, in quę incidimus. ADIVTOR eſt humani generis, quũ nos ad ſe accidere facit: REDEMPTOR, quia mundum ſua morte & paſſione à peccati ſeruitute redemit, quemadmodum ſcribitur 1. Petri cap. 1, Scientes (inquit) quòd non corruptibilibus auro vel argento, redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed pretioſo ſanguine quaſi agni incontaminati & immaculati, CHRISTI. Quapropter Hugo libro De arra ſponſæ, recte talia in perſona viatricis animæ dicit, Amplius mihi vilis eſſe non debeo, quia tantum Deo placui, vt mori pro me eligeret, ne me perderet. Sed quanto maius pretium, quo redempti ſumus à corruptione vitæ carnalis, tanto amplius timere debemus, ne reuertendo ad corruptelam vitiorum, animum noſtri Redemptoris offendamus.

Exaudi

Exaudiat te Dominus *in die tribulationis, protegat te nomen* Dei Iacob.

Iuxta Hebræum(teſtante Hieronymo,) huic Pſalmo talis ſuperſcriptus eſt titulus, Victori(ſiue ad victoriam)Pſalmus Dauid:quequidem verba ſatis ex precedentibus patēt, niſi forte cū Rabbi Salomone dixeris,quòd iſte Pſalmus factus fuerit Dauid ad victoriā impetrādam ſuis,poſtquā viri eius iurauerunt dicētes,Iam non egredieris nobiſcū in bellum,ne extinguas lucernam Iſrael.2.Regum cap.21.atque ita quemadmodum orante Moyſe vincebat Iſrael Amalech. Exodi cap.17.ſic Dauid precibus ſuos victores fecerit. Sed videmus qualiter hîc Dauid primū deſcribit perſonam anguſtiatam,cui prophetat multa bona, ſcilicet quòd Deus auxiliabitur ei , exaltabit illum , implebit omne conſilium & omnem petitionem eius:ſimul quòd ipſe prophetans cum aliis exultabit erigēdo vexillum in nomine Domini. Quæ omnia ſi prudens lector perpendat, & interim hiſtoriā certam hîc tractatam quærat,nulla profecto inuenitur ſcripta, in qua hæc omnia habeantur:vt facile patet diſcurrenti per tēpora,quibus arca Domini fuit in Sion. Itaque quū nullus inueniatur , niſi Meſſias,de quo hæc verificentur,(quippe clare cōſtat de eo ſolo iſta intelligi, Impleat Dominus omnes petitiones tuas,& omne conſilium tuum confirmet,qui ſemper exauditus eſt pro ſua reuerentia)atque quum Dauid hîc annumeret ſe inter clamantes,dicendo,Exaudi nos in die qua inuocauerimus te,reſtat iſtum Pſalmū intelligamus prophetā ad literam cātare in perſona Eccleſiæ de CHRISTO:tametſi quidam hunc Pſalmum dictum putent ex voce populi ad CHRISTVM loquentis,vt ad Regē pariter, & Sacerdotem.Ipſe enim verè partes ſacerdotij egit, qui & mediator hominum orādo pro eis factus eſt,atque ſeipſum ſacrificium obtulit,necnon legem cunctis ſalubrem dedit. Vnde Pontifex merito dictus eſt,quaſi leges & poſitionem faciens,per quam populus iuſte viuat, & ad æterna dirigatur.Quamobrem, nunc præſentia dicta accipiamus tanquā

Hebr. 5.

1. Tim. 2.

Propheta CHRISTO optãdo quæ ventura erant, hîc prænuntiet eius ſacerdotium, vocando ipſum vt acceleret aduentum, & cito veniat ad liberandum nos per ſuum ſacrificium. Et quantum ex progreſſu Pſalmi apparet, nunc tractat Vates de exaltatione Meſſiæ, ex merito ſuæ paſſionis, qua mundum iugo fidei ſubiecit, & tanquam cauens prophetiam impletã, aſſerit quòd Deus ſaluauit per Meſſiam: ita quòd aliis in curribus & equis ruentibus, nos per eum erecti & exaltati ſumus. Incipit autem ſtudio magnæ charitatis accenſus, & more amantiũ ſolo pronomine intelligi vult nomen proprium amari, tanquam omnes ſciant quem amat: quẽadmodũ Maria Magdalene quærens Chriſtũ, dixit hortulano, Si tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, putãs omnes

Ioan. 20. intelligere de quo loquẽbatur, vſque adeo amabat. Hoc modo nũc Dauid (qui totus amore Meſſię flagrabat) alterius nominis expreſſione illi ad crucẽ eunti dicit, EXAVDIAT te Dominus in die tribulationis: quo quidem tempore maiori deſyderio Deum deprecari ſolemus: atque ita homini IESV qui ſe obtulit redemptionẽ pro omnibus in paſſione, bene precatur, quando pro cunctis, tum in horto, tum in cruce tunc orauit. Cæterum pro eius reſurrectione addit

Matt. 26. PROTEGAT te nomen Dei (non cuiuſcũque) ſed Iacob,

Lucæ 23. hoc eſt illiuſmet Dei, qui eſt Deus populi Iſrael: nam Mori in eo, hominis fuit: ſed Reſurgere, Dei. Meminit autem Patriarchæ Iacob, quia & ille in magnis calamitatibus & pe-

Gen. 25. & 27. riculis verſatus eſt: & ab omnibus tandem Dei auxilio liberatus: ſiue vt in eo (qui tametſi natu minor, tamen primogeniti fratris benedictionem habuit) myſterium intelligamus, quo Gentes quanuis poſt Iudæos vocatę, tamen in locum & portionem Iſrael, CHRISTO reſurgente deue-

Gene. 25. nerunt, adimpleta illa Prophetia qua dictum erat, Maior ſeruiet minori. Sequitur, Mittat tibi auxilium, &c.

Mittat tibi auxilium de ſancto, & de Sion tueatur te.

Philip. 2. Qui formam ſerui acceperat rectè ei nũc Propheta quaſi homini precatur auxilium, dicẽs, MITTAT tibi Deus Pater auxilium de ſancto, hoc eſt, de ſemetipſo: nã illa diuinitas

nitas in ipſo corpore erat,tametſi quandoque eius effectus ſuſpẽderetur: ſiue DE ſancto, hoc eſt,de cælo per angelos huic homini miniſtrantes, quemadmodum legimus Matthæi cap. 4, Acceſſerunt angeli & miniſtrabant ei. Miniſtrabant inquam tanquam ſubiecti ſuo Domino, vt per hoc eius dignitas comprobetur:non enim indiguit eorum cuſtodia, qui labi non potuit, & pati & mori in ſua voluntate habuit, Ioannis cap. 10, Ego pono animam meam, & iterũ ſumo eam, nemo eã tollit à me, ſed ego pono eam à meipſo:& poteſtatẽ habeo ponẽdi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam. Quando ter pro nobis, is homo orauit,ter auxiliũ de cælo accepit:dũ enim Ioannis cap.12. talia intulit, Pater ſaluifica me ex hac hora, Pater clarifica nomen tuum:venit ſtatim vox de cælo,dicens,Clarificaui, & iterum clarificabo: in reſurrectione videlicet & aſcenſione. Dum præterea in paſſione, Lucæ cap. 22. auulſus à diſcipulis quãtum iactus eſt lapidis,& poſitis genibus orabat,dicens,Pater ſi vis transfer calicem iſtum à me:verumtamen non mea volũtas, ſed tua fiat:apparuit protinus Angelus de cælo confortans eum.Et tũc homo factus, eo modo eſt confortatus,quo & contriſtatus: nam ſi nobis triſtis eſt,id eſt propter nos triſtis eſt, neceſſe eſt vt etiam propter nos cõfortatus ſit,& nobis:ſicut & ad noſtrã inſtructionẽ & aduerſarij confuſionem tentatus eſt.Matthæi 4. Quæ omnia ſupereminentẽ ſiue dominantem Angeli cuſtodiam minime concludunt.Inſuper in cruce dum Patri dicebat, Pater dimitte illis,non enim ſciunt quid faciunt,ocyus de cælo auxilium ſuum vidit:nam huic homini morienti, ſol & luna, & omnia elementa oſtenderunt ſe compati,tanquam naturæ Deus male tractaretur.Ratio autem huiuſmodi præſtiti auxilij nunc additur,ex cultu exhibito Deo à Meſſia in templo in Sion: ad literam ſiquidem CHRISTVS homo coluit Deum in templo,quod erat in Sion: pro hoc vero meruit & ſuſtentari & adiuuari, quanuis inquantũ Deus non egeret, & propterea Sanctum templum appellabant antiqui,quòd aduentare illuc Deum credebant merito orationum, & ſacrificiorum: atque apud Hebræos putabatur Sion eſſe domiciliũ Dei,& ex eo loco petẽtibus ſalutẽ dari.

Coloſ.2.

Lucæ 23.

Quapropter hinc diſcimus quanto honore ſacer locus ſemper excolendus ſit, necnon quantus murus ſit patriæ, oratio deuotè in templo fuſa, & iuſtus ſacrificus talia pro populo agens. Atque ex hoc ſatis apparet cur non debeamus inuidere vel temerè derogare bonis, quorum fides nos ſeruat, iuſtitia ab excidio defendit. Poſtea Propheta rationi meriti CHRISTI adiungit rationem ſacrificij, dicens, Memor ſit omnis ſacrificij tui, &c.

Memor ſit omnis ſacrificij tui, & holocauſtum tuum pingue fiat.

Nunc vocat Dauid CHRISTVM, vt redimat mundum per paſſionem ſuam, quia CHRISTVS ipſe eſt Rex & Sacerdos, & hoſtia, qui ſemetipſum obtulit in paſſione: qui
Hebr. 7. (teſtante Paulo ad Hebr.) non habet quotidie neceſſitatem quemadmodum ſacerdotes, prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populo. Hoc enim fecit ſemel ſeipſum offerendo, vſque adeo efficax eſt illius mortis ſacrificium. Vnde habentes Pontificem magnum qui penetrauit cælos, IESVM Filium Dei, tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato, adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius, vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno, quando ſcilicet adhuc certamen manet, & palma pendet. ad Hebræos cap. 4. Deinde præuidet Propheta věturum ſacrificium Altaris, cui nunc ita benè precatur, HOLOCAVSTVM tuum pingue fiat. Holocauſtum Græca dictio eſt ex nominis etymologia ſic dictum, quòd totum comburatur. Sacrificiorum enim alia in totum, alia autem in parte cōburebātur, veluti omentū, re-
Leuit. 1. nes, adeps, & alia huiuſmodi, vt habetur in Leuitico. Chriſtus autem totus in cruce oblatus, & dolore combuſtus, verū holocauſtum fuit: ſed pingueſcit, dum in iſtius rei memoriam, quotidie huiuſmodi ſacrificium per Miſſam à catholicis frequētatur: atq; ſic Eccleſia in loco paſcuę collocatur.
Pſal. 22. Sacrificium quidē tantopere nobis neceſſarium, tantis Scripturæ teſtimoniis roboratum: nam ſi omnis pontifex ex
Hebr. 5. hominib⁹ aſſumptus pro hominibus cōſtituitur in his quæ ſunt ad Deū, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis, quod tandem

tandem proprium & peculiare nouæ legi ſacrificium à ſacerdote offerendum eſſe queat, niſi ſuperbenedictum iſtud corporis & ſanguinis CHRISTI Sacramētum, quod eſu paſchalis agni, manna, cæteríſque propemodum omnibus Moſaicæ legis ceremoniis, figuratum eſt? Erubeſcant ergo qui ſacroſanctum Miſſæ ſacrificium abrogari volunt: neque enim lex eſſe poteſt quæ ſacerdotio careat: quòd ſi ſacerdotium habet, habet & ſacrificium. Porro etſi CHRISTVS aſſiduus pro nobis Pontifex, non per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem, introiuit ſemel in Sancta, æterna redemptione inuēta, negari tamen non poteſt Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech: ac proinde huius exemplo ſacrificium aliquod obtuliſſe, quod exteriore panis & vini forma veteri illi Melchiſedech oblationi reſponderet, erat enim Sacerdos Dei Altiſſimi: quod vtique fecit in ſuprema cœna illa: Nam accepto pane, gratias egit, & fregit, deditq; diſcipulis ſuis, dicens, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur: & ab Euangelicis ſacerdotibus iugi ſemper obſeruantia præcepit iterari: Hoc facite (inquit) in meam commemorationem. Hoc enim eſt holocauſtum, hæc victima pro peccato, hæc hoſtia pacifica, hoc iuge ſacrificium, hæc munda, iuxta Miſſæ nominis Hæbraici rationem, oblatio, quam in omni loco Malachias prædixit offerendam, quum repudiatis legis antiquæ ceremoniis, ab ortu ſolis, vſque ad occaſum, magnum eſſet nomē Domini in Gentibus. Et proinde nūc regius Vates ad ſimilitudinem corporalium oblationum quæ fiebant in veteri lege, & holocauſtorum quæ offerebantur Deo, deſcribit holocauſtum Corporis CHRISTI in cruce, & illius oblationis in Miſſa: vt quemadmodum in holocauſto materiali, miſſus quandoque de cælo ignis tam vehemens fuit, quòd in cinerem illud redegit: ita ignis Spiritus Sancti totam Chriſti paſſionem ac Miſſæ oblationem gratiſſimam acceptauit: & rore cæleſtium donorum pinguem fecit. Iterum conuertit Propheta ſermonem ad Chriſtum, dicens, Tribuat tibi, &c.

Hebr. 9. Gen. 14. Matt. 26. Luc. 22. Malach. 1.

Tribuat tibi ſecundum cor tuum, & omne conſilium tuum confirmet.

Siue pro humanitate Chriſti, ſiue pro corpore eius (quod eſt Eccleſia) vt exaudiatur nūc optat Dauid. TRIBVAT (inquit) tibi Dominus non ſecundum cor te delere volentium, ſed ſecundum cor tuum, quo ſciuiſti quid vtilitatis tandem adferret, & tua paſſio, & illius in Euchariſtia commemoratio. Sicut enim Verbum caro factum in vnam perſonam aſſumpſit naturam humanam, non conſumens eam in ſeipſo, ſed in vnitatem perſonæ traxit, vt in ipſo Eſſe diuinum perciperet: ſic nos cōuertit ad ſe, quando dignè manducamus eius carnem, & bibimus illius ſanguinem. Ioan. cap. 6, Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinē, in me manet, & ego in illo: nam animæ robur à CHRISTO manducato accipimus: per quod iam non viuimus ſecundū carnem, ſed viuit in nobis Chriſtus. Hæc caro Chriſti eſt tanquam carbo ignitus, cuius eſt inflammare, & calefacere: quíſnam enim ad amorem protinus non excitatur, dum tanquam edulium ſuum, CHRISTVM, qui ex ineffabili charitate ſe pro nobis in ara crucis obtulit, & in cibū ſe nobis tribuit, cum deuotione ſumit? Itaque quemadmodum ad præſentiam carbonis igniti pellitur frigus, & corpus calet: ita ad hanc CHRISTI præſentiā fugatur quicquid gelidum aut tepidum eſt in anima, & ipſa igne diuini amoris ardet. Ad hoc autem, ſub ſpecie panis & vini Dominus hoc ſacramentum inſtituit, vt vnionem hominum cum Deo & ſignificaret, & charitate, vinculo vnionis (quā ipſum præſtat) efficeret. Quemadmodū enim ex multis granis vnus panis conficitur, & ex multis racemis vinum confluit: ſic (teſte Apoſtolo) vnus panis, & vnum corpus, multi ſumus, omnes qui de vno pane & de vno calice participamus. Atque ſicut dum Verbū caro factum eſt, & habitauit in nobis, quod ſuperius fuerat deſcendit inferius: ita homo participans huic cœnæ, in Deum aſcendit & ſecure credimus homines naſci ex Deo: quod præmiſit Ioannes dicēs, Qui nō ex ſanguinib9, nec ex volūtate carnis, nec ex volūtate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Quapropter non niſi in charitate

Ioan. 1. — 1. Cor. 10. — Ioan. 1. — Ibidem.

ritate

ritate Eccleſiaſticæ vnitatis, cœna hæc ſumenda eſt: quod egregie ſignatum eſt Exodi 25. & Leuitici 24. vbi dicitur, quòd panes propoſitionis, qui in menſa ſingulis Sabbatis ponebantur, calidi coram Domino proponebantur: hoc ſignificante Spiritu Sancto, quòd panis Sacraméti noui, qui in menſa Altaris cunctis fidelibus ſumēdus proponitur, in calore charitatis debeat accipi. Deinde rurſus ad Chriſtum ſubnectit Propheta, OMNE conſilium tuum confirmet: non ſolum quo animam poſuiſti pro vita omniũ, vt mortificatum granum copioſius reſurgeret: ſed & quo cæcitas ex parte contigit in Iſrael, donec plenitudo Gentium intraret, & ſic omnis Iſrael ſaluus fieret, ad Rom. cap. 11. Vbi vocabulum (donec) duntaxat conſequutiue ſumendum eſt, neque pro Multitudine, Plenitudinem dicit, ſed quia replete ſunt Gētes Spiritu Sancto à Domino noſtro. Sicut & ipſe ait Paulus de credentibus, Et ipſum dedit caput ſuper omnē Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet: tametſi intrante in fidē CHRISTI Gentium ſupplemento, tunc zelo & æmulatione permoti plurimi Iudæorum, etiam ad Euangelium acceſſerunt: atque interim Dominus miro modo ſtuduit, quomodo nobis gratiam ſanantē præpararet: & inuenit hoc Euchariſtiæ pacificās Sacramentũ, quo ipſe medicus, ipſe & medicina ſemper haberetur: & proinde miſit Verbũ ſuũ in hoc Sacramento, & ſanauit omnes. Quapropter in Euangelio ad ſe vocat Filius quoſcũque infirmos, dicens, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiā vos. Nil mirum igitur (CHRISTE) Quoniā lætabimur ī ſalutari tuo, &c.

Epheſ. 1.

Matt. 11.

Lætabimur in ſalutari tuo, & in nomine Dei *noſtri magnificabimur.*

Vox Eccleſiæ quæ vel lætatur in ſalute quam CHRISTVS ſua morte attulit, vel quòd ei mors non nocuit, in qua nobis eam non poſſe nocere facit: & de morte per mortem tranſiuimus ad vitam, accepto à CHRISTO ſacerdotio, per quod à vinculis peccati ſoluimur, & mortui reſurreximus. Ipſe enim Apoſtolis in vltima ſua cœna ſtatim poſtea moriturus poteſtatem ordinis ſuper corpus ſuũ ve-

rum dedit. Lucæ cap. 22, Accipite inter vos & diuidite, Hoc eſt corpus meũ, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meã commemorationẽ: reliquã vero authoritatẽ ligandi & ſoluendi inſufflando die ſancto ſuæ reſurrectionis, eis contulit. Ioã. cap. 20, Accipite Spiritũ Sanctũ: quorũ remiſeritis, &c. Iſtis duobus integratur noſtrũ ſacerdotiũ: ex iis noſtrũ ſalutare, iſtis quaſi clauibus clauſum ob peccatũ regnũ cælorum, aperitur, quibus ſacerdos tanquã miniſter, culpam relaxat, teſtante Gregorio, hæc de Euãgelicis ſacerdotibus ſcribente: Principatũ ſuperni iudicij ſortiti ſunt, vt vice Dei quibuſdã peccata retineãt, & quibuſdã relaxent. Deo interim per authoritatẽ, CHRISTO per poteſtatẽ excellẽtiæ, ob actũ heroicũ redemptionis, quẽ egit in aſſumpta natura, delictũ ſimiliter condonante. Quo tanto beneficio venturo (inquit Propheta) ET nos in nomine Dei noſtri magnificabimur: in cuius nomine ſumus in Eccleſia cõgregati, nõ in meritis noſtris, vel nomine noſtro: ſed quũ reſurrexerit à mortuis, leuabim⁹ in nomine eius vexillũ victoriæ crucis. Certe maior quàm dici poteſt honos eſt Chriſtiano, quũ ex vocabulo cœleſtis Regis, nomẽ eſt ei impoſitũ, & à CHRISTO Chriſtiani nominãdi dicimur. In hoc nomine primi credẽtes dæmonia eiiciebãt, linguis loquebantur nouis, ſuper ægros manus imponebãt, & bene habebãt. Marci cap. vltimo. quæ gratia miraculorũ, neq; adhuc nũc in Eccleſia deperiit. Verũtamen ſi quotidie talia ſigna nõ faciamus, aut in nomine CHRISTI videamus, non propterea nõ credimus: ſed hæc in exordio neceſſaria fuerunt, vt fides miraculis nutriretur, & nomẽ CHRISTI antea odioſum, poſtea cunctis gratum fieret. Fide autem Eccleſiæ iam confirmata, non ſunt neceſſaria. Deinde Dauid ſtylum vertẽs ad ipſum Meſſiam, ei ait, Impleat Dominus, &c.

Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognoui quoniã ſaluũ fecit Dominus Chriſtum ſuum.

Hactenus de paſſione & ſacerdotio Redẽptoris dixit Propheta: nũc de illius reſurrectione, & aſcenſione, ac remuneratione agit, & comprimis aſſerit omnes petitiones eius implendas, nõ ſolum quas in terra, ſed & eas quas in cælo

facit

facit interpellans pro nobis, quẽadmodũ teſtatur Ioannes in 1.ſua Canonica, talia ſcribẽs, Siquis peccauerit, aduocatũ habemus apud Patrem IESVM CHRISTVM iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: nõ pro noſtris autẽ tantũ, ſed etiam pro totius mundi. Vbi memineris illum nõ eſſe aduocatũ, niſi eum vocantibus. Diſpliceãt ergo peccata tibi, clama, & ipſe audit, & liberat: Orationi inſiſtas & precibus, ob diuturnã ac conſtantẽ contritionẽ atq; humilitatẽ impetrabis. Verba vero quæ ſequuntur, NVNC cognoui, &c. certitudine quadã Prophetię reſurrectionẽ & aſcenſionẽ CHRISTI firmãt, acſi dicat, Nũc in eleuatione vexilli crucis, quo princeps huius mundi eiectus eſt, quo mors ſuperata, quando patres ex limbo liberati. COGNOVI, quoniã ſaluũ fecit De⁹ Pater, de morte crucis, CHRISTVM ſuum, eum reſuſcitando, & triumphanti aſcenſione in cælo collocando: nec ſolũ ſalutẽ reſurrectionis Meſſiæ vidi factam: ſed etiam ſciui quòd exaudiet illum, &c. 1.Ioan.2. Ioan.12.

Exaudiet illum de cælo ſancto ſuo: in potentatibus ſalus dexteræ eius.

In cælo habitabat & in tẽplo obumbrabat Dominus, & ideo aliquãdo è tẽplo, aliquãdo verò è cælo illũ aduocabãt Iudæi. SANCTVM vero Cælũ appellat, quaſi ſanctificatum Deo, ac dedicatũ. Itaque hic oſtẽdit Dauid qualiter nõ ſolũ de terra, vbi petiit clarificari, ſed etiã de cælo, vbi interpellat ad Deum, mittens Spiritũ Sanctum ſuper credentes, exaudit⁹ ſit Filius à Patre. & in Epiſtola ad Hebr. cap. 5. teſtatur Paulus eundẽ in paſſione exauditũ pro ſua reuerentia: quippe quia plus omnibus Deũ reueritus eſt. Surgit tamen dubiũ, quomodo exauditus in hoc quod orabat tranſire ab eo calicem paſſionis? At dices, Nec ideo petiit vt impetraret, quia ſciebat Deum iſtud non eſſe facturum: nec illud fieri volebat affectu rationis, vel voluntate diuinitatis. Veruntamen ita petiit propter nos, ſcilicet vt membris formam præberet imminente turbatione clamandi ad Dominum, & ſubiiciendi voluntatem ſuam diuinæ voluntati: vt ſi pulſante moleſtia triſtentur, pro eiuſdem amotione orent. Sed ſi nequeũt vitare, dicant Deo quod ipſe CHRI- Acto.2. Matt.26.

Matt.26. STVS, Non mea, ſed tua voluntas fiat. Neque ad inſipientiam fuit, quòd CHRISTVS clamans non auditur ad ſalutem corporalem: bonum quidem petiit, ſcilicet vt nõ moreretur: ſed melius erat vt moreretur, quod & factum eſt. Itaque fatemur ſemper eum exauditum in eo quod affectu rationis voluit, cui voluntati diuinæ conformabatur, ſed nonnullos affectus ſenſualitatis etiam paſſus eſt, quatenus veritas humanitatis in eò probaretur. Et vt ipſum quoque in Deitate ſua omnipotentem eſſe monſtraret Propheta, nunc ſequitur, IN POTENTATIBVS ſalus dexteræ eius. Salus illa quę obuenit à gratia Dei, fundata eſt in abũdantia quadam, & exceſſu diuinæ potentiæ, atque ideo nos confidere oportet, & inimicorum apparatum non timere, quanquam immenſus admodum, atque intolerandus videatur. Salus igitur quam ipſe condidit, potentatus noſter eſſe dignoſcitur, quando illa ſalus, nec morbis afficitur, nec doloribus ſauciatur, ſed potentes nos efficit, quũ in ſua perennitate cuſtodit: nos potentes ſumus ex auxilio gratiæ eius,
2.Cor.12. quum etiam de tribulatione dat nobis auxilium, vt quando infirmamur tunc potentes ſimus: nam vana eſt ſalus hominum, & rerum temporalium, quæ non dextera eſt & æterna, ſed ſiniſtra & tranſitoria: hac enim in ſuperbia extolluntur homines, quicũque peccantes, tẽporaliter ſalui facti ſunt. De quibus ſubdit regius Vates, Hi in curribus, &c.

Hi *in curribus & hi in equis, nos autem in nomine* Domini Dei *noſtri inuocabimus.*

Duo apud antiquos erant genera triumphorum, vnum maius, in curribus, quod laureatum dicebatur: aliud minus, in equis, quod ouatio nuncupabatur. Et hîc Vates ad ſimilitudinem iſtorum triumphantium & pugnantium, armatis curribus, aut equis, deſcribit mundanos homines pugnantes contra fidem CHRISTI. Depingit etiam atque deſpicit eos qui in vanis confidunt. Per CVRRVS enim voluptas mũdi ſiue mũdanorũ omniũ cupiditas deſignatur, quia quaſi rotæ (quę inſtabiles ſunt) ſemper bonis volubilibus huc illúcque trahũtur, & perituris honoribus gaudent.

Per

Per EQVOS vero, ſuperbi & reb' ſecũdis turgẽtes ſignificãtur: quib' bene cõſulit Seneca, talia in tragœdiis ſcribẽs,

Vos quibus rector maris atque terræ
Ius dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos, tumidóſque vultus:
Quicquid à vobis minor extimeſcit,
Maior hoc vobis Dominus minatur:
Omne ſub regno grauiore regnum eſt.

Et nunc quoque Propheta eos floccifacit, qui caducis elati, temporali dignitate præſumunt, & ſuis viribus fidunt: & eoſdem forſan inimicos vtrobique intelligit, tametſi repetat articulum. Eſtque hoc etiam Hebraicæ linguæ idioma. NOS autem (inquit) illud Dei nomen quod ab inimicis exprobratum ac cõtumelia affectum eſt, in auxilium noſtrum inuocabimus: alij credant idolis atque dæmoniis: nos in ſolo nomine Dei noſtri (quod eſt IESVS) inuocabimus: nos cõfidemus in CHRISTO, quia (teſtãte Petro in Actis) non eſt in aliquo alio ſalus, neque aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos omnes ſaluos fieri. O nomen toties vocatum & tandiu deſyderatum! Hoc regius Vates cognoſcens, alio loco poſtulabat, nomen nõ potẽtiæ & dominationis, ſed gratiæ & benignitatis. Dic, inquit, animæ meæ, ſalus tua ego ſum. Abſcõdantur, obſecro, hæc nomina poteſtatis, & exhibeatur nomẽ gratię & ſalutis. Hinc magnus ille prædicator, qui loquebatur ſapiẽtiã inter perfectos, nihil iudicabat ſe ſcire niſi IESVM CHRISTVM, & hunc crucifixũ: nomen profecto ab omnibus inuocandũ, quia omnibus ſalutiferum: nam omnis qui inuocauerit nomen Domini, hîc ſaluus erit. Si contritus es, & times Deum vltionũ, appella ad Deũ gratiarũ, dicens, vt propter nomen ſuum IESVS ſit tibi Ieſus: quoniam ſcribit nobis filiolis ſuis Ioannes, quia remittuntur nobis peccata propter nomen eius. Si damnata morte peccati remanet morbus concupiſcẽtię, audi quia in nomine IESV ſerpentes malarũ tẽtationũ tollũtur: & ſi mortiferũ quid delectationis bibitur, non nocebit: ſi feroces inſultus inimicorũ omniũ timueris, attende quia in nomine IESV dæmonia eiiciuntur, & fere manſueſcunt: vt gloriabatur Agatha: & turris fortiſſima

Act. 4. — 1. Cor. 2. — Ioel. 2. — 1. Ioan. 2.

prædicatur à ſapiente nomẽ Domini:nos igitur ſola memoria huius nominis pugnabimus,quod ad literam impletum videmus in Apoſtolis & Martyribus, qui ſolis internis armis fidei pugnauerunt. Significantius autem dicit Dauid IN nomine,vt intelligas cõfeſſionem fidei, ex nominis ratione·ſicut intelligis internam fidem,ex recordatione. Ecce autẽ fructus iſtius pugnæ:Ipſi in curribus & equis obligati ſunt, & ceciderunt,&c.

Ipſi obligati ſunt, & ceciderunt,nos autem ſurreximus & erecti ſumus.

Clarè oſtendit fructum præcedentium rerum:nam humanis honoribus præſumentes, irretiti prauis deſyderiis ſuis, in mortis foueã corruerũt,& mundus quidẽ incuruatus eſt, qui vitiorũ ſuorum funibus ligatur,& in ſuperiora nõ valet aſcendere,ſed corruit.Ipſi etiam Iudæi obligati ſunt,& impediti potentia Dei,atque in lætalem ruinã præcipites delati,irruentes in lapidem offenſionis, & petram ſcandali, qui ſua malitia excæcati, CHRISTVM non agnoſcentes crucifixerunt: ſed idcirco lapis offenſionis,& petra ſcãdali, prædictus eſt CHRISTVS,quia multi eorum in natiuitate eius & paſſione ſcandalum, patiuntur, ſicut ſcribit Apoſtolus,Prædicamus CHRISTVM crucifixum, Iudæis ſcandalum,Gentibus ſtultitiam:ipſis autem vocatis Iudæis atque Græcis CHRISTVM Dei virtutem, & Dei ſapientiam.Vnde & hîc ſequitur, NOS autem qui in multo eramus timore,ſurreximus, animúmque & fiduciam recepimus: ſurreximus quidem à peccato, & (teſte Paulo ad Roma. 9.)Qui non ſectabamur iuſtitiam, apprehendimus eam,quia Gentes vocatę crediderunt, & de lapidibus gentilitatis in ſortem filiorum Abraham ceciderunt:Iſrael vero ſectando iuſtitiam,in legem iuſtitiæ non peruenit, qui vocatus credere noluit, neque iuſtitiam,niſi forte à tergo ſectatus eſt, illius ſpiritualem ſenſum nunquam attingens, ſed ſemper velatos in lege oculos habẽs. Hoc alto Dei cõſilio non viribus noſtris nos recti facti ſumus,qui ante tortuoſi eramus in peccatis, & exaltamur ad vitam æternam. Sed attende qualiter hîc certitudine Prophetiæ vides tanquam

1.Pet.2.

1.Cor.1.

quam completa deſcribi, quæ ſolum tamen adhuc tunc propoſita erant: nam Prophetæ futura veluti præſentia intuentur: & quia ſaluo rege ſtabilitur noſtra ſalus (quippe ſalus regis eſt ſalus populi) ergo, inquit Dauid Deo Patri, O Domine ſaluum fac Regem, &c.

Domine, ſaluum fac Regem, & exaudi nos in die qua inuocauerimus te.

Futurorum deſyderio Propheta pellectus, petit Regem CHRISTVM ſaluum fieri, vt ipſe qui nobis præliandi exemplum paſſione ſua monſtrauit, offerat etiam ſacrificia noſtra, ſacerdos à morte excitatus, & in cælo conſtitutus. Quapropter nunc Deo Patri dicit Dauid, Cito reſurgat Filius tuus, & in cælum aſcendat interpellans pro nobis, ne diutius noſtra vacillet oratio, ſed ipſo aduocato, audeamus orare, qui nos Patri docuit ſupplicare: itaq; eo iam pro nobis offerente, exaudi nos per eum mediatorem & aduocatum, in die qua inuocauerimus te: credentes eum vere ſurrexiſſe, & in cælum aſcendiſſe. Et huic ſententiæ quadrat is contextus quem hoc loco ad veritatem Hebraicam legit Hieronymus, Domine ſaluum fac Regem, qui exaudiat nos in quacunque die inuocauerimus eum, quum ob proprias virtutes dignus ſit à quo ſalutem conſequamur. Matth. 6.

IN PSALMVM XX.

Domine, in uirtute tua lætabitur Rex, & ſuper ſalutare tuum, exultabit uehementer.

In tranſlatione Hieronymi, ad veritatem Hebraicã huic Pſalmo is datur titulus: Victori Pſalmus Dauid, & canitur de CHRISTO: nam quando manifeſte conſtat quòd de Rege tractat, quem tãtis adornat vt nullis niſi Meſſię aptari poſſint, ſupereſt hunc Pſalmum pro Meſſia exponendũ recipiamus. Cui enim alteri, quartus & ſextus, iſtius Pſalmi verſiculi conueniunt? Vnde etiam apud Hebræos vetuſtiores interpretabatur pro Meſſia, & Thargum hoc in loco dicit, Deus in fortitudine tua regnabit Rex Meſſias. Qua-

propter titulus hîc, titulo decimi noni Pſalmi par eſt:nam & iſte quidem de CHRISTO,ſed ſub aliqua diuerſitate di ctuurus eſt. Superior nanque continet oratioñe & ſpem Prophetiæ, ſuper redẽptione orbis per Chriſtũ, hic vero panegyric⁹ de incarnatione ipſius dicitur, & poſtea diuina eius facta narrantur, vt omnes intelligãt eundẽ eſſe Mariæ ſem per Virginis filiũ, quod Patris Verbũ. Et nũc CHRISTVS Rex appellatur: Chriſtus ſiquidem vel Pontificale vel Regium nomen eſt: nam prius & Pontifices vnguento chriſmatis conſecrabantur, & Reges, ſed illi velut mortales & corruptibiles, vnguento materiæ corruptibilis vngebãtur. Hic vero Sancto Spiritu perũctus, CHRISTVS efficitur:

Act. 10. ſicut præcinuerat Eſaias ex eius perſona, dicens, Spiritus

Eſa. 6. Domini ſuper me, ꝑpter quod vnxit me, Euãgelizare pauperib⁹ miſit me. Iſte igitur eſt Rex cui & in ſuperiori Pſalmo ſecũdum formam ſerui deſyderatur ſalus, qui in illa nimirum Dei virtute & potentia, quæ eis hactenus in reſurrectione & aſcenſione adiumẽto fuit, perpetuo LAETABITVR: nam (quẽadmodum ſcribitur Act. cap. 2.) dextera Dei exaltatus eſt: ita vt nõ niſi poſt illius aſcenſionẽ effuderit Deus Pater de Spiritu ſuo ſuper omnẽ carnẽ, teſtãte Ioãne, cap. 7. talia ſcribente, Nõdum erat Spiritus datus, quia nondũ erat IESVS clarificatus: & hũc (inquit Petrus Act. cap. 3.) oportet quidẽ cælum ſuſcipere vſq; in tẽpora reſti-

Ioan. 1. tutionis omniũ: tunc enim quũ venerint tempora refrigerij à conſpectu Domini, miſſurus eum eſt qui prædicatus eſt à regalibus, IESVM CHRISTVM, ad iudicãdos viuos & mortuos: quæ omnia (nũc teſtatur litera) in virtute qua Verbũ caro factũ eſt, fiẽt. Quare modo Spiritu Prophetiæ Dauid talia Deo Patri intonat, Domine, in virtute tua lętabitur Rex Fili⁹ tuus, homo fact⁹, & tuę Eccleſię caput, qui tecũ in vna omnipotẽtia regnat, ſicut ipſe ſæpiuſculè in Euãgelio

Ioan. 17. loquitur, Omnia Patris mea ſunt, & omnia mea Patris ſunt. Atq; interim hoc in loco hominẽ perfectũ appellat, qui nõ in virtute ſua, ſed SVPER ſalutare tuum exultabit vehementer, hoc eſt, in ſalute quam à te cõſequutus eſt mũdus, Fili⁹ tuus, qui illius Saluator eſt, lętitia inenarrabili ſemper plaudet, & in nomine IESV, quo eum vocabis (quod eſt nomen

nomen ſalutis) in æuum gaudebit. Additur autem VEHEMENTER, vt quãta eſt copia in beneficio, tãta ſit & gaudij ex nomine magnitudo: nã vti ſcribitur ad Philippẽſes cap. 2, hoc nomen eſt ſuper omne nomẽ, cui omnis creatura genu flectit: nempe (inquit Auguſtin⁹) homini donauit Pater hoc nomen nõ Deo, vt cum forma ſerui nominetur vnigenitus Filius Dei, in qua mortuus, in qua aſcẽdit & ſedet ad dexteram Dei Patris, & cui propterea omnia ſeruiunt. Porro de proprietate hui⁹ dictionis IESVS, vide pulchra quæ annotat Nebriſſenſis tertia ſua quinquagena, quæ hîc intacta relinquimus, quò prudens lector omnia exactius diiudicet. Sequitur in Propheta, Deſyderium cordis eius, &c.

Deſyderium cordis eius tribuiſti ei, & uoluntate labiorum eius non fraudaſti eum.

Deſcripturus Propheta in quibus cõſiſtit ſalus diuina cõferenda Meſſiæ, hîc in genere præmittit, quòd erit adimpletio omnium tum deſyderiorum, tum loquutionum eius. Deſyderauit autem Filius, vt veniret genus humanum redempturus: Lucæ cap. 22, Deſyderio deſyderaui hoc Paſcha manducare vobiſcum: ſimul etiã expetiit ſuæ carnis reſurrectionem, tribus potiſſimum de cauſis. Primum, vt nobis certam ſpem faceret reſurrectionis: Deinde vt ſciremus eum immortalem fore, nec vnquam moriturum, in quo præſidia ſalutis noſtræ collocauimus: Poſtremò, vt nos quoque per pœnitentiã, mortui peccatis, per baptiſmũ, vnà cum illo ſepulti, per gratiã eius reuocemur ad vitæ nouitatem. Quæ omnia adimpleta eſſe ſatis oſtendunt Euangelia, atque eũdem hac de cauſa vere comprehenſum à Iudæis, vinctum, colaphis & alapis cæſum, conſputum, irriſum, flagellatum ſub Pontio Pilato, ac deniq; ſuffixũ in cruce, atq; inibi mortuum. Sed forte (inquies) cur Pater Filium ſuum vnicum, innocentem, ſibíque chariſſimum hæc tam atrocia pati voluit? & ſi non patuit alia via ſuauior ſarciendi ruinam noſtram? Certè hoc nobis perſuaſit non humana ratio, ſed fides, nulla ratione potuiſſe fieri melius, neque ad ſalutem noſtram vtilius; atque interim hac victima nos nocentes Deo reconciliati ſumus, in Filij illius nomen collocantes

Ioan. 12.

Rom. 6.

Matth. 27

Ioan. 19.

fiduciam ac ſpem noſtrã. Sed & adfertur ratio cur hoc mor tis genus per crucẽ illi potiſſimum placuit, videlicet, quia iuxta mundum erat probroſiſſimum, quia diri lentíque cru ciatus, quia conueniebat illi, qui porrectis in omnem mundi plagam membris, omnes orbis nationes inuitaret ad ſalutẽ, & homines terrenis curis affixos euocaret ad cæleſtia.

Num.21. Denique vt referret nobis ſerpentẽ æneum, quem Moyſes ſuſpenderat in ſtipite, vt quicunque defigerent in illum ocu los, ſanarentur à vulnere ſerpentum, fidémque Prophetæ

Pſal. 95. liberaret, qui prædixerat, Dicite in nationibus, regnauit à ligno Deus. Porro omne votum eius adimpletum eſſe, demonſtrant verba quæ ſequuntur: ET voluntate labiorum eius, non fraudaſti eum. Per voluntatem labiorum, hîc petitionem intellige: nam quod quiſque animo cupit, hoc ore etiam ac labiis petit, quidquid vero dixit, aut abſolute voluit Filius, ocyus factum eſt, verbo fugans dęmones, infirmos ſanans, mortuos ſuſcitans, prædicationes quoque ſuas deuotis mentibus inſerens: quæ gratia miraculorum fuit huic animæ CHRISTI longe excellentiori modo col

Matth. 7. lata, quam cuicunque alteri ſanctorum. Quapropter ſcriptum eſt, quòd ipſe operabatur, quaſi poteſtatem habens, ta metſi diuinitas in eo latens primum & pręcipue ſemper talia opera operata ſit: ille tamen (vt inquit Auguſtinus, in epiſtola ad Voluſianum) aliquid duntaxat ſibi proprium & peculiare fecit, videlicet naſci de Virgine, reſurgere à mor tuis, aſcendere ad cælum. Præterea dum alij vnum aut duos ſanarunt, ipſe innumeram multitudinem curauit, dicente

Marc. 6. Marco, quòd vbicunque CHRISTVS tranſibat, ponebãt per vicos & plateas, omnes male habentes, & ſanabantur:

Ioan. 15. quapropter, ipſe de obſtinata mente Iudæorum, inquit, Si opera non feciſſem quæ nemo pręter me fecit, peccatũ non haberẽt. Subnectit Dauid vnũ vnde adhuc lætabitur & exultabit rex Meſſias, Quoniam præueniſti eum, &c.

Quoniã præueniſti eũ in benedictionibus dulcedinis, poſuiſti in capite eius coronã de lapide pretioſo.

Dicendo PRAEVENISTI, ſignificat humanitatẽ Redemptoris, anticipante diuinitatis gratia ſemper ornari.

Quare

Quare erubeſcat Pelagianus hoc propriũ hominis dicere, quod immaculata Verbi incarnatio manifeſte legitur accepiſſe. Et BENEDICTIONEM hîc pro gratuitis beneficiis accipere debemus, quæ à Dei bonitate proficiſcũtur. Et hũc Chriſtum ſuum à longe Deus Pater in his præuenit, quando ſcilicet Melchiſedech benedixit Abraham, & deinde quotquot benedictiones in Patriarchis vſque ad aduentum Meſſiæ fuerũt, CHRISTVS in ipſis benedictus. Neque tamen propterea Abraham dante decimas, in lumbis Abrahæ cũ Leui CHRISTVS decimatus eſt: quãuis enim tunc vterque ſecundum carnem eſſet in lumbis Abrahæ: tamẽ tunc ſecundum aliquem modum non erat ibi Chriſtus, quo erat ibi Leui, quia non ſecundum concupiſcẽtiam inde deſcendit: ille ergo ſolum decimatus eſt in Abraham, qui ſic fuit in lumbis Abrahæ, ſicut ille fuit in lumbis patris ſui: id eſt, qui ſic natus eſt de patre Abraham, ſicut ille de patre ſuo natus eſt, hoc eſt, per legem carnis, & inuincibilem cõcupiſcentiam ac rationem ſeminalem. Quapropter recte dicimus CHRISTVM non carnem peccati, ſed ſimilitudinem carnis peccati aſſumpſiſſe; quemadmodum ſcribit Apoſtolus, Miſit Deus Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati: neq; Chriſtus peccauit in Adam, vel patribus: nam caro eius fuit mũda priuſquam animata, aut Verbo vnita, quã traxit à Virgine, ſolo opere Spiritus Sancti: & ſic decebat eum naſci, qui noſtrę conceptionis ac natiuitatis ſordes purificaret. Hominis Filius naſci voluit Deus, vt nos in illum renaſcẽtes efficeremur filij Dei. Iſtud fuit ſemen, in quo Abrahæ factæ ſunt repromiſſiones. Gen. cap. 22, Neque (vt ait Apoſtolus ad Galat. cap. 3) dicit, Seminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in vno, & Semini tuo, qui eſt CHRISTVS: non enim poteſt inueniri alius, qui omnes Gentes benedixerit, ſed de plenitudine benedictionum eius, nos omnes accepimus, & prius in eum munera gratiæ collata ſunt, in quibus poſtea viuificamur, vt ſit primogenitus in multis fratribus. Quare, teſtante Luca, factum eſt, vt audiuit ſalutationẽ Mariæ, Elizabeth, repleta eſt Spiritu Sãcto, & exclamauit voce magna, & dixit, Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Quo elogio ſit imprimis, eadem voce

Geñ. 14.
Heb. 7.
Rom. 8.
Ioan. 1.
Rom. 8.
Luc. 1.

Maria benedicatur ab Elizabeth, qua à Gabriele: vt & an-
gelis & hominibus veneranda, & cunctis fœminis præfe-
renda monſtretur. Deinde benedictus dicitur CHRI-
STVS, non ſicut cæteri homines, ſed (vt inquit Apoſto-
Rom.9. lus)qui ſuper omnia Deus benedictus in ſecula:& per quem
benedictio venit ad omnes. CORONA vero nunc ſuper
caput eius poſita, inſigne dignitatis eſt, neque improbe cir-
cumeuntium diſcipulorum ſignificat conuetum, qui ipſum
docētem, in principio ſuæ prædicationis, more coronæ cin-
gebant, facti lapides pretioſi: quibus opus Eccleſiæ ſuper
fundamētum Apoſtolorum & Prophetarum (doctrina par-
tim ex veteri partim ex nouo Inſtrumēto deſumpta) ſuper-
Epheſ.2. ædificaretur, ipſo ſummo angulari lapide: mox etiā acceſſit
totius mūdi circulus, CHRISTVM fide circundans, ſicut
corona caput. Et vt Dauid ſciſma damnaret, vnionémq; fi-
dei commendet, dixit hanc coronam fabricatam non de la-
pidibus, ſed de lapide pretioſo. Deinde ſequitur, Vitam pe-
tiit à te, & cætera.

Vitam petiit à te, tribuiſti ei longitudinem dierū in ſeculum ſeculi.

De aſſumpto homine agit, qui vitam, poſitus in morte, ſu-
ſcepit, & longitudinem dierum non vſq; ad ſenectutem, ſed
in ſeculum ſeculi. VITA verò, hîc ſignificat reſurrectionē
quam ille petiuit, dicendo, Ioannis cap. 12. & 17, Pater cla-
rifica Filium tuum, &c. neque ei denegata eſt: nam vt ho-
mo mortuus eſt, vt homo reſurrexit, & reſurgens ex mor-
tuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. ad
Rom. cap. 6, Reſurrectionis gloria in CHRISTO omne
quod infirmum & fragile videbatur, abſoluit: reſuſcitatur
Pſal.15. caro quæ depoſita erat in ſepulchro, vt adimpleretur quod
antè dictum eſt, Quia non dabis ſanctum tuum videre cor-
ruptionem. Rediit victor à mortuis, inferni ſecū ſpolia tra-
hens: eduxit eos qui tenebantur à morte, ſicut ipſe prædi-
xerat, Ioannis cap. 12, Quum exaltatus fuero à terra, omnia
ad me traham. Hic fuit ille figulus, qui (vt Hieremias docet
Propheta) vas de manu ſua collapſum & confractum, rur-
ſum eleua-

ſum eleuauit manibus ſuis, & reformauit, ſicut placuit in conſpectu eius, Hieremias cap. 8. Sed quæres cur & ſepeliri voluit. Idque tam accurate óblitus vnguentis, incluſus nouo monumento, è ſolido viuóque ſaxo exciſo, obſignato oſtio, adhibitis etiam cuſtodibus publicis? Certe quo magis cõſtaret eſſe verè mortuum: etenim ſi mors fuiſſet ambigua, fuiſſet & ambigua reſurrectio: ſed vtraque voluit eſſe certiſſima: & in vno natura humanæ fragilitatis, in alio diuinæ maieſtatis oſtenditur. Quoto verò die reſurgeret Dominus, aperit Oſeas, talia cap. 6. ſcribens, Sanabit nos (inquit) poſt biduum: in die autem tertia reſurgemus, & viuemus in cõſpectu eius. Quę verba ſaltem ex perſona eorum accipienda ſunt, qui cum ipſo tertia die reſurgentes, de morte reuocantur ad vitam. De quibus Matthæi cap. 27, Monumenta aperta ſunt, & multa corpora ſanctorũ qui dormierant, ſurrexerunt: & exeuntes de monumentis, venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Ex veritate igitur teſtium ſumamus fidele teſtimonium pro die quo reſurrexit Dominus: ſed ad hoc ipſe vno die integro, & duabus noctibus mortuus eſt, vt vna morte ſua, duas noſtras mortes, corporis ſcilicet & animæ, quę tenebroſæ erãt ſicut nox, deſtrueret, atque mundum deinceps ſub gratia conſtitueret, qui prius & ante legem, & ſub lege vixerat. Nunc etiam præcantatur Meſſiæ exaltatio, his verbis, Magna eſt gloria eius, &c.

Ioan. 19.

Matth. 27.

Magna eſt gloria eius in ſalutari tuo: gloriam & magnum decorem impones ſuper eum.

Nunc declarat Propheta qualiter ipſe Meſſias poſt diuinum hoc auxilium & beneficium reſurrectionis à Deo acceptum, magnus, celeber, & conſpicuus apud omnes in aſcenſione effectus eſt, ita vt dona ei plurima ſint allata, quæ omnia ob huiuſcemodi diuinam protectionem illi acciderũt. MAGNA eſt quidem (inquit) gloria eius, in ſalute qua eum reſuſcitaſti, & de mortali immortalem feciſti. Sed adhucait, GLORIAM & magnum decorem addes ei, quũ eum in cælum exaltabis, & ad dexteram tuam collocabis,

quæ res impleta eſſe deſcribitur Marci cap. vltimo his verbis, Et Domin⁹ quidem IESVS, poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei: quod tantundem ſignificat ac ſi Marcus dixiſſet, quòd aut Pater ſedet in throno maieſtatis ſuæ, & ita iubet Filium hominem, ſibi à dextris, id eſt in ſecundo loco ſedere: aut præſtat ſe Filio homini, tanquam ſtipatorem, protectorémque, & tunc reponit Filium in primo, hoc eſt tutiori loco: & propterea alibi dicit Pſalmographus, Dominus à dextris tuis. Deinde ſubdit, Confregit in die iræ ſuę Reges. Nam apud antiquos illi qui potentiores aſſectabantur, tum ſatellites, tum ſtipatores, tum laterones dicebantur, atque is fuit ſedendi ordo, vt qui alium comitabatur, dictus erat ire exterior, cui verò præſtaretur comitatus, ire interior. Horatius in Sermonib⁹,

Pſal. 109.

-ne tamen illi
Tu comes exterior, ſi poſtulet, ire recuſes.

Latus quoque intectum ſiue nudum dicebatur illius quē nemo comitaretur. Ambroſius in ſermone de obitu fratris ſui, Quòd ſiquando ſine altero prodeundum fuit, intectum latus putares. Et Seneca lib. 3. Epiſtolarum, Nudum erat latus, incomitata lætitia. Atqui Exterior is dicendus, qui ſit ad dexteram alicuius: & Interior, qui ad ſiniſtram. Vnde Saluſtius, Introrſus prima Aſiæ Bithynia eſt: vbi Introrſus pro Siniſtrorſus accepit. Horatius quoque in Sermonibus,

Interiore diem gyro trahit, ire neceſſe eſt. vbi Interiore pro Siniſteriore ponitur, quòd Meridies mundi pars ſiniſtra eſt, quemadmodum Septentrio dextra. Collige igitur ex his quæ diximus, eum qui ſit alterius comes, claudere, aut cingere, aut tingere latus, atque eidem ire exteriorem, hoc eſt ad dextram illius. Cuius vero latus clauditur, cingitur, tegitur, ire interiorem, hoc eſt ad ſiniſtram, qui locus erat apud veteres dignitate præſtantior. Quemadmodum teſtatur Ouidius libro quinto Faſtorum,

Et medius iuuenum, non indignantibus ipſis,
Ibat & interior, ſi comes vnus erat.

Quo in loco de ſene loquitur cui debetur honos à iuuenibus. Igitur hæc ſufficiant pro explicatione illius quòd Dominus IESVS aſſidet dextræ Patris, neque putemus maiorem eſſe

iorem eſſe qui ſedet ad dexterā. Tantum ſupereſt credendū quòd idem corpus quod mortuū fuit in cruce, quod reuixit in ſepulchro, quod viſum & cōtrectatū eſt à diſcipulis, ſubuectum eſt in cęlū. Sed dices, Cur voluit relinquere terras? Certè vt illum omnes ſpiritualiter amaremus, neque quiſquā in terris ſibi CHRISTVM proprie vindicaret, ſed omnes ex æquo tolleremus animos in cælū, ſciētes illic eſſe caput noſtrū, gloria & honore adornatum. Et verè prædicit Dauid, ita ſublimis fiet Meſſias: Qm̄ (tu Pater) dabis eū, &c. 1. Ioan. 1.

Quoniam dabis eum in benedictionem in ſeculum ſeculi: lætificabis eum in gaudio cum uultu tuo.

BENEDICTIO aliquando laudem ſignificat, vt illud, Benedic anima mea Domino: aliquando gratiam ſeu beneficiū, vt illud, Præueniſti eum in benedictionibus dulcedinis: aliquādo participationem ſanctificationis, vt hîc nonnulli intelligunt: aliquando blaſphemiam ac maledictionem, vt apud Iob, Niſi in faciem benedixerit tibi: ad hæc & ſalutationem ſignificat, vt lib. 4. Regum, quando Heliſæus dixit ad Giezi, Si inueneris hominem, non benedices ei, & ſi benedixerit tibi vir, non reſpondebis ei. Itaque nunc gradatim venit Propheta ad illam gloriam declarandam quam CHRISTVS IESVS ſecundum carnem à Patre clarificatus accepit: & imprimis dicit eum dandum eſſe in benedictionem, quæ nullo poſſit fine concludi, à qua omnis noſtra benedictio pendeat, & propter quam poſtea factum eſt, omnes benedictiones Eccleſiæ fiant in nomine eius. Nam (vt inquit Paulus ad Epheſ. 4,) Aſcendens in altum dedit dona hominibus: hoc modo tanquam caput defluxum faciens in membra: & vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram illius donationis CHRISTI, non quòd ad menſuram Spiritum & gratiam tribuat Deus: magnificentiæ enim eius non eſt finis: ſed quòd iuxta menſuram vaſculorum infundat liquorem, tantum muneris largiens quantum poteſt ille cui donatur, accipere. Illæ ſunt manubiæ hominibus diſtributæ, quas CHRISTVS victor emeruit. Venit igitur Dominus noſter IESVS CHRISTVS ſecundum Ezechielem, vaſa ſecum captiuitatis ap-

Pſal. 102. In hoc Pſ. Iob. 1. 4. Reg. 4. Ezech. 12.

portans, & operto capite, ne ab aduerſariis cognoſceretur,
Eſaiæ 61. prædicauit his qui capti erant, remiſſionẽ, & qui tenebantur in vinculis, ſolutionem: & nos, de cathenis hoſtiũ, & de compedibus liberauit (ſicut illã in Euangelio mulierẽ, de qua ipſe commemorat Lucæ 13, Hanc autẽ filiam Abrahæ quã alligauit Satanas ecce decem & octo annis, non oportuit ſolui à vinculo iſto die ſabbati?) liberatóſq; nos, & per nouam captiuitatem, de captiuitate veteri erutos, ſecum du cit in cælum, & his ipſis quos de inimicorũ manu victor eri puit, diuerſa gratiarũ dona largitus eſt. Subnectitur poſtea gloria exaltati hominis CHRISTI, videlicet LAETIFICABIS eum in gaudio, cum vultu tuo, hoc eſt ſemper erit tecum in cælis, & ideo beatus in tua perfecta & viſione
1. Cor. 12. & fruitione: nam Ioannis 17, ſcriptum eſt, Hæc eſt vita æterna vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti IESVM CHRISTVM. Et additur CVM vultu tuo, vt intelligas rationem conſummatæ lætitiæ eſſe diuinam faciem: ſiue lætificabitur Filius in gaudio, quũ adunata fuerit illa multitudo Sanctorum, & numerus reſtitutus ei, qui tunc gaudebit pro acquiſitis, pro quibus paſſus eſt. Lætabitur ſuper hoc, quòd ſui gaudebũt cum tua præſentia Deus, quando eris omnia in omnibus, quo ſolo ſatiabũtur, & quẽ ſolum deſyderare poſſint, aſpicies in eos, & gaudio replebuntur, te cauſante in eis rerum petitarũ notitias. Quid erit quod quantum ſufficiet non videant, quando omnia videntem videbunt? Ipſe enim eſt ſpeculum voluntarium, oſtendens in ſe quæ vult, cætera occultans: nam in intellectu eũ videntis, cauſat cognitionẽ volũtarie & contingẽter illarũ rerũ quas vult cognoſci: & quarũ cognitionẽ nõ cauſat, has occultare dicitur. Sed merito hæc omnia Redemptori propter ſuam humilitatẽ cõtingent. Quoniam rex ſperat, &c.

Quoniam rex ſperat in Domino, & in miſericordia Altiſſimi non commouebitur.

Reddit cauſam cur rex CHRISTVS tanta munera à Deo acceperit. Ipſe quidem non in exercitu, aut in diuitiis cõfidit, neque in aliis humanis viribus, ſed in ſolo adiutore Deo, homo aſſumptus, humilis corde, ſperat in Domino,

atque

atque ideo nihil fluctuauit, ſiue in paſſione, ſiue in morte: quin & dotes corporis ſe non ignorare, longè ante reſurrectionem demonſtrauit: ſubtilitatem oſtendit in ſua natiuitate, quādo clauſo vtero Virginis hinc exiuit: claritatem Luc.2. patefecit, in tranſfiguratione: agilitatē quādo ſuper aquas Matt.17. ſiccis pedib⁹ ambulauit. Hæc omnia ei cōtulit firma SPES Matt.14. in Domino: non ea quæ virtus theologica dicitur, nam illi repugnabat, qui non ænigmaticam, ſed clariſſimam de ſua beatitudine, & cognitionem & aſſequutionem habebat: ſperauit autem eo modo, quo beati adhuc nunc certo expectant reſurrectionem ſuorum corporum, & ſtolam ſecundam, quemadmodum legimus eis dictum, Apoca. 6, quòd expectarēt adhuc modicum tempus. Itaque CHRISTVS ſecundum hominem confidit in Domino, & neſcit à Patris miſericordia ſubmoueri, qui ſperare in eius gloria perſeuerat. Hic homo aſſumptus, neque morte, neq; ſepultura, neque paſſione vnquā à Deo ſeparari potuit: nam quod Verbum ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit, quin & in triduo mortis CHRISTI, hæc aſſumpta humanitas ſemper Verbo vnita erat, tametſi anima à corpore ſeparata foret. Et hāc tantam futuram gratiam nunc prædicit Dauid. Sed hactenus loquutus eſt ad Deum Patrem de hoc homine aſſumpto: nunc laudes CHRISTI agit de pœnis malorum: & conuertit ſermonem ad eum dicēs, Quia talis & tantus es, ô rex Chriſte, Inueniatur manus tua, &c.

Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inueniat omnes, qui te oderunt.

Manus Dei, diuina eſt potentia, in quam Prophetam incidere omnes eos optat, qui Deo maledicunt. INVENIATVR (inquit) ab illis, ad ſupplicia, & ad pœnas. Comprehendat ſeu inueniat poteſtas Dei illos, qui Dominū in humilitate agnoſcere noluerūt, & DEXTERA, ſeu claritas qua regnat Filius cum Patre, INVENIAT in die iudicij puniendos omnes, qui eum oderunt. Quare memineris hîc Propheticè deſcribi tēpus quo venturus eſt CHRISTVS iudicare viuos & mortuos. Itaque credendum illum eodē corpore rediturū, vt iudicet viuos & mortuos: nō quòd alij

1. Cor. 15. viui, alij mortui ad iudicium veniant: nam inquit Paulus, Omnes moriemur, ſed animæ ſimul iudicabūtur & corpora: in quibus, Viuos, animas: corpora, Mortuos nominauit:
Matt. 10. ſicut & ipſe Dominus in Euāgelio dicit, Nolite timere eos qui corpus poſſunt occidere, animam autē nihil lædere poſſunt: ſed timete potius eum, qui poteſt animam & corpus perdere in gehennam. Eam ob rem, quàm certò ſcimus eſſe hactenus peracta, quæ Prophetę de CHRISTO prædixerant, tam habeamus certum fore quicquid in poſterum nos voluit Meſſias expectare. Prior aduētus exhibitus eſt iuxta vaticiniū Prophetarū, quo venit humilis, vt nos inſtitueret ac ſeruaret: exhibebitur & ſecundus quo veniet ſublimis
Rom. 14. in gloria Patris, ante cuius tribunal ſiſti cogētur omnes homines, cuiuſcunque nationis, cuiuſcunque ſtatus, ſiue reges, ſiue plebei, ſiue nobiles, ſiue ignobiles: omnes qui ab initio mundi, vſque ad illud tempus mortui fuerint, ſubito reuiuiſcent: & ſuo quiſque corpore conſpiciet iudicem, aderunt & angeli beati tanquam famuli fideles, aderunt
Matt. 15. & dæmones iudicandi. Tunc è ſublimi pronuntiabit illam ineuitabilem ſententiam, quæ diabolum cum his qui illi adhæſerunt, tradet æternis ſuppliciis, vt poſtea nulli poſſint nocere: pios transferet in conſortium regni cæleſtis, tutos ab omni moleſtia. Et nunc de reproborum tormentis ſequitur, Pones eos, &c.

Pones eos ut clibanum ignis in tempore uultus tui, Dominus in ira ſua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.

Combures (inquit) eos igne iræ tuæ, intus ardebunt in conſcientia ſicut clibanus intrinſecus ardet: intus eos torquebit vermis ſindereſis, & ignis doloris, eo quòd bona non fecerunt. Eſaiæ cap. 66, Ignis eorum non extinguetur, & vermis non morietur. Neque exiſtimandum eſt ignem inferni ſolummodo eſſe metaphoricum, ſed (quemadmodum teſtatur Gregorius 4. dialogorum) is eſt corporeus, & elementari ſimilis, velut etiam quilibet aër cum quolibet aëre in ſpecie conuenit: ſeruatur autem apud inferos

ſeros diuina voluntate incorruptibilis, vt ſemper ſit inſtrumentum iuſtitiæ Dei punitiuæ, qui & (teſtante Gregorio ſuper illud Matthæi ca. 22, Ligatis manibus & pedib^9 proiicite eum in tenebras exteriores) parum luminis habet, vt pœnas ſuas videant damnati: atque interim affligit animam non ſolum actione intentionali qua ipſa triſtatur detineri in loco igneo & fumoſo, ſed & actione reali, qua ignẽ ſentit, Deo ita diſponente, qui cauſas ſecundas ad libitum voluntatis ſuę agere facit. Corpora quoque damnatorum, cõſimili ratione poſt iudicium calefaciet, Deo ſupplente ſiue cõcomitantiam, ſiue dependentiam, aut harmoniam aliarum cauſarum, qualiter & iam ita egit quando ad preces Io- Ioſ. 10.
ſue & Ezechiæ ſol ſtetit. Quapropter Iob cap. 24. de repro- Eſa. 38.
bis ſcriptum eſt, Ad nimium calorem tranſibunt ab aquis niuium, ſicque viciſſim & ardebunt & frigebunt, vt maior Deut. 25.
ſit pœna, ſemper tamen pro mẽſura delicti eſt plagarũ modus. Neque corpora vrente igne conſumuntur Deo illa ad vindictam reſeruante. Sed poſt iſtud iudiciũ reſumptis corporibus in damnatis, accidentalis cruciatus hoc pacto augebitur. Iſte ignis ſic abſumit, vt ſeruet, ſic ſeruat vt cruciet. Dabitúrque miſeris vita mortalis, & pœna ſeruatrix, viuere in pœna cõpellentur, vt cuius vita mortua hîc fuit in culpa, illic mors eius viuat in pœna. Ecce ſtygem, ecce Ach ęrotẽ Chriſtianũ, de quibus per vmbrã dixerunt poetæ. Et (vt inquit Gregorius 4. dialogorum, ſicut multi in hoc mũdo ſub vno Sole viuũt, nec tamẽ æqualiter eiuſdem Solis ardorem ſentiunt, quia alius plus ęſtuat, alius minus: ita in inferno, in vno igne, non vnus eſt modus incendij: quia quòd hîc diuerſitas corporũ, hoc illic agit diuerſitas peccatorum, vt miſeri ignem non diſſimilem habeant, & tamen eoſdem ſingulos diſſimiliter exurat. Hæc vero omnia fiẽt (inquit Pſalmographus) IN tempore Vultus tui, CHRISTE: hoc eſt quãdo manifeſtus fies in iudicio, quãdo facies tua apparebit iudex, quando nimirum in eos ſeuerè ac toruè aſpicies: Pſal. 33.
Vult^9 enim Domini, ſuper faciẽtes mala, vt perdat de terra memoriã eorũ. Ipſe enim in iudiciũ non veniet quomodo Matth. 22.
venit in carnẽ, ſedens ſuper aſinũ, & baiulans ſibi crucem: Ioan. 19.
ſed tunc (inquit Lucas) videbunt omnes Filium hominis Lucæ 21.

venientem in nubibus cæli, cum poteſtate magna, & maieſtate. Vnde Paulus 1. ad Theſſalo. cap. 4, In iuſſu & in voce Archangeli, in tuba Dei deſcendet de cælo. Quæ quidē tria hoc ordine probabiliter intelligi poſſunt· Primo CHRISTVS in ſuo deſcenſu ad iudiciū, iubebit pulueres ſiue par-
Eſaiæ 9. tes quaſcunque corporū recolligi per famulantes Angelos: demū præcipiet voce Archangeli corpora reformari ex his recollectis pulueribus, animáſque iis reuniri: ſiue illa vox ſit per eū facta, qui eſt angelus magni conſilij: ſiue miniſterio alterius Angelorū. Hanc verò tubam Dei ſonare (ait Gregorius) nihil aliud eſt, quàm mūdo iudicē Filiū Dei apparere: tametſi non improbabile eſt, quòd hæc tuba Dei erit ſonus quidam ſenſibilis, & imperium vocale CHRISTI, quo præcipiet mortuis reſurgere, iuxta illud Ioānis cap. 8, Mortui audient vocem Filij Dei, & qui audierint viuent. & ſequitur, Omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei. De voce iſta tubali (ita referente Auguſtino, lib. 18, De ciuitate Dei) vaticinata eſt Sybilla,

Et tuba tunc ſonitum triſtem demittet ab alto
Orbe, gemens facinus miſerum, variόſque labores.

Nu. 10. Et huiuſce rei figura præceſſit in veteri Teſtamēto, quando olim ſub Moyſe tuba cōuocabātur ad conciliū, excitabātur ad præliū, & mouebantur ad feſtū: nam pariter hoc modo reſurgentes congregabuntur ad cōciliū magni iudicij,
Sapien. 5. ad pugnā terribilis prælij, quo orbis terrarū pugnabat con-
Pſal. 2. tra inſenſatos, & ad feſtū æterni cōuiuij. Quid mirū autē, ſi
1. Cor. 15. tunc Dominus IN ira ſua cōturbabit eos? Nā hæc tāta quæ nūc diximus portēta (teſtāte Paulo) fient in momēto, in ictu oculi: & (vt narrat Hieronymus ad Heliodorū) iudicaturo Domino, lugubris mūdus immugiet, trib⁹ ad tribū pectora ferient, potētiſſimi quondā & magni Reges nudo pectore & latere palpitabunt, dies irę dies illa, dies tribulationis &
Sopho. 1. anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarū & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. Attende tamē nūc clemētiā Dei qui ſtatim nō punit, ſed prius turbat, vt ad pœnitētiā cōuertātur qui eū ante deſeruerint: Nā (vt inquit Gregorius lib. 14. Moraliū) vitari terror iudicis nō niſi ante iudiciū poteſt, modo nō cernitur, ſed pre-

cibus

cibus placatur: quum vero in illo tremendo examine ſederit, & videri poteſt, & placari non poteſt: quia facta prauorum quæ diu ſuſtinuit tacitus, ſimul omnia reddet iratus. Itaque neceſſe eſt nunc timere iudicem, quum nondum iudicium exercet, quum adhuc mala tolerat quæ videt, nec quum manum in retributionem vltionis excuſſerit: tanto in iudicio diſtrictius feriat, quanto ante iudicium diutius nunc expectat. Pro his qui iſta negligunt, ſequitur in litera, DEVORABIT eos ignis. & Naum cap. 2, Deficient gementes vt columbæ, quæ pro cantu gemitum habent. Quapropter à nonnullis fertur ſcripſiſſe Hieronymus, Quoties diem illum conſydero totis viribus contremiſco: ſiue enim comedo, ſiue bibo, ſiue aliquid aliud facio, ſemper videtur mihi tuba iſta terribilis ſonare in aurib' meis, Surgite mortui, venite ad iudicium. Poſt hæc dicta, iterum Dauid mutãs perſonam, ſubdit, Fructum eorum, &c.

Fructum eorum de terra perdes, & ſemen eorum à filiis hominum.

Perditionem malorum futurã prædicit Propheta, & pœnarum ſpecies connumerat. In primis (Chriſto ait) FRVCTVM eorum de terra, qui terrenus eſt, & quo fruuntur, perdes de terra, & (quẽadmodũ ſcribitur Danielis cap. 4.) in iudicio Dominus Angelis dicet, Succidite arborem, & diſpergite fructus eius, quoniam diſrumpentur, & vſque ad ſupremum deſolabuntur, quoniam erit vacua ſpes impiorum, & labores eorũ ſine fructu: ipſi gementes, & memoria eorum peribit, de libro iuſtorum delebuntur: & propterea etiam non erit eis fructus in terra viuentium: radix eorum exiccata erit igne cupiditatis, nequaquam faciet fructum. Oſeæ cap. 9, Hæ ſunt nubes ſine pluuia, quæ à ventis circunferuntur, arbores autumnales infructuoſæ. Quapropter oportet ſi volumus hîc fructum habere bonum, arborem palmæ imitemur, quę maxime quãdo finis ei adeſt, fructificat, & tunc iuſtus vt palma florebit: qui ſicut patiens & prudẽs agricola fructum tẽporaneum & ſerotinũ accipiet: cui in iudicio dicturus eſt Redẽptor, Date illi de fructu manuũ ſuarũ, & laudẽt eũ in portis opera eius. Itaq; aſcẽdamus

In Epiſtola Iudæ.

Pſal. 91.

Prou. 31.

in hanc palmam, & apprehendamus fructus eius, currentes in quoduis bonum opus, ſcientes quoniam bonorum laborum glorioſus eſt fructus. Sapientiæ cap. 3. Sceleratis autem nunc adhuc annuntiatur SEMEN eorum delendum à filiis hominum, hoc eſt eorum qui ratione ac lege ſancta moderãtur: nam licet ipſi in principio ſeminati ſint in terra viuentium, ſi cum CHRISTO ſtare voluiſſent, tamen Meſſias in reſurrectionis fructu eos ſolum metit quos ſeminatos accepit in obitu: & quia diuinis mandatis contumaci ſpiritu reſtiterunt, merito fructum illum beatitudinis perdunt: in morte iniuſti, in ictu oculi iudex oſtendit ſuam ſententiam, & reus ſuam conſcientiam: iudex iudicat, & reus deſperat. Atque etiam animaduerte quàm recte hîc Dauid ea nominat ſemina, ex quibus naſcitur vnicuique retributio digna geſtorum. Cæterum quantum etiam diſperdat & exterminet Dominus ſemen ſeu filios aut poſteros impiorum qui male agunt, patuit Geneſis cap. 7. in dira conſummatione totius mundi pro hominum peccatis, exceptis octo animabus: & Geneſis cap. 19. in deuaſtatione quinque ciuitatum, pro vitio contra naturã. & Ioſue ca. 5. in cruẽta peſſundatione ſeptem Gentium corã filiis Iſrael. Idem expertus eſt & populus Hebræus in diruptione Hie-
Rom. 9. ruſalem facta per Vaſpaſianũ & Titum, quia impegit in lapidem offenſionis. Quid plura? Deficeret me tempus per ſingula currentem, ſi omnia Dei ſuper hoc ædita iudicia recẽſerem. Inde frequenter iniquitas Gẽtis, abbreuiat eius durationem, prout annotatum legis Geneſis cap. 6. ſuper hæc verba, Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum: quia caro eſt: erúntque dies eius cẽtum viginti annorum. Nam iſte numerus non eſt mẽſura vitæ hominis, quippe poſt diluuium multi reperiuntur qui plures annos vixerũt: ſed iſte numerus annorũ tẽpus fuit quod Deus dedit hominibus tunc peccatoribus, vt reſipiſcerẽt, antequã diluuio delerẽtur: qui tamẽ adhuc poſtea citius deleti ſunt, quia videlicet diuina miſericordia abutebantur. Hæc autem tanta quæ nunc dicitur pœna iniuſtorum, ideo merito (ait Dauid) eis continget, Quoniam declinauerunt, &c.

Quoniam

Quoniam declinauerunt in te mala, cogitauerunt conſilia quæ non potuerunt ſtabilire.

Animaduerte hîc ꝙ quemadmodum dupliciter negatur Deus, ſcilicet errore fidei, vel malis operib⁹, iuxta illud, Factis autẽ negant: ita dupliciter homines inclinant malum ſuper Deũ, vtpote vel falſam fidẽ habendo: omnes enim infideles deflectunt malum aliquod in Deum, vel affectu ipſum offendendo: de omnibus ergo reprobis verificatur, QVONIAM inclinauerunt ſuper te malũ, errando videlicet aut contẽnendo: qualiter deridebant IESVM principes Iſraelitarum, dicentes, Alios ſaluos fecit, & ſeipſum non poteſt ſaluũ facere. Similiter & milites afferentes acetum, & dicẽtes illi, Si tu es Rex Iudæorũ ſaluũ te fac. Sẽper autẽ quotcunque perditi affligentur, quia mouerunt iſta mala aduerſum te, CHRISTE, & quia nomen tuum blaſphemant, & ſeruis tuis inſidias tendũt, multiſq; dãnis eos afficiũt. DECLINARE vero dicimus mala ſupra alios pendẽtia: & Iudæi quidẽ quod ſuper ſe per iuſtã vindictã recipere debuerãt, in IESVM declinauerũt, quãdo dixerunt ꝙ dignus erat morte, quæ pœna (vt prædicit Dauid) eis retribuetur: nam quũ mala quæ ſibi imminere CHRISTO regnãte arbitrabãtur, in eũ occidendũ detorſerunt, & animo decreuerũt illũ occidere, ne eius cauſa venirẽt Romani, & tollerẽt locũ, & Gentẽ Hebræorũ. Hoc conſiliũ eorũ non fuit ſtabilitum, quin magis accidit contrariũ, quia propter mortẽ CHRISTI Romani deſtruxerunt locũ & Gentẽ Iſraelitarũ, & dũ tẽporalibus timebant nõ æternis, vtraq; perdiderũt. COGITAVERVNT inſuper cõſilia quæ nõ potuerũt ſtabilire, neſciẽtes quid dicerent, quãdo dixerũt ad Pilatũ, Domine, recordati ſumus quod ſeductor ille dixit adhuc viuens, poſt tres dies reſurgã, iube ergo cuſtodiri ſepulchrũ, &c. Sed peccatis mortui, tenere viuentẽ nõ potuerunt: nẽpe reſurrexit, quod illi nec voluerunt nec crediderunt: & dũ putabant ſe intuliſſe diſpendiũ mortis, ſalus facta eſt plena & generalis. Licet præterea (inquit Dauid) multa alia aduerſus te ac ſeruos tuos cogitauerint, huiuſcemodi tamen cogitationibus immorari atq; inſiſtere non potuerint, deſtructis illorũ cõ-

Tit. 1. Matth. 27. Luc. 23. Matth. 26. Ioan. 11. Matth. 27. Prou. 21.

ſiliis:quippe non eſt conſiliũ contra Dominum: verũtamẽ quoniam iam de pœna eorum futura ſatis loquutus eſt Propheta, addidit & de præſenti quæ talis eſt, Ideo hęc eis (IESV redẽptor,) infauſtè ſuccedent, Quoniam pones eos, &c.

Quoniam pones eos dorſum in reliquiis tuis, præparabis uultum eorum.

DORSVM poni dicitur, qui fugit atque terga dat: nihil enim aliud corporis ei tũc, quàm dorſum, hoc eſt, quàm tergũ videri poteſt. Poſiti autẽ ſunt dorſum Iudęi, quãdo ita offenderũt vt retro caderẽt, & quando vitio ſuo terrena redolẽtes, non meruerunt cæleſtia contueri: hos ſicut & reliquã impiorũ turbam, poſt terga ſua habebit in iudicio CHRISTVS, quia viſione faciei ſuæ priuabũtur, qui tametſi hoc in ſeculo viſi ſunt fuiſſe cum eo, dũ adhuc cum malis permixti eſſent, tollentur tamen ne videant gloriam Dei, atque
Matth.25. iis dicturus eſt, Diſcedite à me maledicti in ignẽ æternum:
Iacob.2. & tunc iudicium fiet ei ſine miſericordia, qui non fecit miſericordiam. Sequitur, IN reliquiis tuis, &c. Et nota quòd Propheta hîc nominat dæmones, reliquias Dei, quia fuerũt reliquiæ bonorũ Angelorum, quippe qui electis illis fuerunt relicti & reiecti. Cum cacodæmone igitur mãcipandi ſunt, qui CHRISTO vnanimes adhęrere noluerunt, vt cũ magna triſtitia & dolore videant horribiles ſuas pœnas, atque ita confuſione magna PRAEPARETVR vultus eorũ. Et ſi de Iudæis Meſſię crucifixoribus ſermo eſt, quũ ſint reliquiæ eorum qui Prophetas & Patriarchas occiderunt, certè illa vindicta quę cœpit à prophetis, veniet ſuper illos qui Dominũ trucidarunt. Aliter hîc legit Hieronymus, referens pro reliquiis in Hebræo (in bonis) haberi. Sẽſus itaque iſte ſic contexitur, quaſi ſit iſta Prophetæ pro peccatoribus ad Meſſiam deprecatio: Ad ſimilitudinem ſanctorum, quos tibi de omni orbe ſeruaſti, etiã eos qui tormentis purgati ſunt eſſe facias, vt iuxta vultum ſanctorum, vultus quoque peccatorũ eſſe incipiant, hoc eſt, vt tales ſint qui peccatores fuerunt, quales & ij qui ſancti ſunt. Et vt omnia iſta compleantur, Exaltare Domine, &c.

Exaltare

Exaltare Domine, in uirtute tua, cantabimus, & pſallemus uirtutes tuas.

Supplicat in calce Dauid (vt par erat) poſt tot propheticè annuntiata oracula, adueniat tam ingens bonum in virtute CHRISTI, qua vicit mundum, ac principem mundi huius. EXALTARE (ei inquit) hoc eſt, Quum altus ſis & ſublimis, ita etiam appare, atq; oſtende te hominibus, & in reſurrectione & in aſcenſione, idque facito in virtute tua, quam infirmitatem putauerunt Iudæi: & qui prius veniſti in humilitate, tunc venias in maieſtate: iam non in perſona ſerui latibulum tuæ virtutis obumbres, ſed ſentiant te vltorem, qui noſtrũ te credere dubitant Saluatorem. Hęc omnia quũ perfeceris (ait) CANTABIMVS corde, & pſallemus opere, tum virtutes, tũ mirabilia tua. Atq; hîc videas, qualiter prædicit quod Eccleſia non ſolũ creditura erat, & reſurrectioné, & aſcenſum CHRISTI in cælos, ſed & hac de cauſa quotannis feſta ob id inſtituta celebrare debebat, vt iam quiſque fidelis adultus, benè ſui compos, iſtorum articulorum explicitam fidem habere teneatur, vſque adeo omnibus & noti & manifeſti ſunt. Hæc autem duo maxime à nobis expetuntur, laudes Domini fideliter ore cantemus, & opere noſtro ipſius mandata faciamus. Ioan. 16.

IN PSALMVM XXI.

Deus Deus meus, reſpice in me, quare me dereliquiſti? longe à ſalute mea, uerba delictorum meorum.

Hîc Hieronymus ad veritatem Hebraícam titulum ſic legit, Victori pro ceruo matutino canticũ Dauid: ſiue (vt nõnulli alij tradunt) Vincenti ſuper cerua auroræ Pſalmus Dauidi. Quæ omnia bene quadrãt, & ad CHRISTVM pſalmum iſtum referendum eſſe ſatis inſinuant, tametſi Hebræi aliter & interpretatione peruerſa, pro ceruo matutino ſeu cerua auroræ, putent de Heſter totum hunc vigeſimum

primum Pſalmum eſſe compoſitum, quod videlicet ipſius
Heſt.8. peruigili cura, beneficio, & interceſſione apud Regem ſit de periculo Iſraeliticꝰ populus liberatus. Sed manifeſte apparet authoritate Pauli ad Hebræos cap. 2, Pſalmum hũc in perſona CHRISTI dici: ait enim ex hoc Pſalmo de Chriſto, Propter quam cauſam non confunditur vocare eos fratres, dicens, Annuntiabo nomẽ tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te. Euangeliſtæ quoque Matthæus &
Matth. 27 & Ioã. 19. Ioannes referunt impleta verba huius Pſalmi, Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. Ipſe denique Dominus crucifixus, principio huius Pſalmi vſus eſt, atque in paſſione poſitus, explanauit Pſalmi huius
Matth. 27 myſteria. Nam Hebraicis verbis verſiculum primum iſtius Pſalmi expreſſit, Eli Eli lammah hazabtani, quod interpretatur, Deus meus, Deus meus vt quid dereliquiſti me? cæteráque ſuæ & paſſionis & reſurrectionis myſteria hîc tam aperte expoſuit, vt hunc Pſalmũ magis hiſtoriã quàm prophetiam ſonare videas. Nec mireris verborum humilitatem & querimonias derelicti, quũ formam ſerui ſciens, ſcandalum crucis videas. Itaque nos ceruum, qui interficiat ſerpentes, & venena conſumat, nullum alium niſi CHRISTVM intelligimus, ſicut totius Pſalmi contextus oſtendit, qui & matutinus, ſeu (vt quidam volunt) orientalis fuit, quippe mane atque oriens vocatur, hoc eſt diei principium. Vere enim
Zacha. 6. nobis Dominus ſedẽtibus in vmbra mortis, nõ ſecus ac Sol
Malach. 4 quidam iuſtitiæ ortus eſt, ſeu lumen ſcientiæ. Atque ideo etiam congrue illius humanitas in paſſione aſſimilatur ceruæ: eſt enim adeo ſimplex animal, vt admiretur hominem ſagittam parantem aduerſus eam: eſt & exemptum à febri, (vt inquit Plinius) adeo vt carnis eiꝰ eſus febrire prohibeat: abundat quoque copia lactis præ cæteris animalibus, quod multo labore & periculo acquirit. Quę omnia CHRISTO agno ſimplici & immaculato, in quo lac gratiæ & miſericordiæ ſuximus, peroptime conueniunt. Ab auroræ autem tẽpore deſcribitur, ſiue quòd ſpõte mortuus eſt ſicut in aurora cerua non impulſa venatorum canibus, ſponte proſilit in campum, ſiue quòd ad diuinæ claritatis opera Meſſias in paſſione gradiebatur. Aurora enim ad diem tẽdit. Quapropter hoc

pter hoc in loco multi pro ceruo matutino, ſeu ceruа auroræ, legunt, Pro ſuſceptione matutina, quod interpretantur de tempore reſurrectionis, quæ valde mane vel diluculo (vt teſtantur Euangelia) facta eſt, atque poſt paſſionem ſequuta. Suſceptio etenim fuit quando Dominus CHRISTVS veteri hominis conditione depoſita, ſuſceptus eſt in æternã vitam, cui mors vltra non dominabitur, & quando vetus homo noſter crucifixus eſt cruci cum illo. Neque propterea ſic titulum intellectum damnes, quòd potius reſurrectionẽ quàm paſſionem CHRISTI referat, quum tamen is Pſalmus imprimis hanc paſſionem explicet: nempe quemadmodum quum dicimus mane factum, intelligimus noctẽ quoque præceſſiſſe: ita dubium non eſt commemorationem factam reſurrectionis indicare ſimul pręcedentem mortem ac paſſionem CHRISTI. Incipit igitur humanę formidinis ſermo, quo maxime Dei humanatio confirmatur, quódque verus ac perfectus homo fuerit CHRISTVS. Et repetitio ipſa horum verborum, DEVS MEVS, Deus meus, affectum neceſſariæ orationis oſtendit, vt illum geminato nomine chariſſimus filius inuocaret, quem ei non mundanam ſalutem, ſed claritatem æternam maieſtatis, nouerat vtique præſtiturũ. Maiores autem noſtri, quãtum ſuſpicor Deum, à timore appellandum eſſe voluerunt, ſicut quidam Poetarum ait, Primus in orbe deos fecit timor. Nunc ergo Filius paſſionis tempore, à Patre auxilium petens, naturali obnoxius timori, prænarrata intulit: & quod ſupplicat facit tanquam homo, vt nos orare doceret in mortis tempore, quandoquidem is etiam qui natura ipſa iuſtiſſimus eſt, propter inſuetam animæ & corporis diſiunctionem tunc temporis formidat ac perhorreſcit. Quod autem ſequitur RESPICE in me: teſtante Hieronymo in Hebræis codicibus non habetur: & appoſitum, vox Domini declarat, quæ etiam illud in Euãgelio prętermiſit. Sed vndecunque res euenerit, iis verbis CHRISTVS celerrimum ſibi reſurrectionis adeſſe precatur auxiliũ. Quũ verò additur, QVARE dereliquiſti me? Id facit ad humanitatem exprimendã: atque ſcias hæc verba non eſſe ignorantis & quęrentis ſcire cauſam, ſed explicãtis naturalem affectum: atqui nunquam

Marc. 16. Luc. 24. Rom. 6. Matth. 27.

diſceſſit Deus à IESV, vbi ſemel Dei Filius ei vnitus ac iũ-ctus eſt: verum quum (teſtante Damaſceno) paſſionis tempore omnes vires in CHRISTO ſuæ naturæ relictæ ſunt, propterea nunc ait, Niſi tu apud te auxilium tuum continuiſſes, ego ſane mortem timore naturali, inſtante paſſione non timerem, neque ſuper ea vllatenus triſtarer. Intellige igitur derelictum, quantum ad præſeruationem à tali paſſione & morte, iiſque communibus naturæ infirmitatibus: nam tunc gloria portionis ſuperioris nullatenus in inferiorem redundabat, quinimmo eo tempore voluntas in eo, vt natura, atque vt ſenſui coniuncta, de eiſdem triſtabatur, de quibus dolebat ſenſus, vſqueadeo omnia tunc ſuo marte currebant. Vnde Hieronymus ſuper Matthæum de CHRISTO inquit, Vt veritatem probaret aſſumpti hominis, verè contriſtatus eſt. Sed referebat inter eum & nos: quia nuſquam fuit ita turbatus in anima, timore vel triſtitia, vt à rectitudine vel Dei contemplatione aliquando ceciderit, nempe nec in paſſione abſens illi credenda eſt fuiſſe diuinitas, quum dicat Apoſtolus, Si cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent: ſed paſſus eſt impaſſibilis, per paſſibilem quam ſuſcepit humanitatem, & immortalis mortuus eſt, & qui nunquam moritur reſurrexit: de quo Ambroſius, Idem patiebatur & non patiebatur, moriebatur & non moriebatur, ſepeliebatur & non ſepeliebatur, reſurrexit & non reſurrexit. Nam (vt inquit Cyrillus) gratia Dei pro omnibus guſtauit mortem, tradens & proprium corpus, quanuis naturaliter ipſe vita ſit, & reſurrectio mortuorum. Sic & hodie dicimus hominem pati, mori, ſepeliri, quum tamen anima eius nullo fine claudatur. Poſtea dolet Dominus non ſua, ſed noſtra vulnera: atque his verbis, LONGE à ſalute mea, &c. accipit in ſe totius humanæ naturæ perſonam, vt cognatæ. Et quare (inquit) vniuerſam hanc humanam naturam dereliquiſti, ſciens eam opprimi à morte? & cauſam infert, quia nimirũ condemnationes meorũ ſcelerum procul ſunt à ſalute mea: nam cum his ego pariter elongatus ſum à te, quòd ſi apud te eſſem, ſeruarer ſane ab hac morte. Maxima certe Redemptoris charitas, dum pro delictis noſtris ipſe precatur, & de-

1. Cor. 2.

Ioan. 11.

lícta noſtra

licta noſtra, ſicut ſua delicta fecit, vt iuſtitiam ſuam, noſtram iuſtitiã faceret. Audiamus ergo vocem membrorum ex ore capitis, & intelligamus ex noſtra perſona merito fuiſſe loquutum, qui ſe hoſtiam obtulit pro ſalute cunctorum. Vnde Apoſtolus dicit, Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit. Nam & in ipſa lege, peccata appellabãtur, quæ pro peccatis offerebantur. Aquila (teſtante Hieronymo) hunc locum ſic eſt interpretatus, Longe à ſalute mea verba gemitus mei: litera quoque Hieronymi habet, Verba rugitus mei. Rugitus autem, naturalis eſt vox leonis famē patientis, ſeu triſtitia affecti. Eſt itaque nunc vox CHRISTI ad Patrem, Quia (inquit) longinquum te præbes non à me, ſed à ſalute mea, propter huiuſmodi elongationem, ſunt verba quæ dixi, non mea, ſecundum ſupremam mentem, ſed rugitus mei naturalis, ac rationalis affectus, humanique modi. Túque tam lõge factus es, quòd, ô Deus, Clamabo per diem, & cætera. 2.Cor.5.

Clamabo per diem & non exaudies, & nocte, & non ad inſipientiam mihi.

Quidam per DIEM & noctem tempus ipſum crucis intelligunt: à ſexta enim hora vſque ad nonam tenebræ factæ ſunt, adeo vt tempus illud & dies & nox merito appellari poſſit: & intelligunt quòd rogauerit Filius Patrem, vt dimitteret peccata iis qui eum crucifixerant, & quòd exauditus nõ eſt, quum illi poſtmodum funditus exterminati ſint. Nos verò nunc verba hæc ad illud tempus referemus, de quo Lucæ cap.32, Cœpit IESVS pauere, tædere, ac mœſtus eſſe: nempe quia caro CHRISTI, & appetitus eius ſenſitiuus, vehementer dolebant, ac afficiebantur illatis tormentis, idcirco congenito naturæ inſtinctu exhorruit, atque timuit mortem, ſuadebàtque ſenſus voluntati, hanc refugere. Proinde talibus in horto ad Patrem nocte orauit, Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte: & in die pendens, non exauditur à Patre vt non moriatur: quibus fit vt deprecatio iſta non fuerit mortem recuſans, ſed naturalem timorem & vehementem dolorem tantum expri-

Matth.27. Luc.23. Matth.26.

mens: voluntas enim CHRISTI compatiendo, carni & ſenſui obediebat, & cõformabatur ſemper paternæ voluntati, cui erat vnita per charitatẽ & gratiam, quemadmodum

Ioan. 14. dum ipſe loquitur per Ioannem, Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio. Quapropter nunc bene infert, Neque ſi me non exaudis, hoc facis AD INSIPIENTIAM mihi, ſed potius vt ſapiam quid clamare me velis. Nam in hoc maxime apparuit eius ſapientia, vt ſic homo pœnam ſolueret qui debebat, & Deus redimeret qui poterat. Oportuit inſuper CHRISTUM pati, & ita introire in gloriam ſuam,

Luc. 2 tum propter Patris præordinationem, tum propter Scripturarum impletionem, & humanam redemptionem, quęquidem loquutio eo ſane modo accipienda eſt quo & iſta, quã quotannis canit Eccleſia in benedictione cerei Paſchalis. O neceſſarium Adæ peccatum, quod CHRISTI morte deletum eſt! videlicet ibi duntaxat neceſſitas conſequentiæ nõ conſequentis intellecta ſit. Sed iſtud velim nũc audiat querulum genus humanum quod petitiones ſuas deſyderat ſine dilatione compleri: rogauit humanitas verba, quæ merebatur audiri, quam tamen conſtat ideo non exaudiri, vt eius ſacro ſanguine, probroſa mundi crimina lauarentur. Sic non audiri, frequenter expedit, quanuis nos deſyderia dilata cõtriſtent. Multi clamant in tribulatione, & non exaudiuntur,

2. Co. 12. ſed ad ſalutem, non ad inſipientiam. Clamauit Paulus vt auferretur ab eo ſtimulus carnis, & non eſt exauditus, quin dictum eſt illi, Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur: vt intelligat homo medicum eſſe Deum, & tribulationem medicamentum eſſe ad ſalutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento poſitus, vreris, ſecaris, clamas, non audit medicus ad voluntatem, ſed audit ad ſanitatem: ſi non fit quod vis, fit quod expedit tibi. Vnde ſemper oportet in Spiritu & veritate orare, videlicet in om

Matth. 6. ni oratione noſtra ſemper Deo dictum ſubintelligam', Fiat

Rom. 8. voluntas tua, ſicut dixit Apoſtolus. Quid oremus provt oportet neſcimus: ſed ipſe Spiritus Sanctus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, & hoc eſt orare in corde humili & contrito. Quare omnibus dico, quia in tribulatione poſitus Chriſtianus, probatur ſi non derelinquit Deũ ſuũ: nã

ad vtilita-

ad vtilitatem quoſdam nō exaudit, & ad damnationē quoſdam exaudit Dominus. Dæmones petierunt ire in porcos, & exauditi ſunt, ſed ad damnationē: quomodo frequenter quando bene eſt homini, deſertus eſt ſibi Chriſtianus. Ignis intrat in fornacem, & fornax aurificis magni ſacramēti res eſt, ibi eſt palea, ibi ignis in anguſto operatur: ignis ille nō eſt diuerſus, & diuerſa agit, paleā in cinerē vertit, auro ſordes tollit. In quibus autem habitat Deus, vtique in tribulatione meliores fiunt, tanquam aurum probati. Nouit quid agat qui nos [illegible]it, nouit & reficere nos. Bonus eſt ſtructor, qui ædificauit domum, & ſi aliquid ibi ceciderit, nouit reſarcire. Poſtea pro modo ſuæ paſſionis ſubnectit CHRISTVS, Tu autem, &c. Matth. 8.

Tu autem in Sancto habitas, laus Iſrael.

Iam declarat Filius qualiter Pater ſinat eum pati, ſecundum quòd diuino in conſilio ab æuo præordinatum fuerat, de quo ſcribitur Matthæi cap. 26, Filius hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de illo. Dicendo enim Patrem IN Sancto habitare, oſtēdit Filius qualiter omnia quæ de eo viſa ſunt, mire & ſancte antea præordinata erant. Quòd ſi operoſum non videtur, quàm poſſumus breuiſſime multa quæ in Euangeliis de CHRISTI paſſione referuntur qualiter in Prophetis prædicta ſunt deſignemus: vt hi qui prima fidei elementa ſuſcipiunt, teſtimonia hæc habeant in corde ſcripta, vt nulla vnquam de his quæ credunt ambiguitas inimica ſubrepat. Edocemur per Euangeliū quòd Iudas vnus de amicis & conuiuis CHRISTI tradidit eum: Audi quomodo prænuntietur in Pſalmis, Qui manducat (inquit Dauid) panes meos, ampliabit aduerſum me ſupplātationem. Pſal. 40. & alibi, Molliti ſunt ſermones eius ſuper oleū, & ipſi ſunt Pſal. 54. iacula. Vis videre quomodo molliti ſunt? Venit (inquit Matthæus,) Iudas ad IESVM, & dixit ei, Aue Rabbi, & Matt. 26. oſculatus eſt eum. Per molle ergo oſculi blandimentum, execrabile iaculum proditionis infixit: vnde & Dominus ad eum dixit, Iuda, oſculo Filium hominis tradis? Triginta argēteis audis eum appretiatum eſſe cupiditate proditoris: Audi & de hoc propheticā vocem Zachariæ, 11, Et Luc. 22.

dixit(inquit) ad eos, ſi bonum eſt in conſpectu veſtro dare mercedem meã & abire? Et poſthæc ait, Accepit triginta argenteos, & miſit eos in domum Domini in conflato-
Matt. 27. rium. Nõnne hoc eſt quod in Euangeliis ſcribitur quia Iudas pœnitentia ductus reportauit pecuniam, & proiecit
Ibidem. eam in templo, & diſceſſit? Refertur etiam in Euangeliis quòd vinctus & iudicatus ſit: Prædixit hoc ſermo Prophe-
Eſa. 3. ſecundũ Septuagita. ticus per Eſaiam dicens, Væ animæ ipſorum, quia cogitauerunt cogitationem peſſimam aduerſum ſeipſos dicentes, Alligemus iuſtum, quia inutilis eſt nob[is]. Sic igitur & iudicatur ipſe Dominus ſecundum Prophetæ teſtimonium, & non ſolum iudicatur, ſed & flagellis cæditur, ac palmis in faciem verberatur, conſpuitur, & omnem pro nobis perfert indignitatis iniuriã. Sed quòd hæc ſtupenda erant omnibus, quum prædicarentur ab Apoſtolis, idcirco etiam
Eſa. 53. ex perſona ipſorum Eſaias exclamat & dicit, Domine, quis credidit auditui noſtro? incredibile enim videtur, vt Deus, Dei Filius iſta pertuliſſe dicatur. Verum idcirco prædicũtur per Prophetas, ne qua credituris dubitatio naſceretur. Ipſe ergo ex ſua perſona CHRISTVS Dominus dicit
Thre. 3. Threnorum cap. 3, Factus ſum in deriſum omni populo meo, canticum eorum tota die. & iterum Hieremias, Dabit percutienti ſe maxillam, ſaturabitur opprobriis. Refertur item quòd quum Pilatus vellet eum dimittere, om-
Ioan. 19. nis populus clamauerit, Crucifige, crucifige eum: Prænuntiat hoc Hieremias Propheta, dicens ex perſona Domini,
Hiere. 12. Facta eſt (inquit) hæreditas mea mihi, ſicut leo in ſylua, dedit ſuper me vocem ſuam, propterea odiui eam, & propter hoc (inquit) dereliqui domum meã. Quum iudicaretur, ſcribitur tacuiſſe: multæ de hoc Scripturæ teſtantur: In
Pſal. 37. Pſalmis dicitur, Factus ſum ſicut homo non audiens & non
Eſa. 53. habens in ore ſuo redargutiones. & iterum, Sicut agnus coram tondente ſe, ſic non aperuit os ſuum, in humilitate iudicium eius ſublatum eſt. Impoſita ſcribitur corona
Ioan. 19. ſpinea: Audite de hoc in Canticis Canticorum quod ſub nomine Salomonis de CHRISTO ſcriptum eſt, Egredi-
Cãtic. 3. mini & videte Filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater ſua. Sed & de ſpinis ita

Eſaias commemorat, Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas. Veruntamen vt myſterij ſecreta cognoſcas, oportebat eum qui peccata mundi venit auferre, etiam terræ maledicta purgare, quæ protoplaſto peccante ſententiam præuaricationis acceperat, dicente Domino, Maledicta terra in opere tuo, ſpinas & tribulos germinabit tibi. Propterea ergo ſpinis coronatur IESVS, vt prima illa cõdemnationis ſententia ſolueretur. Ad crucẽ ducitur, & in ligno totius mundi vita ſuſpenditur: Vis & de hoc Propheticis teſtimoniis confirmari? audi Hieremiam dicentem, Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur vltra. & iterum Moyſes velut deflens eos, dicit, Et erit vita tua quaſi pendens ante te: timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ. Cæterum ſcribitur IESVS in latere percuſſus aquam ſimul & ſanguinem profudiſſe: Hoc quidem myſticum eſt: ipſe enim dixerat, Quia flumina de ventre eius procedent aquæ viuæ. Scriptum eſt etiam quòd in paſſione eius ab hora ſexta vſque ad horam nonam tenebræ factæ ſunt: Accipe & de hoc Prophetæ Amos teſtimonium dicentis, Occidet tibi ſol meridie. & iterum Zacharias, In illa (inquit) die non erit lux, ſed frigus & gelu: & erit dies vna quæ nota eſt Domino, non dies neque nox, & in tempore veſperi erit lux. Quid eſt certe Neque dies Neque nox? nónne aperte de inſertis diei tenebris, & reuocata rurſum luce differuit? Sed nec de illa quidem veſte quam dicuntur milites illudentes induiſſe eum, id eſt de veſte coccinea, Prophetæ ſiluerunt: audi enim quid dicit Eſaias, Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra? quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? vnde & ipſe reſpondit, Torcular calcaui ſolus, & de Gentibus non eſt vir mecum. Refertur inſuper quòd aceto potus ſit, vel vino myrrato, quod eſt amarius felle: audi quid de hoc Propheta Pſalmo 68, prædixerit, Et dederunt (inquit) in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. Spiritũ poſt hæc ſcribitur reddidiſſe: Prænuntiatum fuerat & hoc per Prophetam dicentem ex perſona Filij ad Patrem, In manus

[Margin: Eſaiæ 5. — Gen. 3. — Ioan. 19. — Hiere. 11. — Deut. 28. — Ioan. 19. — Ioan. 7. — Matt. 27. — Amos 8. — Zacha. 14. — Matt. 27. — Eſa. 63. — Marc. 15. — Ioan. 19. — Pſal. 30.]

tuas commendo Spiritum meum. Sepultus quoque perhibetur, & lapis magnus poſitus ad oſtium monumenti: Accipe etiam de hoc quid Propheticus per Hieremiam ſermo prædixerit, Vetuſtam (inquit in perſona Chriſti hominis)
Matt.27. fecit pellem meã & carnem meam, contriuit oſſa mea, ædi-
Thre.3. ficauit in gyro, & circũdedit me felle & labore, in tenebroſis collocauit me quaſi mortuos ſempiternos: circũædificauit aduerſum me vt non egrediar, aggrauauit compedem meũ. Euidẽtiſſima hæc ſepulturę & paſſionis CHRISTI indicia Propheticis vocibus vtcũque deſignata hilari fronte benignus lector excipiat. Porro per SANCTVM, Filij perſonam humanæ naturæ coniunctam etiam poſſumus
Ioan.14. intelligere: Ego enim (inquit Filius) in Patre, & Pater in me eſt. Laus igitur populi Iſrael, Deus Pater, qui habitat in Filio: & propterea olim in Sancto Sanctorum, erat locata ſuper Cherubin tanquam ſedes Dei, erátque Deus mate-
Exod. 25. ria laudis, immo in quo ſe laudabant Iſraelitę. Iudæi quippe ſolos ſe cognoſcere Deum gloriabantur, tametſi neque
Pſal.75.& iudicium facerent, nec iuſtitiam, nec virtutum eius ſemitas
147. ſectarentur. Sed vide quid nunc ſubnectat Redemptor, In te ſperauerunt patres, &c.

In te ſperauerunt patres noſtri, ſperauerunt & liberaſti eos.

Ecce meritũ confidẽtiæ in Deo, & magnus decor, dũ iterat SPERAVERVNT, quaſi ex ſpe ſit liberatio. Eſt etiã Prophetarũ mos vt ad maiorem emphaſim, atque vt intententionem cordium ſuorum melius declarẽt, dictionem ac ſententias plerunque repetant, & inculcent. Cæterum no-
Exod. 14. uimus quammultos Patres ac Patriarchas ex ſpe in Deo li-
Dan.3. beratos: ſic eruit Dominus populũ Hebræum de terra AE-
Dan. 6. gypti, eruit tres pueros de camino ignis, eruit Danielem de
Dan.13. lacu leonum, eruit Suſannam de falſo crimine, liberauit Iſ-
Iudic.3. rael per Othoniel de manu Chuſan Regis Syriæ, & de
Ibidem. Eglon per Aioth, de Siſara per Barach, de Madian per Ge-
Iudic.4. deonem. Quid plura? nullus vnquam ſperauit in Domino
Iudic.7. & derelictus eſt. Sed quum hæc tanta ſperantibus & ſuppli

cantibus

cantibus ſiue præſtiterit, ſiue pręſtet Deus Pater, mirum cur proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Et forte ea nunc eſt ei cauſa querelæ, atque propterea aſſumptum hominē vere declarans, ſeipſum cum afflictis coniungit, & ait, Quemadmodum Patres noſtri ſecundum carnem, qui ante meum aduentum in hac vita clari fuēre, ſperauerunt in te, & liberaſti eos: ita ego illos imitatus ac veluti illorum ſimilis, ſimiles etiam ad te effundam preces. Ecce vocem humanitatis anxiæ, & ad tempus derelictæ: necnon talia intonat Meſſias, quaſi dicat, Mirantur infirmi me non ſtatim exauditum, quum ſciant antiquos Patres, qui meritis minores fuerunt quàm ego, ſuis in periculis à te exauditos. Et Patres ſuos, quos CHRISTVS Dominus hīc dicit, ex illa parte oportet intelligi qua & fratres ſuos Apoſtolos vocauit: ſicut in Euāgelio poſt reſurrectionem ſuam dixit, Vade ad fratres meos, & dices ad eos, Aſcēdo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, &c. Sed hoc facto, iſto denique planctu bene oſtendit CHRISTVS cur ſemper in omni aduerſitate ad Deum oremus, neque propterea ceſſemus, ſi aliquando aut ſtatim non exaudimur. Tum demum ad hanc primam ſuam querelam, anxiámque in eo inſtante paſſione naturam humanam oſtendendam, ita ſubnectit, Ad te clamauerunt, &c.

Rom. 8.

Ioan. 20.

Ad te clamauerunt & ſalui facti ſunt, in te ſperauerunt & non ſunt confuſi.

Rurſum repetit demirationem ſimplicium, quærentium cur ipſe ad Patrem orans ne moreretur, ita non eſt exauditus ac Patres eorum, qui quoties clamauerūt ad Dominum vexati, ſalui facti ſunt, aut per Moyſem, aut per Ioſue, aut per Iudices, aut per Reges, aut per Zorobabel, de Babylone, aut per Machabęos, de Antiocho. IN te ſperauerūt (inquit) & non ſunt confuſi, ſed quod promiſiſti adimpleſti, terram promiſſionis & vitam longam tribuendo, nec eos fefellit ſpes: nam certiſſimā eſt propitiatio quæ ad optatum effectum peruenit. Minus vero dicitur, ſcilicet NON ſunt confuſi, & plus intelligitur, quia multum etiam honorati

1. Eſd. 2.
1. Macha. 3. & 4.

ſunt. Itaque animaduerte qualiter ſemper ad vtilitatem ſuā auditur, qui rite clamat ad Dominum. Et per liberationem à periculis, ij qui in ſacris Scripturis docti ac diu verſati ſunt, non corporis ſolum, verum animæ imaginis liberationem intelligunt, quando ſcilicet anima dolores omnes ac ſupplicia generoſe ferens, nihil illinc in ſuo læditur propoſito. Hoc pacto ſanctos martyres, tametſi occiſi fuerint, viciſſe dicimus, & liberatos eſſe propter inuictam animæ fortitudinem: ij etenim quanuis ab infidelibus non credebantur à Deo audiri, dum eos corporalis pœna conſumeret, tamen vtilius interim exaudiebantur, qui coronam martyrij percipere meruerunt. Dominus ergo iuſtos ſuos ſemper exaudit, provt tamen illis expedire cognoſcit: antiquis verò Iudæis tanquam carnalibus, ad erudiendum ſunt conceſſa temporalia: ſed nobis in CHRISTO regnantibus illa ſubſtrahuntur, vt CHRISTVS ſolus quæratur & ametur. Vide igitur CHRISTVM vt non moreretur orantem, ideo non exauditum, vt ſic implerentur Scripturæ, & ſalus mundi ipſius paſſione proueniret: deuicto per mortem propriam illo tyranno, qui mortis antea imperium occupauerat: quod vtique illi & nobis melius fuit. Nunc tamen adhuc ad Patrem querulam humanitatis vocem ſubinfert, talia dicens, Patres (ex quibus ego ſecundum carnem) exaudiſti, & liberaſti: ego autem ſum vermis, & cætera.

Hebr. 2.

Ego ſum uermis & non homo: opprobrium hominum, & abiectio plebis.

Quidam putant prima verba huius verſiculi, dicta eſſe propter humanam CHRISTI generationem, quæ abſque vlla viri fuit coniunctione, vt eſſet CHRISTVS IESVS in homine vltra homines, & vt huiuſmodi verbis illud nobis indicetur, quòd quemadmodum vermis è pluuia naſcitur deſuper in terram veniente, ita & CHRISTVS ſuperno Sancti Spiritus in Virginem aduentu ſit generatus: & quemadmodum vermis, qui in ligno naſcitur, non habet patrem niſi matrem, & CHRISTVS ex Maria eſt na-

ria eſt na-

ria eſt natus abſque coitu viri. Vermis etiam ſicut repit humilis, & ſine ſonitu mouetur, ita omnes viæ CHRISTI pacificæ ac humiles fuerunt. Ob has igitur rationes Meſſias VERMIS dicitur, NON homo, propter cõceptionẽ illam nimirum & generationem ſupernaturalem, quę humanę generationis ordinem non ſeruauit. Seu Non homo, id eſt nõ peccator appellatur, quia quod eſt proprium hominis (puta peccatum) non habuit: quippe hac de cauſa diabolus in Euangelio dictus eſt homo, Matthæi cap. 13, Inimicus homo hoc fecit, &c. vel aliter, Quia vermes in eſcam piſcibus dari ſolent: dic ea ratione CHRISTVM vermem appellari poſſe, quia eius caro, ſub qua diuinitas, veluti occultus quidam hamus latebat, inſtar vermis facta eſt in capturam intellectualis illius ceti, qui in mari præſentis vitæ verſabatur: nam quum cetus oſcitabundus ad illam eſcam hiaret, latenti illic hamo diuinitatis penetratus eſt: vel Quia vermis, tametſi ſpecie exiguus ſit, materiam tamẽ corrodendo delet ac perdit: ita & CHRISTVS licet aſpectu ac præſentia exilis videretur, contrarias tamen ac ſibi reſiſtentes dæmonum atque aliorum poteſtates diſperdidit. Sic quum in principio feciſſet Deus cælum, habitaculum Angelorum, & terram, manſionem vermium, humilitas tamen poſtea ſuſtulit vermem in cælum, per quam CHRISTVS ſuper omnes Angelos aſcendit, & ſuperbia deiecit Angelum in terram: per quam cecidit Lucifer, Eſa. 14.
qui mane oriebatur. Sed quum vermis animal quidem ſit quod quilibet nititur calcare & occidere, tu inde accipe quàm nihili à Iudæis & Gẽtibus ſit factus CHRISTVS. Vnde nũc ſequitur, OPPROBRIVM hominũ & abiectio plebis. Videte quanta paſſus eſt: opprobrium hominum fuit quando dixerunt Phariſæi illi cæco nato, quem miraculoſe illuminauerat, Tu diſcipulus illius ſis, nos autem Moyſi diſcipuli ſumus. Extitit etiam abiectio plebis, quando Iudæi Ioan. 9.
eiecerunt eum extra ciuitatem, & crucifixerunt, atque eo ſpreto Barrabam elegerunt. Siue quando flagellabatur, & Ioan. 18.
nemo ſubueniebat: ſputis deturpabatur, & nemo aderat: Ioan. 19.
colaphis cædebatur, & nullus auxiliator erat: ſpinis coronabatur, & nemo tunc miſertus: leuabatur in ligno, & nul-

lus eruit. Quæ omnia manifeſte indicant ea quæ paſſionis tempore Iudæi contumelioſe aduerſus Dominum egerunt, illudentes nimirum & deridentes. Proinde ſequitur, Omnes videntes, & cætera.

Omnes uidentes me deriſerunt me, loquuti ſunt labiis & mouerunt caput.

Multis modis ſua in paſſione irriſus eſt CHRISTVS.
Matth. 26 Primò à Iudæis in domo Caiphæ, quando expuerunt in faciem eius, & colaphis eum ceciderunt: alij autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes, Prophetiza nobis, CHRI-
Marc. 14. STE, quis eſt qui te percuſſit: velauerũt enim faciem eius (ſecundum Marcum) non vt eorum ſcelera nõ videat, ſed vt à ſeipſis gratiam cognitionis eius abſcondant, ſicut velum
2. Cor. 3. fuit ſuper faciem Moyſi, quod vſque hodie manet. Deinde illuſus eſt à militibus Præſidis in prætorio, qui exuentes eũ,
Ioan. 19. chlamydem coccineam circũdederunt ei, & plectentes pro diademate coronam de ſpinis, poſuerunt ſuper caput eius, & arundinem pro ſceptro in dextera eius, & genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes, Aue Rex Iudæorum. Vbi in chlamyde coccinea opera Gentiũ cruenta ſuſtentauit, in corona ſpinea maledictum ſoluit, in calamo venenato occidit animalia, vel calamum tenuit in manu, vt ſacrilegium ſcriberet Iudæorum: tum demum ſpretus eſt ab Herode, quem
Luc. 23. indutum veſte alba remiſit ad Pilatum: poſtea deriſus eſt in cruce, à principibus Sacerdotum, cũ Scribis & Senioribus
Matth. 27 dicentibus, Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere: ſi Rex Iſrael eſt, deſcẽdat nũc de cruce, & credimus ei. In quo patuit fraudulenta eorum promiſſio: nam maius fecit ſurgẽs de ſepulchro, & non crediderunt: ſi ergo de cruce deſcendiſſet, vtiq; non crediſſent. Adhuc tũc ſubſannatus fuit à latronibus, & hoc eſt quod dicitur Matth. cap. 27, Idipſum & latrones qui crucifixi erãt cum eo, improperabant ei, tametſi alter eorum ſignis quę in paſſione viſa ſunt territus, tandem reſipuerit, & locũ miſericordiæ inuenerit. Pro-
Luc. 23. pter hæc omnia perpeſſa ludibria nunc dicitur, LOQVVTI ſunt labiis, quia quod habebant in corde, hoc loquuti

ſunt in

ſunt in verbis. Et vt talia probet per iracundiam non per rationem dicta, iam adiicit, ET mouerunt caput, quod minãtes faciunt, & non recte iudicantes: ſed ſunt hæc omnia deriſorum geſtus. Atque in hoc maxime alludit Dauid ad illud Euãgelicum, Matthæi cap. 27, Prætereũtes Iudæi blaſphemabant eum, mouentes capita, & dicẽtes, Vah qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reędificas, ſalua te ipſum, ſi Filius Dei es, deſcẽde de cruce. Sed ſi inſultantibus cedens, deſcendiſſet de cruce, profecto virtutem patientiæ non demonſtraſſet. Ecce qualiter corde, voce, & geſtu deriſerunt IESVM Iudæi, dicentes ironicè, Sperauit in Domino, &c.

Sperauit in Domino, eripiat eum, ſaluum faciat eum, quoniam uult eum.

Ecce quaſi hiſtorica narratio non Prophetia, ne qua ſit excuſatio, ne qua ambiguitas perfidis: verba iſta expreſſa ſunt in Euangelio Matthęi cap. 27, Dicebant enim Iudęi, quãdo pendebat IESVS in cruce, Confidit in Deum, liberet eum nunc ſi vult. O cæleſtis integritas! nónne videmur hîc potius Euangelium recenſere quàm Pſalmum? quando hæc omnia tanta veritate completa ſunt, vt non futura, ſed trãſacta eſſe videantur? At talia improperia iactabant infideles Apellæ, tanquã in hominẽ purũ: nam ſi Deum credidiſſent, nunquã hæc cõuitia dixiſſent, ſed quia crucifigebatur & nõ liberabatur, credebãt illum non eſſe Dei Filium, ſimilia inferẽtes, Si Dei Filius eſt, & Deus eſt, quomodo mori poteſt? Sed miſeri loquebantur tanquam Deus nõ eſſet homo. Verum qui de nihilo cuncta creauit, hominis formam induere potuit, vt paſſibilis mori poſſet, vt qui mortem in carne ſuſcepit, mortem diuinitate deſtrueret. Mors itaque nõ Chriſtum, ſed in ſe CHRISTVS mortem occidit. Quòd autẽ talem voluerit Deus Pater habere Filium, vtpote qui infirmitates noſtras acceperit, & ægritudines noſtras portauerit, atque Agnus ſine macula peccata mundi expiauerit, oſtendunt verba quæ ſequuntur, Quoniam tu es, &c. Eſa. 53. Ioan. 1.

Quoniã tu es qui extraxiſti me de uẽtre, ſpes mea ab uberibus matris meæ: in te proiectus ſũ ex utero

Vox humanitatis Filij ad Patrem dicentis, Supra naturam naſci me feciſti de Virgine: & quum omnibus hominibus lex iſta naſcendi ſit, vt de ventre extrahantur, nullus tamen pręter te me extraxit. Naſci ſiquidem ex vtero (quod in aliis opus eſt Dei mediante natura) in CHRISTO fuit miraculoſa Domini operatio, quia egreſſus eſt ex matris vtero, ſaluo clauſtro Virgineo. Nam ſicut illius conceptio fuit abſque vlla viri copula, ita & progreſſio fœtus ſupra naturam extitit: ipſa ſcilicet diuina vi fœtum extrahente, & Virgineis clauſtris nullatenus apertis. Sed ô magna admirationis gratia, ô ineffabile magnúmque Sacramentum! Quis hoc excogitare potuit vt Virgo mater eſſet, intacta generaret? quæ & Virgo permanſit & genuit. Sicut enim quondam rubus Exodi cap. 3. comburi videbatur, & eum ignis non tangebat: ita Virgo ſancta genuit

Eſa. 7. Dominum, ſed intacta permanſit. & hoc præcinuit Eſaias, talia ſcribens, Ecce Virgo in vtero concipiet & pariet Filium, & vocabis nomen eius Emanuel. Scio autem Iudæos opponere ſolere in Hebræo verbum (Alma) non Virginem ſonare, ſed adoleſcentulam. Et re vera Virgo proprie (Bethula) appellatur, Adoleſcentula autem vel puella non Alma dicitur, ſed Naara, teſtante Hieronymo lib. 1. aduerſus Iouinianum. & (vt ille idem inquit) Alma, proprie ſecretam Virginem, & nimia parentum diligentia cuſtoditam ſignificat. Aut certe oſtendat quis vbi hoc verbo appellentur, & ineptiam & imperitiam cōfitebimur. De hoc my-

Hiere. 31. ſterio in Hieremia grande miraculum eſt, quia fœmina circundederit virum, & vniuerſitatis parentem Virginis ven-

Ezec. 44. ter incluſerit. Et hoc idem arcanum præuidit Ezechiel in porta Sanctuarij exterioris quæ reſpiciebat ad orientem, & erat clauſa, & dixit Dominus, Porta hæc clauſa erit, & non aperietur, & vir non tranſiet per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eam, quando ſcilicet Meſſias ingreſſus eſt clauſis oſtiis Matris, quam Virginem ſeruauit & ante partum, & in partu, & poſt partum. Nam ſicut virga

Num. 17. Aaron ſine radice, ſine naturæ adminiculo fructificauit: ita Virgo Maria ſine coniugali opere, Filium procreauit. Tum demum vt Filius ſe hominem oſtendat, ſubdit, SPES mea ab vberi-

ab vberibus matris meæ:quaſi diceret, Vt me perfectũ hominem demonſtrarem, vbera matris non ſum dedignatus ſugere. Sed mira res: nam poſtquam de matris vberibus lac bibit, ac ſi cum lactis dulcedine dulcedinem potaſſet miſericordię, proiecit ab oculis ſuis peccata noſtra poſt tergum, & factus eſt largus ad dandam veniam peccatorum, largus ad dandam gratiam & operum iuſtitiam. Siue poſſunt eſſe hæc verba Filij ad Patrem cui dicat, Tu ab ipſo lacte fuiſti ſpes mea: ex illo enim tempore cognoui ſpes meas omnes in vno collocatas eſſe: edoctus nimirum à diuinitate mihi coniuncta, quemadmodum & in te proiectus ſum ex vtero, tibi in ſuppoſito Verbi vnitus à conceptionis principio, & tibi ſoli datus filius, qui patrem nullũ in terra habui. Quapropter de ventre, & cæt.

De *uentre matris meæ* Deus *meus es tu, ne diſceſſeris à me.*

His verbis nec ſine Deo fuiſſe oſtẽditur ipſa CHRISTI conceptio, quia non ſolum modus concipiendi fuit, ſine virili ſemine, ſed proles concepta fuit, Verbum caro factum: Ioan. 1.
atque in eodem momento in quo fuit creata proles, fuit Verbo perſonaliter vnita: ſicut & ab Angelo Marię ſemper Lucæ 1.
Virgini prophetatum eſt, Spiritus Sanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: propterea quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei. Quia enim (inquit Angelus) de ſanctificatione Spiritus concipies, ſanctum erit quod gignetur. Congruit conceptioni natiuitas, vt quæ contra humanæ naturæ morem virgo concepit, ſupra humanæ cõſuetudinis modum, Dei Filium generaret. Atque ipſe Redẽptor pro nobis incarnari dignatus, mox ſanctus natus eſt, quia ſine iniquitate conceptus eſt homo. Sed illud quod dicitur, Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi, debemus etiam de ſacramẽto Dominicę incarnationis intelligere. Obumbrari enim nobis dicimus, quũ feruente meridiano ſole, vel arborem mediam vel aliud quodlibet vmbraculi genus inter nos & ſolem opponimus, quo ardorem eius, vel lucem nobis tolerabiliorẽ reddamus. Redemptor autem noſter non immerito Solis luce, vel ar-

dore deſignatur, qui nos & veritatis ſcientia illuſtrat, & amore inflammat. Vnde ipſe per Prophetam dicit, Vobis timen-
Malach. 4 tibus nomen meum, orietur Sol iuſtitiæ. Cuius videlicet Solis radios beata Virgo ſuſcepit, quãdo Dominum concepit, qui mentem illius ſimul, & corpus conſecrarunt. Sed idem Sol, id eſt diuinitas Redemptoris noſtri, tegmine ſe humanæ naturæ, quaſi obumbraculo quodam, obtexit, qua mediante, Virginis eum viſcera ferre ſufficerent: ſicq; virtus Altiſſimi obumbrauit Virgini, dum diuina CHRISTI potẽtia, & eam præſentialiter impleuit, & vt capi ab illa poſſet, ſubſtantia ſe noſtræ fragilitatis obnubilauit. Declarata verò Redemptoris & incarnatione & natiuitate, nunc ipſe explicat quaſi inſtantem ſuam paſſionem, qui vt homo terminat in oratione querimoniam, & cauſam reddit, Quoniam tribulatio, &c.

Quoniam tribulatio proxima eſt, & non eſt qui adiuuet.

Videte deſertum, & væ nobis ſi ipſe deſerat: quis enim auxiliabitur ſi ipſe non adiuuet, qui nullius niſi ipſius tantum poſſumus miſeratione ſaluari? Nunc autem iam mouetur CHRISTVS ſecundum affectum humanæ naturæ, Verbo volente & permittente ſecundum diſpenſationem, pati ipſam, & agere propria, vt per opera naturæ crederetur veritas. At id ſciendum, quòd dicimus CHRISTVM carne paſſum: diuinitatem tamen carne paſſam, aut Deum per carnem paſſum, nequaquam: nam quemadmodum Sole arborem ſuperillucente, ſi ſecuris incidat arborem, inincìſus & impaſſibilis perſeuerat Sol: multo magis impaſſibilis Verbi diuinitas ſecundum hypoſtaſim carni copulata, carne patiente impaſſibilis perſeuerauit. Et quemadmodum (inquit Damaſcenus) ſi quis ignito ferro ſuperinfundat aquã, quodquidem natum eſt pati ab aqua, ignis dico, extinguitur, incolume verò manet ferrum, non natum enim eſt ab aqua corrumpi: multò magis carne paſſa, ſola impaſſibilis diuinitas paſſionem non admiſit, inſeparabilis ab ipſa permanens.
Ioan. 14. Nunc igitur CHRISTVS alludens ad illud Ioannis, quã-
Matth. 26 do dixit diſcipulis, Surgite, eamus hinc, Ecce appropinquabit qui

bit qui me traditurus eſt, iã dicit TRIBVLATIONVM ſuæ paſſionis proximam: & quanuis ipſa multis poſt ſeculis conſummata ſit, hîc tamen ideo denuntiat proximam, vt aſſumptio verę carnis, triſtitiam oſtenderet paſſionis. Simul etiam ſic explicat cauſam dictæ ſuæ paſſionis, videlicet quaſi iam tempus ei ad patiendum definitum aduenisset, in quo concordat cum illo quod Lucæ 22. dixit principibus Sacerdotum & magiſtratibus templi, & ſenioribus qui venerunt vt eum comprehenderent, Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum. Non enim poterat ante tempus illud pati, iuxta illud Ioannis, Nemo miſit in illũ manus, quia nondũ venerat hora eius, non quòd neceſſitas fuerit facti, ſed opportunitas voluntatis. Quemadmodum enim voluit opportuno tempore naſci, præmiſſa longa ſerie præconum: ſimiliter prædicato Euangelio voluit opportuno tempore mori. Iam vero oſtẽdit cur inſtante paſſione timuerit: QVIPPE nullus erat qui adiuuaret, ſed omnes diſcipuli eo derelicto fugerunt, quin & Petrus qui prius dixerat ſe paratum ire cũ eo & in carcerem & in mortem, illum, ad vocem ſeu inquiſitionem ancillæ, negauit. Timorem tamen nũc eum accipe qui naturalis eſt, nolente anima ſeparari à corpore propter naturalem inditam illi à rerum conditore à principio compaſſionem & familiaritatem: ſecus de illo timore qui ex errore cogitationũ prouenit, & diffidẽtia, & ex eo quòd quis mortis horam ignorat. Nam (vt teſtantur Euangelia) IESVS erat ſciens omnia quæ in eum ventura erant. Nunc vero quaſi per ſingula ipſam ſuam paſſionem deſcribẽs, dicit, Circundederunt, &c.

Ioan. 7.
Matth. 26.
Lucæ 22.
Ioan. 18.
Ioan. 18.

Circundederũt me uituli multi, tauri pingues obſederunt me.

Hoc in loco CHRISTVS quaſi hiſtoricè texit diſcurſum ſuæ paſſionis, & per metaphoras crucifixionis ſuæ depingit arcanum, prçterita autem pro futuris ponit: vt duriſſima corda Iudæorum quaſi peracta veritate conuinceret, & ipſi à tanto facinore ſatis præmoniti recederent. Iudæi vero nũc dicuntur VITVLI, quia populus luxurians ſine iugo Dei, atque petulantes & fatui greſſus ſuos nulla regu-

la moderabantur, ſed vagi & penduli ad iniqua conſilia, velut quibuſdam ſaltibus, & præcipites efferebantur, neque iam reuerentia probitatis, neq; vlla nominis aut famę apud eos cura habebatur, ſed ipſi ad dementiam ſuam malis voluntariis interire voluerunt, tametſi eis Deus ſatis conſuluerit, modiſque omnibus prę̃mõſtrarit, quę forent eorum generi ſalutaria. At per TAVROS pingues rectè Dauid ſuperbos principes Iudæorum deſignat, qui diuitiis & bonorum abundantia ferociores fuerunt. Quemadmodũ tunc ipſum animal nimis redditur inquietum, quãdo pinguedine multa refertum eſt, & de manſueto ferox efficitur, quum obeſa terga, atq; lata è mento palearia pendẽt. Ad hanc ſen-
Deute.32. tentiã facit quod alibi ait Moyſes, Comedit (inquit) Iacob, & impletus eſt, & recalcitrauit dilectus, impinguatus & incraſſatus eſt, & dereliquit Deum factorem ſuum. Iam enim iſtorum Sacerdotũ ſuperba auaritia, atque crudelitate, Hieruſalem ciuitas amplius Dei locus non erat, neque manere poterat, rapinarum, cędium atque quarũuis immanitatũ facta ſepulchrum: ipſi enim nullũ facinus prętermittebãt quo inexplebilem ſuam dominandi ambitionem ſatiarent. Pri-
Matth.26. mi CHRISTVM circundederunt, quando eum comprehendentes in horto, duxerunt ad domum principis ſacerdotum. Secundi autem obſederunt Ieſum, & in domo Annæ
Ioan.18. & in domo Pilati. Et ibi (inquit Meſſias) Aperuerunt, &c.

Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens.

Metaphora introducta eſt à conſuetudine ferarum quæ
Act.14. auidè os aperiunt quando aliquid deglutire feſtinant: ita egit princeps Sacerdotum ſcindens veſtimenta ſua, quaſi cõtra blaſphemum ius requirens. Vnde ſtatim populus ex capite blaſphemię IESVM reum mortis acclamauit, Matthęi cap. 26. Sic vides qualiter quem de ſolio ſacerdotali furor excuſſerat, eadem rabies ad ſcindendas veſtes prouocat. Conſuetudinis etenim Iudaicę erat, quum aliquid blaſphemiæ & quaſi contra Deum audiebant, ſcindere veſtimenta ſua: quod Paulum quoque & Barnabam, quãdo in Lycaonia Deorum cultu honorabantur, fecíſſe legimus. Sed ſi tunc

veſtimentum

veſtimentum ſuum præſcindere volebat princeps Sacerdotum, id ſane feciſſe debuit nõ propter blaſphemiam IESV, qui nullam dixerat, ſed vt oſtenderet Iudæos ſacerdotij gloriam perdidiſſe, & vacuam ſedem haberePontifices. Multitudo etiam tum Scribarum, tum Phariſæorum & Sacerdotũ os contra CHRISTVM, ſicut leo rabidus, coram Pilato aperuit, ipſum accuſando, & quòd ſubuerteret Gentem & ſe Regem diceret, ac prohiberet tributa dari Cæſari. Sed quũ (vt inquit Marcus) non eſſent conuenientia eorum teſtimonia, quin & Pilatus eis de CHRISTO dixiſſet, Obtuliſtis mihi hunc hominem quaſi auertentem populũ, & ecce ego coram vobis interrogans, nullam cauſam inuenio in homine iſto ex iis in quibus eum accuſatis, ſed neque Herodes. Protinus RVGITVM ſuum addiderunt, dum exclamauit ſimul vniuerſa turba, Crucifige, crucifige eum, Tolle hunc, & dimitte nobis Barrabam. Sic impletum eſt illud Hieremię cap. 12, Facta eſt mihi hæreditas mea ſicut leo in ſylua, dederũt ſuper me vocem ſuam. Sed quum pro IESV latronem, pro Saluatore homicidam elegerũt, nõnne merito & ſalutem & vitam perdiderunt? Magna & pluſquam leonum eorum crudelitas, nõ ſolum occidere, ſed & crucifigere IESVM quæſierunt, ne dolor paſſionis citius ac mitius finiretur, & vt in cruce Dominus vir dolorum, & infirmitatum videretur. Propterea ſequitur, Sicut aqua, &c.

Lucæ 23. Marc. 14. Lucæ 23.

Sicut aqua effuſus ſum & diſperſa ſunt omnia oſſa mea.

Comparatio iſta non minimum continet Sacramentum: & bene poſuit Pſalmographus AQVAM, quia nihil nouit corpus CHRISTI niſi peccata lauare. Aqua, quando effunditur, aut abluit, aut irrigat, aut lapſum pedibus facit. Effuſus eſt CHRISTVS ſicut aqua, abluti ſunt ſordentes, rigatę ſunt mentes, lapſi retrorſum perſequutores Iudæi. Hac metaphora inſuper declarat CHRISTVS quàm vili ab Iſrael eſt & occiſus & receptus: nã ſicut aquæ effuſio pro nihilo habetur: ita mors mea (inquit) flocci ab inimicis meis reputata eſt. Adde quòd quemadmodum aliis liquoribus è vaſe effuſis, remanet illorum ſapor vel odor,

dempta ſola aqua, quæ dum è vaſe fluit, nullũ ſui in vaſe relinquit veſtigium: ſic CHRISTVM Iudæi ita cruce perdere volebant, vt nulla eius poſthac remaneret memoria. Ad hoc facit dira illorũ inuidiæ vox, de qua Matthæi cap. 27. quando Pilato coram eis manus lauanti & talia dicenti, Innocẽs ego ſum à ſanguine huius iuſti, vos videritis: tunc rudens vniuerſus populus dixit, Sanguis eius ſuper nos & ſuper filios noſtros. Hoc pacto impij ſua voce ſanguinẽ innocentem fundentes, & volentes Redẽptorem annihilare, quaſi aquam quæ hauritur & diſpergitur, & non reuertitur. OSSA vero CHRISTI nunc Apoſtoli dicuntur: quia ſicut caro ab oſſibus roboratur, ita corpus CHRISTI (quod eſt Eccleſia) ab Apoſtolis veluti firmantibus ac continentibus reliqua membra, compactum eſt. Oſſa ſiquidem ſuſtinẽtia carnem, pro firmioribus quoad officium ſuſtentandi &
Rom. 15. ſupportãdi alios deſcripta ſunt: iuxta illud Pauli, Debemus nos qui firmiores ſumus, imbecillitates infirmorũ ſuſtinere. Et hæc oſſa tempore paſſionis diſperſa ſunt: nam omnes
Matth. 26. diſcipuli fugerunt eo relicto, ſicuti per Zachariam Prophe-
Zacha. 13. tam prædictum erat, Percutiam paſtorem & diſpergentur oues gregis. Deinde ſubnectit IESVS quantum ſecundum hominem tunc timuerit. Factum eſt (inquit) &c.

Factum eſt cor meum tanquam cera liqueſcens in medio uentris mei.

Nunc gelidum formidine pectus, & pallidum ad ora demiſſum timorem, ſolutáque frigore membra, atque qualiter ſanguis deſeruerit artus inſtante paſſione declarat CHRISTVS: & manifeſto hunc naturalem timorem oſtendit indicio, quando imminente hora mortis, cœpit contriſtari & mœſtus eſſe, cœpit item pauere & tædere, quemadmodum
Marc. 14. habet Euangelium. Quapropter nunc ait, Sicut cera liqueſcit calore ignis, ſic cor meum horrore terroris præſentis quaſi prorſus reſolutum eſt, ac defecit. Iſta ſolum intelligẽda ſunt de inferiori parte animę, quæ dimiſſa eſt pati ſecundum vnãquanque virium, ſine redundantia conſolationis ex parte portionis ſuperioris, quæ ſemper beata fuit. Attamen quia cera dum ſoluta fuerit ab igne, nõ perit, vt cęteræ

ſpecies ab igne ſemel incenſæ in cinerem rediguntur: ſed ipſa quũ arſerit, ad hoc redit quod fuit: Sic CHRISTVS ſciẽs ſe paſſione perire nõ poſſe, ſed ſtatim reſurrecturum, dicit, FACTVM eſt cor meum tanquam cera liqueſcens. Interim vero legitur etiam nonnunquam infremuiſſe ſpiritu, vt apud Ioannem, IESVS autem infremuit Spiritu, & turbauit ſeipſum. Et paulo poſt eodẽ loco, IESVS autẽ rurſum fremẽs in ſemetipſo, venit ad monumẽtũ. Fremuit quidem diſpenſatiue, & ex diſpenſatione, ſponte ſua, & ſola dignatione, quia motũ indignationis in ſe excitauit in principẽ huius mundi, per quẽ inducta fuit mors, haud multo poſt foras eiiciẽdũ: & in Iudæorũ incredulitatem, quos ad calumniandũ eius opera quàm credendũ propenſiores cognouit. Turbauit autẽ ſemetipſum, quia non ab extrinſeco turbatus eſt, ſed à ſeipſo ſolo. Vnde liquidò conſtat ꝙ volẽs turbatus eſt, voluntate præueniente eam turbationẽ, quinimmo excitante ipſam, & intra rectæ rationis metas continente. Sic & volens timuit, & quando voluit timuit, vtpote inſtante paſſionis hora, quæ tametſi à cõceptionis exordio illi eſſet notiſſima, nunquã tamẽ ante eam timuiſſe legitur, ob vnã hanc rationẽ, quia noluit: quin potius ardentiſſimo affectu aduẽtare horã paſſionis deſyderauit, eius dilationẽ ægrè pertulit, cõqueſtus eã tãtũ prorogari, ob feruẽtiſſimũ noſtræ redẽptionis peragẽdæ deſyderiũ. Nã apud Lucã dicit, Baptiſmo habeo baptizari (ſcilicet ſacri ſui ſanguinis perfuſione, quo totus in paſſione maduit) & quomodo coarctor, vſq; dũ perficitur? Rurſum alio loco, Deſyderio deſyderaui hoc Paſcha mãducare vobiſcũ antequã patiar. Ecce igitur qualiter & cur ipſe infremuit ſpiritu. VENTER vero nunc ponitur, vt interna in CHRISTO, pro portione inferiori vndique paſſa intelligas: ſeu Venter iuxta Græci nominis ſignificationem, totam corporis concauitatem complectitur. Subiungit litera. Aruit, &c.

Ioan. 11.

Ioan. 12.

Luc. 12.

Luc. 22.

Aruit tanquam teſta uirtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxiſti me.

Nõ dixit, Fracta eſt tãquã teſta virtus mea, ſed ARVIT:

nam ſicut fractura teſtæ irremediabilis eſt, ita decoctio lau dabilis inuenitur. Teſta antequã in igne ponatur, infirma eſt, poſtquam in igne ponitur, roboratur: & CHRISTVS poſteaquã in patibulũ crucis aſcendit, ſuã Eccleſiam roborauit. Ergo nõ aruit ſicut fœnũ, vt caderet, ſed quaſi teſta vt firmaretur, & Eccleſiam ſuam ſtabiliret: nam inde cœperũt Sancti, eius exemplo, pro virtutis ac fidei defenſione etiã vltro ſe morti tradere. Magnificum igitur quod hîc dicit, Firmum factum eſt nomen meũ de tribulatione. Quomodo enim teſta ante ignem mollis eſt, poſt ignem fortis & fornace dureſcit: ſic nomẽ CHRISTI ante paſſionẽ cõtẽnebatur, poſt mortẽ honorificũ & forte redditum eſt. Siue hæc verba accipe dicta pro opinione quam habebãt Iudæi de CHRISTO. Quicquid enim virium in eo erat, ſapientiæ qua docuerat, potẽtię qua fecerat miracula, totum tempore paſſionis aridum ab eis reputatum eſt: non vt lignum quod quandoque fuit viride, ſed vt teſta quæ nunquam vi-
Luc. 23. ruit, nunquã protulit fructũ. Reputatus ſiquidẽ eſt CHRI-
Marc. 6. STVS ab Herode tanquã impoſtor & fatuus, quũ tamen is Ioannẽ Baptiſtã virum ſanctũ exiſtimaret: populus autem eum peiorem latrone, homicida ac ſeditioſo acclamauit, di-
Luc. 23. cẽs, Tolle hũc, & dimitte nobis Barrabã. Sequitur: LINGVA mea adhæſit faucibus meis, quod intelligendũ eſt, dũ interrogatus ab Herode multis ſermonibus, ipſe nihil illi reſpondebat, Lucę 23. Et animaduerte quòd quoties in paſſione accuſatus ſeu interrogatus tacet, quaſi pro grege agnus immolandus patientia vincit: vbi vero reſpõdet, quaſi paſtor pro ouibus contra lupos & latrones pugnat: ſiue
Ioan. 19. lingua adhæſit faucibus, quando deficiente humido radicali, & exhauſtis naturæ viribus, ſitiuit in cruce: nã iam ſpiritus vitales deficiebãt in corde, motiui in muſculis, & animalis per totũ corpus, atq; ipſe exanguis fact⁹ propter iam
Luc. 22. accepta vulnera, & ſudorẽ ſanguineũ prius in horto emiſſum, totus deſiccatus & aduſtus erat. Quid mirum igitur ſi ardentiſſimã ſiti tunc cruciatus eſt, & talia tandem Patri intonat, IN puluerẽ mortis deduxiſti me. Quo in loco mortem ac ſepulturã intellige: nã corpus mortuũ nõ eſt niſi puluis, atq; qui in ſepulchro iacẽt, terra ac puluere inuoluũtur.

Ad quod

Ad quód ſepulchrũ tu Pater volẽs(inquit)deduxiſti me, ꝓpter hominũ ſalutẽ: nec mirũ ſi mortẽ paſſus ſum, Qm̃,&c.

Quoniam circundederunt me canes multi: conſilium malignantium obſedit me.

Iudæos merito Tauros ſuperius Dauid appellauit, veluti qui iugo legis premebantur, tametſi ipſi legẽ tranſgrederentur. Nunc autẽ forte Romanos milites iure etiã Canes vocat, veluti immundos ſecundũ legẽ, & præterea etiã valde impudẽtes. Qua ratione Dominus in Euangelio ad Cananæã dixit, Nõ eſt bonũ ſumere panẽ filiorũ & dare canibus. Siue nũc CHRISTVS per naturã canis mirabili proprietate paſſionis ſuæ ſacramenta deſcribit: canis enim natura talis eſt vt nouis hominibus nullatenus acquieſcat, ſed importunis atq; aſſiduis latratib⁹ arceat quos notitia domeſticæ cõuerſationis ignorat. Iis autẽ Iudæis aptiſſime cõparãtur, qui nouã doctrinã Domini minime recipiẽtes, cõtra eum ferociſſimis vocibus oblatrabant. Canũ etiã proprium eſt, vt domino ſuo congaudeant, & extraneũ allatrẽt: quod vtique fecerunt Iudæi, quãdo allatrauerũt CHRISTVM, & latroni cõgauiſi ſunt, hoc eſt Barrabæ, petentes illũ tanquã Dominũ ſuũ dimitti, & IESVM occidi. CANES multi, nõ pro veritate, ſed pro conſuetudine latrãtes & mordẽtes. Hîc verè pro canibus in Hebræo habet litera, Chelabim, quod(authore Hieronymo) Aquila & Theodotio, Venatores interpretati ſunt. Vtráque lectionẽ tuo arbitrio relinquo, candide lector. Subnectit CHRISTVS, ſe à conſilio malignantiũ fuiſſe in paſſione obſeſſum: cuiuſce rei locuples eſt teſtis Matthæus, talia ſcribens, Mane facto conſilium inierũt omnes principes Sacerdotũ, & ſeniores populi aduerſus IESVM, vt eum morti traderent. Et vide quàm ſolliciti fuerint in malo, tota nocte vigilauerunt, vt mane facerent homicidiũ. De hoc Satanæ conſilio etiam prædixerat Iacob, Geneſ. 49, hæc dicens, Simeon & Leui vaſa iniquitatis bellantia: in cõſilium eorum non veniat anima mea, quia in furore ſuo occiderũt virum. Quippe Scribæ & Phariſæi oriũdi ſunt à Simeone, pro vt ſacerdotes à Leui: & ij omnes cũ reliquo populo (ait Redemptor) Foderũt, &c.

Matt. 15. Luc. 23. Matt. 27.

Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumerauerunt omnia oſſa mea.

Inter Hebræos & noſtros hoc in loco magna cõtrouerſia eſt pro hoc vocabulo Fixerunt, ſeu Foderunt, ne ex hoc textu conuincantur Hebræi habuiſſe crucifixionẽ CHRISTI prophetatam. Illud tamen conſtat, quòd Septuaginta ante Meſſiæ aduentum tranſtulerunt, Foderunt, &c. Quare nos nunc ita legentes meminerimus quòd nõ dixit Tranſfixerunt, vel Vulnerauerunt, ſed Foderunt manus meas & pedes meos, clauis nimirũ perforantes. Sed ſicut terra foſſa fructum facit: ſic CHRISTVS vulneratus vitam dedit. Clauos fixerunt crudeles Iudæi, & vbertatem magnam inuenerunt, ſalutem videlicet Gentium: & hîc (ſicut & ferme per hunc totum Pſalmum) præteritum pro futuro ponitur: atque addit Dominus, DINVMERAVERVNT omnia oſſa mea, nudum me crucifigẽtes, atque in cruce extendentes, ita vt oſſium meorũ compagines à quocunque numerari poſſent. Hi igitur obmuteſcant, aſſerentes tantum ſimilitudinẽ atque imaginẽ paſſionis & doloris CHRISTVM hominem pertuliſſe, & nullum omnino dolorem vel paſ-
Eſa. 53. ſionem ſenſiſſe. Propterea etiam ait Eſaias, Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Doles igitur (inquit Ambroſius) Domine IESV, vulnera mea nõ tua, quia tu non pro te, ſed pro me verè doles. At forſan mi. caberis cur tam acerbam crucem elegerit ſibi IESVS, & mortem, qui mitiori via mortales redimere potuit: ſed ex hoc cõiice quàm indicibili amore à Deo amati ſumus, propter quos redimendos, in nullo Pater Filio pepercit, quin nec Filius ſibi ipſi, vt ſic cunctos maxime ad amorem ſui alliceret. Hac ratione etiã ſemper magis eminẽs fuit CHRISTI dilectio, quàm vſquam creuerit crucifigẽtium Iudæorum odium. Et feruentior atque intenſior extitit conuerſio animæ CHRISTI per actualem amorem in Deum, quàm fuerit auerſio Iudæorum, & quoruncunque peccatorũ per amorẽ ſui, à Deo, maiórque reuerentia & obediẽtia CHRISTI ad Patrem, quàm contemptus tranſgreſſorum: quibus ex rebus hæc paſſio magis Deo placuit, quàm vnquam ei

diſplicuerint

diſplicuerint omnia mundi ſcelera, nulláque mors tantæ maieſtati melius conuenire potuit, niſi quæ nobis perfectæ ſalutis, perfecti quoque amoris indicia dereliquit. Sequitur, Ipſi vero, &c.

Ipſi uero conſiderauerunt & inſpexerunt me, diuiſerunt ſibi ueſtiměta mea, & ſuper ueſtem meā miſerunt ſortem.

Neſcio cum qua animi præſumptione (ô ſceleratiſſimi Iudæi) Pſalteriū in veſtris canitis Synagogis. Conſiderate miſeri, hunc eſſe Dominū quē negaſtis & interfeciſtis: ſignis & apertiſſimis miraculis quæ vidiſtis, aliquādo ſaxeū cor veſtrū emolleſcat. Nam nequis poſtea Deū dubitaret, in eius paſſione hæc miracula conuenerunt: Tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram: terra tremuit: petræ ſciſſæ ſunt: monumenta aperta, vt vniuerſus orbis paſſum euidenter ſuum teſtaretur authorem. Et ne quis cōtendat ſcriptorem Euangelij, quum tenebras ſuper vniuerſam terram factas ait, regionis Iudææ terram intellexiſſe, aſſentiente & Diuo Hieronymo, ſatis oſtendit diuinus Dionyſius in Epiſtola ad Polycarpum, hunc Solis defectum, qui tempore crucis Dominicæ factus eſt, ei tunc apud Heliopolim exiſtenti apparuiſſe. Nunquid inſuper quādo dixit Hieronymus, eclipſim Solis in Iudæa factam moriēte IESV, propterea AEgyptum, Græciam, alias quoque vicinas regiones excluſit? Nec eſt vnde iterū vrgeas, cur aliquis ſeu Latinus ſeu Græcus author, eius rei non meminit: an ipſe nō meminit Dionyſius Græcus, mediis & natus Athenis? An ipſum non citat in hac re aduerſarium Apollophanem, & tanti miraculi teſtem ducit in mediū: teſtem tam notum Rhetoricæ artis profeſſione, vt eius auditor Polemon Laodicæus à Græcis authoribus perhibeatur, qui fuerat præceptor Ariſtidis? Neceſſéne fuit vt omnes de hac eclipſi ſcripſerint, ſi viderint? nunquid iſtorum duorum teſtium teſtimonium ſatis eſt? Quare veſtram obduratam cæcitatem (ô Iudæi) nunc arguens IESVS, de vobis prædicit, Ipſi (inquit) CONSIDERAVERVNT, hoc eſt curioſe de me in ligno ſu- Matt. 27.

Matt. 27. ſpenſo diſquiſierunt, nunquid Filius Dei eſſem. Dicebant enim, Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Me tandem inſpexerunt, quia ſatis agnouerunt quiſnam eſſem, cernentes nimirum vniuerſam creaturam mihi compati, tametſi duri adhuc permanſerint. Scribit enim
Matt. 27. Matthæus quòd Centurio, & qui cum eo erant, vidētes terræmotum & alia quæ contigerant, timuerunt valde, dicentes, Verè Filius Dei erat iſte. Execranda ergo merito eſt incredulitas & duritia cordis iſtorum, quæ nec verbis nec ſignis vllatenus molliri potuit. Vnde forſitan iure ſol ami-
Luc. 23. ctu ſe tenebroſo in paſſione, ne tantum ſcelus eorum videret, abſcondit. Addit rurſum ad ſuum planctum CHRI-
Ioan. 19. STVS, DIVISERVNT ſibi veſtimenta mea, &c. Manifeſtè hoc Ioannes Euangeliſta declarat, dicens, Milites ergo quum crucifixiſſent eum, acceperunt veſtimenta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem:
Ibidem. quia erant quatuor milites ipſum crucifigentes. De tunica autem quæ erat inconſutilis deſuper contexta, dixerunt mutuo inter ſe, Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de ea cuius erit, vt Scriptura impleretur: ea nimirum quæ in hoc loco nobis tradita eſt, per Prophetam, cuius verba illic Ioannes diſtinctè appoſuit. Per VESTIMENTA igitur, indumenta illa intelligit quæ conſuta erant, & quæ diuiſa fuerunt per milites. Quibus veſtimentis nonnulli exiſtimant fuiſſe ſignificatum pallium, quod tunc temporis erat indumentum doctorum & philoſophorum: per veſtem vero, tunica illa inconſutilis quæ ſupernè erat contexta per totum, deſignatur: nam (teſtante Chryſoſtomo) pauperes in Palæſtina induebantur vilibus indumentis reticulato opere factis, ad modum ciliciorum. Hæc igitur Domini veſtis non diuiditur, vt ſignificetur nunquam diſſoluenda eſſe vnitas Eccleſiæ: atque ad vnum peruenit, vt intelligamus quantum inter nos ſemper vitanda ſint ſciſmata: quippe Dominus omnes in vnum collegit, ſicut & inter
Matt. 16. duodecim, vnus Petrus pro omnibus dicit, Tu es CHRISTVS Filius Dei viui: & ei pro omnibus dicitur, Tibi dabo claues regni cælorum. Iſta eſt vnitas & communio fidelium, de qua ita ſcribit Hieronymus, in Epiſtola ad Damaſum,

ſum. Faceſſat inuidia Romani culminis, recedat ambitio: cum ſucceſſore piſcatoris, & diſcipulo crucis loquor: ego nullum primum niſi CHRISTVM ſequens beatitudini tuæ, id eſt cathedræ Petri, cõmunione conſocior. Super illam petram ędificatam Eccleſiam ſcio, quicunque extra hãc domum, agnum comederit prophanus eſt: ſi quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluuio: qui CHRISTI non eſt, Antichriſti eſt. Tunica ergo nunc ſortita, omnium partium ſignificat vnitatem, quæ charitatis vinculo continetur: & veſtimenta in quatuor partes diuiſa, præſignant à quatuor orbis partibus eſſe ad hanc Eccleſiæ vnitatem ab omnibus confugiendum, quæ & Gentili non Iudæo contigerunt, vt Gentium vocationem deſerto Iſrael agnoſceremus. Sed dum inimici mei (ait CHRISTVS) vſqueadeo in me ſęuiunt, Tu autem (Pater) ne elongaueris, &c. Gene. 7.

Tu autem ne elongaueris auxilium tuum à me: ad defenſionem meam conſpice.

Humanitas ad diuinitatem loquitur, vt auxilietur ei in tẽpore paſſionis, atque ſic accelerationem ſuæ reſurrectionis expoſtulat CHRISTVS, ne videlicet maneat in fine ſeculi cum cæteris reſuſcitandus, & ne pars voracis illa inferni, quidpiam aduerſus eum præualeat. AVXILIVM enim hic & Defenſio, ipſam ſignificant reſurrectionẽ, quæ vtique longe facta non eſt, quando triduana ſucceſſit. Si tibi paulo antè non videbatur eſſe poſſibile vſque ad mortem veniſſe immortalem, aſpice nũc quia qui deuicta morte tertia die reſurrecturus eſt, non poteſt poſtea eſſe mortalis. Sed bonitatem in hoc intellige Creatoris, quia eouſque ille miſerando deſcendit, vſquequo tu peccando deiectus es. Attende inſuper in iis verbis humilitatem & patientiam noſtri Meſſiæ, vt quum expoſitus fueris tribulationibus vel tentationibus, illius exemplo humiliter & patienter ſuſtineas, & diuinum auxilium poſtules & requiras. Sed quę adhuc ſit iſta defenſio quam nũc ipſe expetit, iam exponit dicens, Erue, &c.

Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis unicam meam.

Per FRAMEAM Romanos milites poſſumus intelligere, qui frameas, hoc eſt gladios & arma ferebãt: ſiue appellatione Frameæ, omnia arma mortifera, quin & mors ipſa deſignatur. ERVE ergo (dicit Filius Patri) à framea animam meam, non faciendo quòd non moriar, ſed quòd in morte non detinear: nam manere animã ſeparatam à corpore pœna tanta eſt, vt propter ipſam auferendam ſancti clament Apocalypſis cap. 6, Vſqueadeo Domine, non vindicas ſanguinem noſtrũ? &c. Et quum manus officium imprimis ſit detinere, nunc ipſe petens non diutius recludi per mortem in inferno, addit, ET de manu canis vnicam meam. Quem quidem infernum, Canem appellat, quia more canino ſemper hiat & deuorat, quemadmodum perbelle de hoc luſit Virgilius,

AEneid. 6 Noctes atque dies patet atri ianua Ditis,
Sed reuocare gradum, ſuperáſque euadere ad auras
Hoc opus, hic labor eſt. Vnica verò dicitur anima CHRISTI, quia ſola peccatũ non fecit, & aliæ animæ ab ipſa mundantur, & ſola Dei Filiũ ſecum vnitũ in eadẽ habet

Pſal. 87. perſona: & ideo alio in Pſalmo ipſe dicit, Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio inter mortuos liber: non dixit Homo, ſed Sicut homo: ſicut homo enim fuit, quia etiam deſcendit in infernum, ſeu limbum patrum: ſed inter mortuos liber extitit, quia à morte teneri non potuit. Et ideo in vno, natura humanæ fragilitatis, in alio diuinæ maieſtatis oſtenſa eſt. Porro ſubnectitur, Salua me, &c.

Salua me ex ore leonis, & cornibus unicornium humilitatem meam.

1. Pet. 5. Leo rugiens noſtis quis ſit, circumiens & quærens quem deuoret. Siue per leonem nũc regius Vates Iudæos, ob ſummam nimirum eorum ſæuitiam, & quia mortem CHRISTI ſitiebant, & quia inſidiis vtebantur, intelligit: eoſdem præterea vnicornes vocat, veluti in vnam tantùm Dei perſonam credentes; & qui à malo ſuo propoſito propria faciente

ciente ſuperbia, nuſquam dimoueri potuerunt. Syluestre autem eſt animal Vnicornis, & iuxta ſui nominis etymologiã vnum tantummodo cornu geſtat in fronte: de quo ſcribit Plinius, ipſum eſſe aſperrimã ferã monocerõtẽ, reliquo corpore equo ſimilẽ, capite ceruo, pedibus elephanto, cauda apro, mugitu graui, vno cornu nigro, media fronte cubitorũ duorũ eminente: hanc feram viuam negant capi, quin nec patitur priorem nec corriualem in via, ſed vult omnia animalia ipſum à tergo ſequantur. Quæ omnia præ ſe tulit ſuperbus ille populus, qui nimium confidit in gloria Legis, cæteros deſpiciens, quaſi ei omnia deberentur, quia genus & proles Abrahæ foret: qui vſqueadeo inſaniuit, vt neq; proprio filio patrisfamilias nouiſſime ad ſe miſſo, pepercerit, ſed ipſum poſt ſeruos occidit. Vnde nunc IESVS contra hanc efferatam inſani populi ſuperbiam Domino ſuam humilitatẽ dicat, & propterea de ſuperbo Iſrael petit liberari, quia mitis & humilis corde. Aduerte autem quòd huiuſmodi petitiones, non emanant à CHRISTO tanquam timente oppoſita, ſed ad manifeſtandum quòd ipſe & reſurrectionem, & immortalitatem ſua morte ſibi atque etiã nobis meruit: placuit enim vt corpus quod mortale & corruptibile ſuſceperat, de ſepulchri petra leuatum, & immortale atque incorruptibile effectum, iam non in terrenis, ſed in cæleſtibus & in Patris dextera collocaret. Veruntamen ne pro audita paſſione fideles turbentur & deſperent, ſtatim oſtendit paſſionis ſuæ fructum, quaſi iam Patri dicat, Salua me & narrabo, &c.

Matth. 21.

Matth. 11.

Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Eccleſiæ laudabo te.

Animaduerte quomodo diuinus Spiritus, quędam vt iam facta cõmemorat, veluti qui futura ea eſſe præuidebat: quędam vero tanquam futura, atque hoc ex lege prophetiæ. Huius autem verſiculi prophetiam impletam eſſe comperimus apud Ioannem, per quem CHRISTVM dixiſſe legimus ad Patrem, Manifeſtaui nomen tuum hominibus, nõ quo diceris Deus, quod erat notum in Iudæis, ſed quo diceris Pater meus, quod ſine Filio non noſcitur. Deum enim

Ioan. 17.

olim ſemper fatebantur Iudæi, ſed Patrem Filij non agnoſcebant. Per FRATRES etiã Apoſtolos intelligit, quẽadmodum & alibi poſt reſurrectiouem eos appellauit, mu-
Matth. 28. lieribus ad monumentum currentibus, dicẽs, Ite, nuntiate fratrib⁹ meis vt eant in Galilæã, ibi me videbũt. Quos enim prius ſeruos, tunc fratres nominauit, vt & poſt reſurrectionem eandem humanitatem reſumpſiſſe, & ſe poſt reſurrectionem eſſe eiuſdem nobiſcum naturæ, atque nos omnes idem ſperare doceat. Seu fratres dicuntur, qui diligunt & diligũtur: nam qui paſſurus venerat pro ſalute cunctorum, quem eorũ non diceret fratrem? nõ quidem carne ſed ſpiritu. Vnde ad Hebræos cap. 2, de CHRISTO, Decebat eũ propter quem omnia & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare, qui enim ſanctificat & qui ſanctificantur ex vno omnes: propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare, &c. Aut ſi de fratribus tantum ſecundum cognationem ſermo eſt: quidam fratres Domini de alia vxore Ioſeph filios ſuſpicantur, ſequentes deliramenta Apocryphorum, & à quadam Eſcha muliercula confingentes: ſed nos (ſicut in libro, quẽ ſcripſit Hieronymus cõtra Heluidium, continetur) fratres Domini non filios, ſed cõſobri-
Marc. 15. nos Saluatoris, Mariæ liberos intelligimus materteræ Do-
Matth. 13. mini, quæ eſſe dicitur mater Iacobi minoris, & Ioſeph & Iu-
Ioan. 7. dę quos in alio Euãgelij loco fratres Domini legim⁹ appellatos. Fratres autem, Cõſobrinos dici omnis Scriptura demonſtrat: & his omnibus CHRISTVS poſt ſuam reſurrectionem nomen Patris enarrauit. Sequẽtem verò prophetiam de diuulgãda laude Dei etiam exequutus eſt Redem-
Ioan. 18. ptor: neque enim Apoſtolos tantum priuatim docuit, ſed in Iudæorum ſynagogis palam ac liberè loquutus eſt, narrans nimirum Dei magnalia. Adde quòd in medio Eccleſiæ laudauit Patrem, quãdo poſt reſurrectionem venit ad diſcipulos ianuis clauſis, & ſtetit in medio eorum, & per quadraginta dies illos in lege Dei inſtruxit, vt habetur Acto cap. 1. vbicunque enim à fidelibus timetur Deus & laudatur, ibi exiſtimandum eſt eſſe Eccleſiam. Hanc inſuper prophetiam hodie etiam manifeſtè adimpleri videmus, dũ CHRISTI Euangelium

Euangelium & priuatim & publicè in Eccleſiis canitur. Quamobrem omnes ad diuinam laudem inuitans Redemptor, ſubnectit, Qui timetis, &c.

Qui timetis Dominum laudate eum, uniuerſum ſemen Iacob glorificate eum.

Veluti iam exauditus à Patre, hortatur cæteros fideles ad gratiarum actionem, & deuotos alloquitur, vt Domini miſericordia agnita, laudent eum, & præconia eius vndique concelebrent, comprimis fideles ex Gentibus, ad quos poſt reſurrectionem ſuam Apoſtolos ipſe primùm miſit. Euntes enim (inquit) docete omnes Gentes, baptizantes eos, & docentes ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis. Vbi congruus ordo: iuſſit enim Apoſtolis, vt primùm docerent omnes Gentes, deinde fidei intingerent ſacramento, & poſt fidem ac baptiſma, quę eſſent obſeruāda præciperent: vt quicunque crediderint, qui in Trinitate fuerint baptizati, omnia faciant quæ præcepta ſunt. Quos nunc Propheta ob ſummam eorum virtutem, Timentes Dominum appellauit: quemadmodum etiam alibi appellat Paulus in Actibus Apoſtolorum, dicens, Viri Iſraelitæ, & qui in vobis timent Deū. Itaq; perpendamus quàm ſuauis in timore Domini declaratur affectus: Dei timor quia iuſtus & rectus eſt, laudem generat, amorem tribuit, ardorē charitatis inflāmat: LAVDATE ergo (dicit) qui timetis Dominū: quippe nemo meretur eū prædicare, niſi qui cognoſcitur illum timere. Verum quia Eccleſia fidelium, non ex Gentibus tātum, ſed etiam ex Hebręis conſtituta eſt hos pariter ad glorificandū Deū, vrget, dicens, Omne ſemen Iacob glorificate eū. Per quod intelligit omnes qui ex Iudæis fideles ſunt: omnium enim tribuum progenitor fuit Iacob. Simul etiam complectitur quoſcunque qui fidei Iacob religioníque cōſentiunt, & his ſingulis intonat, GLORIFICATE Dominum, hoc eſt, coram omnibus illum honorate: nam Gloria eſt honor exhibitus alicui coram multitudine, in teſtimonium ſuæ virtutis. Superaddit, Timeat eum, &c.

Matth. 28

Act. 13.

Timeat eum omne ſemen Iſrael: quoniā non ſpreuit neque deſpexit deprecationem pauperis.

Quia ſuperius dixerat Meſſias, Laudate qui timetis Dominum, nunc ad quos timor pertinere poſſit, oſtendit: Timeant eum (inquit) omnes ad nouam vitam nati, & ad viſionem Dei reparati: & id quidem fiat non timore ſeruili, ne puniantur: ſed caſto, ne deſerātur. Itaque nūc per SEMEN Iſrael, vtrūq; genus ſupra commemoratum intelligit, Gentiles nimirum & Iudæos qui fideles ſunt. Omnis enim qui CHRISTVM cognoſcit, quíque contra terrena animo tranſcendit, & ſolis cæleſtibus immoratur, verè Iſrael appellatur, quum Iſrael interpretetur Mente videns Deum. Iubet igitur vt Deum laudemus, vtque eum ſemper veluti omnipotentem timeamus: cauſa redditur, QVONIAM nō ſpreuit, neque deſpexit deprecationem pauperis, hoc eſt nō moleſtæ illi fuerunt preces quas ei obtuli, & pro dæmonis profligatione, & pro generis humani victoria. Seipſum vero pauperem CHRISTVS appellat, tum quia in paupertate fuit natus, conuerſatus & mortuus, tum quia à Iudæis

Matth. 27 nudus crucifixus, & in alieno ſepulchro ſepultus. At ſi pauper extitit, mendicus tamen non erat: quippe quum Mendicus is verè dicēdus ſit qui nihil poſſidet, niſi propterea quòd eget, certè alio iure CHRISTVS ſibi tēporalia vendicabat: nam quum ſpiritualia ſeminaret, nunquid æquum erat

1. Cor. 9. carnalia meteret? Non igitur penuria, quæ bonis & malis communis eſt, ſed paupertas Spiritus, qua ſaltem animo, cōtemptis omnibus ſoli Deo viuimus: ea eſt quam hîc Saluator maxime approbat, & quæ verè beatos facit. Sic enim volūtate pauper eſt, qui etiam externis multum abundat, & hanc paupertatem nunc verbo, vt & aliquādo facto, laudat Meſſias: atque ſic nos magis expeditos alacréſque ad regnum cælorum capiendum deſyderat. Quemadmodum enim ſerpens (vt fertur) hominem nudum fugit: ſic diabolus quum nos ſecularibus negotiis ambitionéque rerum vacuos ac nudos viderit, protinus à nobis recedet. Sequitur, Nec auertit faciem ſuam, &c.

Nec auertit

Nec auertit faciem ſuam à me, & quum clamarem ad eum, exaudiuit me.

Humanis loquendi modis Propheta diuinas nobis actiones exprimit, atque ſic Filium hominis pro ſua reſurrectione à Patre exauditum eſſe inſinuat. Solent enim homines auertere faciem ſuam ab eis, quorum preces nolunt audire: contra verò in illos faciem vertunt, quorum preces benigne excipiunt. Sed nunc CHRISTI clemẽtiam attendamus, qui dicendo ſe à Patre exoraſſe, ſic planctum noſtrum ſuum fecit, ſic peccata mundi ſua puritate deleuit, & dum ad ſe infirmitatem humanam traxit, diabolus quod tenebat amiſit. Hinc tamen coniice differentiam inter orationẽ procedentem ex naturali affectu, de qua ſuprà dixit, Clamabo, & non exaudies: & orationem hanc emanantem ex deliberato mentis conſilio, de qua ſcribit Apoſtolus, quòd in omnibus exauditus eſt IESVS pro ſua reuerentia. Simul etiã hoc ſanum documẽtum accipe, vt quemadmodum Mediator, in quibus expediebat, fuit exauditus, nõ in aliis: ita pariter quum tu oras, tantundem pro tua petitione, ſi aliâs iuſta fuerit, expecta. Poſthæc iterum CHRISTVS ad illud Lucæ alludens, quãdo clamans hoc voce magna, In manus tuas commendo ſpiritum meum, Patri reddidit animam: nunc ſubnectit, ET dum clamarem ad eum, exaudiuit me. Quibus lucidiſſime infert Deo curæ fuiſſe ne diutius in limbo detineretur: quippe eò tunc tendebat illius nunc nunc prænarrata petitio. Et adhuc forſan hîc ſe dicit auditum, vt intelligas eius morte mortem noſtram finem accepiſſe, & peccatum veteris hominis pretio huius ſanguinis redemptum. Quapropter ſubinfert, Apud te, &c.

Eodem Pſalmo. Heb. 5. Luc. 23.

Apud te laus mea in Eccleſia magna: uota mea reddam in conſpectu timentium eum.

Hîc incipit inſtitutio vniuerſalis Eccleſiæ poſt CHRISTI reſurrectionem. Et primùm ab excluſione humanæ confidentiæ inchoat, vt hinc intelligas non eſſe vanã Chriſti laudem, & nõ eſſe ſuperſtitioſum vt Eccleſia diuerſis ceremoniis vacet diuinis laudibus. Non eſt ergo cur quis dã-

net muſicam in templis ad Dei cultum audiri, aut vocales Eccleſiæ cantus: non enim ſine multa ratione eos Eccleſia inſtituit: quippe muſica cor liquefacit in affectum ſanctum, quũ (teſtante Boetio) ſecundũ diuerſas melodias ſonorũ, animi hominũ varie excitantur, vnde nonnulli Martem cantu accendũt: & de Auguſtino ſcriptũ eſt, quòd flebat vberrimè in hymnis & cãticis, ſuaue ſonantis Eccleſiæ vocibus vehementer affectus. Heliſæus quoque, vt donum prophetię haberet, dixit, Nũc adducite mihi Pſaltẽ, & ſequitur lib. 4. Regum, cap. 3, Quum caneret Pſaltes facta eſt ſuper eũ manus Domini: nam ſic mens Prophetæ in Deum eleuata eſt, propter quod illuminari meruit. Adde crebram Pſalmodiæ dulcedinem, nociuæ triſtitiæ peſtem repellere, ac diabolum fugare: ſicut in libro Regum dicitur, quòd Dauid pſallẽte, recedebat ſpirit⁹ malus à Saul, & melius habebat. Nihil prę-

1. Reg. 16 terea in terris (teſtante Gregorio) ita proprie repræſentat quendam cæleſtis habitationis ſtatum, ſicut alacritas laudantium Deum. Felices igitur affectus iſtiuſmodi iubilationis, quæ duritiam cordis emollit, terrenam mentem eleuat, triſtitiam ſeculi pellit, diabolum fugat, ac militantẽ Eccleſiam triumphanti aſſimilat. Ecce cur non abs re Ambroſius, (vt dicitur) Mediolanenſi clero cantum tradidit, Ecce quomodo Eccleſia in hymnis & canticis reſonat coram ſponſo. Nunc autem per hoc quod dicitur, IN Eccleſia magna, intelligitur illa quæ per vniuerſum orbem diffuſa eſt, & non ea parua quondam in Hieruſalem & Iudæa, in qua ſola offerebantur ſacrificia veteris Legis. VOTA verò quæ nunc offeruntur in toto hoc orbe credentium, ſunt ſacra-

Matth. 26 mentum corporis & ſanguinis CHRISTI, quod i-

& Marc. 14. deo Vota dicitur, quia voluntariè ab eo inſtitutum ſub ſpeciebus panis & vini: licet ſemper vnum ſacramentum ma-

Luc. 22. & neat propter vnum contentum. Nam ſub qualibet ſpecie

1. Cor. 11, eſt totus CHRISTVS: ſed ad plenè ſignificandum quàm vere ſpiritualiter hoc ſacramentum reficit, ſpecies & panis & vini habet, atque velut pignus amoris diuini ad nos, in vltima cœna CHRISTI cum ſuis diſcipulis nobis relictum eſt: Nam quia tunc corpus aſſumptum ablaturus erat ab oculis, & illaturus ſyderibus, congruum fuit

vt hoc

vt hoc die ſacramentum nobis corporis & ſanguinis ſui cõſecraret, vt coleretur iugiter per myſteriũ, quod ſemel offerebatur in pretium. Et huius tanti arcani figura præceſſit, ſiue in Manna, propter quod adhuc quotidiano cæli paſcimur alimento: ſiue in ſanguine agni Paſchalis, liberante ab exterminatore. ſiue in oblatione Melchiſedech, quando panẽ & vinum obtulit: ſiue in apertione lateris CHRISTI in cruce, dum exiuit ſanguis & aqua, vt quomodo dormiuit Adam vt fieret Eua, ita mortuus ſit CHRISTVS vt fiat Eccleſia: dormiente Adam, fit Eua: de latere dormientis CHRISTI, percutitur latus, & profluunt ſacraméta, quibus formatur Eccleſia. Ideo verò potius à latere quàm à pedibus vel manibus fluxiſſe dicuntur, nam tunc à ſolo latere exiuit ſanguis & aqua: Sanguis in redemptionis pretium, aqua in lauacrum quo omnes Deo renaſcimur. Et hoc ſacrificium corporis & ſanguiuis mei (inquit CHRISTVS) Edent pauperes, &c. Exod. 16. Exod. 12. Geñ. 14. Ioan. 19. Geñ. 2.

Edent pauperes & ſaturabuntur, & laudabunt Dominum qui requirunt eum: uiuent corda eorum in ſeculum ſeculi.

Sacramentum Euchariſtiæ deſcribitur quantum ad manducationem ſiue ſacramentalem ſiue ſpiritualem: quarum vtraque ex hoc Ioannis cap. 6, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: ad ſalutem eſſe neceſſaria monſtratur: Spiritualis quidem quum non ſit niſi vnitas fidei & Eccleſiæ, extra quam non eſt ſalus: & per hanc (teſtante Auguſtino) tam paruuli quàm adulti baptizati manducant: Sacramentalis etiam ſic adultum ſacro fonte ablutũ, præcepto diuino obligat: quemadmodum abunde tradunt doctores in .c. Peracta, De conſecratione. Diſtinct. 2. Sed quia (teſtante Paulo) vt digne quis recipiat tantum theſaurum, oportet prius ſeipſum probet, atq; diiudicet corpus Domini, ecce vides cur ad hanc ſacramentalem manducationẽ non teneantur pueri: quippe quòd nec ſeipſos probare, nec diiudicare corpus CHRISTI poſſunt. Neque eſt vnde contendas prænarra-

ta verba Ioannis cap. 6, Niſi manducaueritis, &c.tantũ eſſe intelligẽda de manducatione ſpirituali, quia poſtea CHRI-
Ioan. 6. STVS talia ſubiunxerit, Verba quæ ego loquutus ſum vobis, ſpiritus & vita ſunt. Nempe fatemur tunc CHRISTVM ſuaſiſſe Iudæis, verba eius hoc ſpirituali intellectu caperent, videlicet quòd ſub ſpeciebus panis & vini verum corpus CHRISTI manducatur, quod ibi realiter exiſtit, licet ſpirituali quodam & ſacramentali modo inexiſtat, ne interim horror in nobis generetur, quòd carnem & ſanguinem occiſi hominis ſumimus: non enim caro Chriſti ibi eo modo paſſibili exiſtit, quo antea in terris à Iudæis viſa eſt. Quare (inquit Auguſtinus) ſuper illud Ioannis, Caro non prodeſt quicquam, &c. Si intellexiſti ſpiritualiter verba Chriſti de carne ſua, ſpiritus & vita tibi ſunt: ſi autem intellexiſti carnaliter, etiam ſic ſpiritus & vita ſunt, ſed tibi nõ ſunt. Sed quæres, Cur ergo laici ſub vtraque ſpecie non mã ducant, ſi cunctis adultis fidelibus præceptum eſt manducare carnẽ Filij hominis, & bibere eius ſanguinem? At certè hoc vnum tibi ſufficiat, vbicunque caro Chriſti eſt in ſacramento, ibi etiam ſaltem per cõcomitãtiam adeſt & ſanguis: quo fit vt quoties laici manducant ſub ſpecie panis hoc ſacramentum, ſimul manducent carnẽ, & bibant Chriſti ſanguinem. Neque fuit hoc de nouo indictum in Conſtantiẽſi & Baſiliẽſi cõciliis, ſed antea etiam in ſexta ſynodo Cõſtãtinopolitana, & duodecima Toletana ſtatutũ erat: nec abs re quidem: quippe ad vitanda pericula effuſionis ſanguinis reliquáſque alias irreuerentias, quibus ſic tantum ſacramẽtum exponeretur, caute ſancitum eſt. Quin nec certum eſt paſſim laicos in primitiua Eccleſia ſub vtraque ſpecie ſemper communicaſſe: nam Chriſtus diſcipulis euntibus in E-
Luc. 24. maus, nõ dedit hoc ſacramentum, niſi tãtum ſub ſpecie panis, vti teſtis locuples eſt Auguſtinus lib. 3. De conſenſu Euangeliſtarum, qui dicit hoc ſacramẽtum tunc ſub ſola ſpecie panis, ipſis duobus diſcipulis datum, vt vnitatem Chriſti & Eccleſiæ in ſacramento panis agnoſcerent; dicente
1. Cor. 10 Paulo, Vnus panis, vnum corpus multi ſumus. Et Actorum cap. 2. ſcribitur quòd erãt perſeuerãtes in doctrina Apoſtolorum & communicatione fractionis panis: vbi nihil meminit de

minit de bibitione ſanguinis. Inſuper quando addidit hæc verba, Et biberitis eius ſanguinem: illa maxime ſignificabant qualiter ipſe erat daturus nobis in ſacramento corpus non mortuum, ſed viuum. Caro enim ad corpus, & ſanguis ad animā refertur. Quòd ſi forte vrgeas, Quid igitur ſignificant illa verba Matthæi, dicta diſcumbentibus, Accipite & comedite: hoc eſt corpus meum. & porrecto calice: Bibite ex eo omnes? Sanè hæc omnia, ſicut & iſta Hoc facite in meam commemorationem, ſolos ſacerdotes reſpiciebant: qui ſoli quoties conficiunt, tenentur præcepto diuino ſub vtraque ſpecie ſumere, ſicut & ſoli ſic conſecrant: quinimmo in die ſancto Paraſceues ſacerdos ſacra faciens non tamen conſecrans (vt habet antiqua & rationabilis Eccleſiæ conſtitutio) ſacram hoſtiam pridie conſecratam & reuerenter in id opus reſeruatam tantummodo ſumit. Quid mirum ergo, ſi ſola ſub ſpecie panis accipit laicus hoc ſacramentum, quum etiam dicat CHRISTVS Ioannis 6, Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi: ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Soli vero pauperes ſpiritu, id eſt verè humiles (vt hîc dicitur) hoc pane ſaturantur: nam ſoli eſuriunt iſtam Dominicam cœnam, & nō diuitiis iſtius ſeculi turgentes, qui tantum ſemetipſos exaltant. Quam obrem iam adeſt facultas diſpar, conſcientia diſſimilis, diſſimilia vota. Pauperes poſſident quod nunquam perdunt: diuites tenent quod non ſolum mortui, ſed etiam viui frequenter amittunt. Dominus eſt diuitiæ pauperum: ipſi propterea nec copiam huius ſeculi concupiſcunt, nec timent inopiam, ſed laudabunt Dominum qui requirunt eum: & laus Domini eſt eructatio ſaturitatis illius: vnde viuēt corda eorum in ſeculum ſeculi, etſi corpora moriuntur: verè enim viuere dicimus, quod in diuinitatis gratia perſeuerat. Deinde quòd Eccleſia poſt CHRISTI aſcēſum ad cælos, magna ſit, oſtenditur quum dicitur, Reminiſcentur, &c.

Ioan. 6. Matt. 26. Luc. 22. & 1. Cor. 11.

Reminiſcentur & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ.

REMINISCI aliquem dicimus de re olim præcogni-

ta. Ex his igitur verbis illud nobis denotatur, quòd cognitio Dei in hominibus naturalis eſt, tametſi erroris nebula, quæ olim erat in Gentibus, illam obtegeret atque occultaret. Verum vbi diſſipata eſt illa nebula & illuceſcere cœpit
Malach. 4 ſol iuſtitiæ CHRISTVS, reminiſci ſtatim cœperũt Creatoris, & ad ipſum conuerſi ſunt. Quare iam hîc patet manifeſta prophetia de conuerſione Gentium poſt CHRISTI reſurrectionem, reprobato Iſrael propter ſua delicta, quẽadmodum prædixerat Eſaias, talia cap. 41, ſcribens, Primus ad Sion dicet, ecce adſum. Sed quoniam omnes iniuſti & vana opera eorum, ſequitur ſtatim in principio ſequentis
Eſa. 42. capituli, Ecce ſeruus meus ſuſcipiam eum, electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea, dedi ſpiritum meum ſuper eum, iudicium Gentibus proferet. Quæ quidem verba de CHRISTO ad literam, & quo ordine Gentes vocaret, conſenſu omnium accipiuntur. Et ſi quæras, Quid ergo ſi-
Matt. 15. bi vult hoc Euangelicum, quando ipſe dixit, Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael? Iſtud ſane intelligendum eſt pro perſona Saluatoris, quaſi dixerit, Ego in perſona mea non debui aliis quàm Iudæis prædicare, ſeu inter alios miracula facere, quia antiquis eorum patribus fuerat facta promiſſio de me. Vnde inquit Paulus ad Romanos 15, Dico CHRISTVM IESVM miniſtrum fuiſſe circuncíſionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſſiones patrum, Gentes autem ſuper miſericor-
Eſaiæ 11. dia honorare Deum, vti prædixerat Eſaias, Erit radix Ieſſe, & qui exurget regere Gentes, in eum Gentes ſperabunt. Ecce CHRISTVS paſſus eſt, ecce mercator oſtẽdit mercem, ecce pretium quod dedit, ſanguis eius fuſus eſt: in
Ioan. 19. ſacco ferebat pretium noſtrum, percuſſus eſt lancea, foſſus
Rom. 10. eſt ſaccus, & manauit pretium orbis terrarum: nulláque amplius fuit diſtinctio Iudæi & Gentilis. Illud autem nunc cõſidera quomodo ordinatè atque appoſitè verbis Propheta vſus eſt: nam quum primo dixerit Reminiſcentur, deinde Conuertentur intulit, ac demum Adorabunt in, & cætera.

Et adora-

Et adorabunt in conſpectu eius vniuerſæ familiæ Gentium.

Iſtud etiam apertiſſimè prædixit Daniel, talia capite ſeptimo de CHRISTO ſcribēs, Omnes Populi, Tribus, & Linguæ, ipſi ſeruient. Ne tamen quis putaret dubium quomodo eſſet CHRISTVS ab vniuerſis Gentibus adorandus, interpoſuit Pſalmographus IN conſpectu eius, tanquam diceret, in fide orabunt, quia cōſpectus Dei non eſt niſi per fidem. Atqui (dices) nec vniuerſi fines terræ crediderunt, neque omnes Gentium familiæ. Verum quia in omnem terram Euangelium, & ad omnes Gentes penetrauit, à toto partem ſignificat, quemadmodum alibi contrà, totum à parte. Et aliter per FAMILIAS (quas iuxta Græci nominis vim parentelas potius dicere poſſumus) cognationes intellexit: manifeſtum verò eſt quòd de omnibus nationibus plurimi, qui inter ſe cognati erāt, CHRISTO crediderunt, & per ipſum, Patrem adorauerūt. Sed hîc collige cōuerſionem mundi tribus actibus factam eſſe, vtpote recordatione ſui, reuerſione ad Deum fide & pœnitentia, adoratione in Spiritu & veritate: nāque venit hora & nūc eſt (ait Chriſtus Ioannis 4.) quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate: exploſa videlicet vanitate idolorum, recepto Spiritu fidei, atque per Euangelium depulſis vmbris legis veteris. Et merito hæc omnia contigerunt, Quoniam, &c.

Quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur Gentium.

Probata eſt his dictis vniuerſalis Eccleſia. Deſinant homines Donatiſtarum vanitate cōfundi, expulſus eſt diabolus, recuperauit hæreditatem ſuam CHRISTVS, regnū diaboli cecidit, & regnum CHRISTI eo reſurgēte aduenit. Quū aſcendit in cęlū, omnia ſubiecta ſunt ei: iam ſtat regnū olim abiuratū à Iudæis dicētibus, Non habemus Regem niſi Cæſarem, regnum Eccleſię non eſt hominis, ſed Dei. Vnde etiam Dominus Euangelium inchoauit, quia appropinquat regnum cælorum: & neceſſe eſt IESVM vbique coli, Ioan. 19. Matt. 4.

quem rerum Dominum conſtat intelligi. Ipſe Deus eſt qui gubernat non vnam Iudæorum nationem tantum, ſed & Gentium: vnde Auguſtinus in libro ad Honoratum Preſbyterum, Ille irriſus eſt, ille crucifixus, ille derelictus: hoc
1. Cor. 15. regnum acquirit & tradit in fine Deo & Patri, non vtique vt ipſe amittat, ſed vt quod in fide ſeminauit, quum venit minor Patre ſecundum humanitatem, hoc perducat in ſpeciem in qua æqualis non receſſit à Patre. Sed quum ſupra egerit Dauid de pane cæleſti dato in hoc regno Eccleſiæ fidelibus, iam oſtendit qualiter ipſum ſacramẽtum digne ſumatur, Manducauerunt (inquit) &c.

Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ: in conſpectu eius cadent omnes qui deſcendunt in terram.

Per PINGVES terræ, diuites intelligit, diuites inquam pietate & religione, qui antea Spiritu pauperes dicti ſunt.
1. Cor. 11. Hi mãducãt ad ſalutẽ Euchariſtiã, ſi prius ſatis ſe probauerint, & ſic de pane illo edant, & de calice bibãt. Quod vt recte fiat, perpendat imprimis fidelis communicaturus, ſi deteſtetur peccata præterita, ſi diſpliceãt præſentia, & ſi propoſitum firmum habeat cauendi futura: & vbi hæc tria ſimul aſſequutus eſt, tutus accedat, certo expectans aut virtute ſacramenti peccatum illi dimitti, aut ſuper ignorato peccato quo verè eius pœniteat, ſtatim illuminari. Nec eſt cur ſemper animo fluctuemus, neſciẽtes vtrum amore an odio
Eccle. 9. digni ſumus: nam (vt inquit Bernardus) ſpei fiducia conſolatur nos Scriptura, ne dubitationis huius anxietatẽ penitus cruciemur. Propter hoc (ait) data ſunt quædã ſigna & indicia manifeſta ſalutis, vt indubitabile ſit eum eſſe de numero electorum, in quo ſequentia ſigna permanſerint: Primũ eſt, ſi deuotè audit verbum Dei, iuxta illud Ioan. 8, Qui ex Deo eſt, verba Dei audit: alia tria huiuſce rei indicia ſunt, ſcilicet opera vitæ agere, à peccatis ceſſare, commiſſa deflere. Quare docèt Auguſtinus, licet quis murmure conſcientiæ mordeatur, quaſi nondum ſatis pœnituerit, ſi peccati tamen de cætero non habet voluntatem, & ſatiſfa-

ciat lachrymis, accedat ſecurus: protinus qui ita firma fide credens in hoc ſacraméto, quod Eccleſia credit, tale murmur animi excuſſerit, ſtatim veram CHRISTI humanitatem ſub ſpeciebus panis & vini latentem adorabit, & ocyus cum Thoma dicet, Dominus meus & Deus meus. Ioan. 20. Nam(vt inquit Ambroſius) panis eſt in altari vſitatus ante verba ſacramentorum, vbi acceſſit conſecratio, de pane fit caro CHRISTI: quod erat panis ante conſecrationem, iam corpus CHRISTI eſt poſt cõſecrationem: quia ſermo CHRISTI creaturam mutat, & ſic ex pane fit Corpus CHRISTI: & vinũ cum aqua in calice permixtum, fit ſanguis, conſecratione verbi cæleſtis. Quid enim hîc naturæ ordinem quæris in CHRISTI corpore? quum præter naturam ſit ipſe Dominus IESVS natus ex Virgine? Vera vtique caro Chriſti eſt, quæ crucifixa eſt, quę ſepulta eſt: verè ergo illius carnis ſacramentum eſt, alioquin quomodo verum erit illud Ioannis ca. 6, Panis quem ego dabo, caro mea eſt, pro mundi vita, niſi vera ſit caro Chriſti in hoc ſacramento? Adde, teſtimonio Pauli 1. ad Corinthios 11. clare liquet quòd propter præſentiam Corporis Chriſti in Sacramento altaris, peccatum ab indignè ſumente pertinet ad Corpus Chriſti: ait enim, Qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi mãducat & bibit, non diiudicans Corpus Domini. Quippe inſtruit hîc Paulus Corinthios, ne crederẽt eſſe ſimplicem cibũ in altari, ſed Corpus Chriſti. Adde: quatuor Euangelia, Paulum quoque, Epiſtola prænarrata, iſtud, & iiſdem fere verbis aſſerere: inquit ſiquidem, Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus IESVS in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit & dixit: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur. Similiter & calicem, poſtquam cœnauit, dicens, Hic calix nouũ Teſtamẽtũ eſt in meo ſanguine. & id idẽ apertiſſimè demõſtrat Marcus his verbis, Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur. Quę omnia verba nihil aliud verius ſignificant, quàm verum CHRISTI corpus, hoc in ſacramento eſſe. Nam quum neutrum genus ſit eſſentiæ, nullam aliam eſſẽtiã pronomen Hoc, niſi ipſam veram IESV

1. Cor. 11.

Marc. 14.

humanitatem oſtendebat: alioquin falſa fuiſſet iſta propoſitio, Hoc eſt corpus meũ: quin & verius de agno Paſchali quàm de pane azymo dixiſſet, Hoc eſt, id eſt Significat corpus meum, quod fuiſſe dictum nullus vnquam ſomniauit. Inſuper quando Geneſ. 40. Ioſeph exponens ſomnium dixit, Tres propagines, tres adhuc dies ſunt: ſeu tria caniſtra, tres adhuc dies ſunt, &c. non dixit tres dies ſignificant. Et multum hæc loquutio notanda eſt, vbi aliqua ſignificantia earum rerum quas ſignificant nomine appellantur. Inde eſt
1.Cor.10. quod ait Apoſtolus, Petra autem erat Chriſtus. & non ait, Petra ſignificabat Chriſtum. Adoremus igitur conformes Sanctorum & Eccleſiæ determinationibus, verum Corpus CHRISTI ſub ſpeciebus panis & vini latens, & genu flexo, ad hanc cœnam magnam ſemper accedamus: præſtet fides ſupplemẽtum ſenſuum defectui. Quapropter nunc dicitur, IN conſpectu eius cadent omnes qui deſcendunt in terram: quaſi ab omnibus mortalibus, qui in terram reuoluuntur, tantum ſacramentum latria perpetuo excolendũ ſit. Sed clarius eſt quod hoc in loco ad veritatẽ Hebraicã legit Hieronymus, Curuabũt genu vniuerſi qui deſcendunt in puluerẽ. Tũ demũ ſubnectitur, Et anima mea, &c.

Et anima mea illi uiuet, & ſemen meum ſeruiet ipſi.

Ecce vox Eccleſiæ, quæ poſteaquam quotidiano Angelorũ paſcitur alimento, iam non ſibi viuit, ſed viuit (inquit) anima mea Deo, veluti quæ actiones ſuas omnes ad Deum dirigit: quemadmodum contrà, dæmoni dicitur mortua, quando ad prauas illius ſuggeſtiones immobilis permanet.
Exo. 16. Manna populum antiquum ad terram promiſſionis per deſertum eduxit: hæc eſca cæleſtis, fideles huius ſeculi deuia tranſeuntes, in cælum ſubuehit, vnde rectè viaticum appellatur, quia in via nos reficiens, vſque in patriam deducit: & quemadmodum panis præ cæteris cibis corpus reficit ac
Pſal.103. ſuſtentat, & vinum hominem lætificat atque impinguat: ſic Caro CHRISTI interiorẽ hominem plus cæteris gratiis ſpiritualiter paſcit, & ſaginat. In huius ſacramenti fide vixit Eccleſia & in Patriarchis, & in Prophetis, & in Apoſtolis

ſtolis ab ipſis excuſſis: propterea nũc intonat, ET ſemẽ meũ ſeruiet ipſi: per Semen omnes filios intelligens qui Deo per Euangelium generati ſunt, & quos ipſe CHRISTVS (vt inquit Apoſtolus) Patri ſuo ſubiecit. Cur autem SERVIET cauſa redditur, ſcilicet quia Annuntiabitur Domino, &c.

Annuntiabitur Domino generatio uentura, & annuntiabunt cæli iuſtitiam eius populo qui naſcetur, quem fecit Dominus.

Quidã iſta verba, ANNVNTIABITVR Domino generatio ventura, expoſuerũt, dicentes prophetiã illic cõtineri de Gentilibus illis qui in Hieruſalem quærebãt videre Dominum: ſcribit enim Ioannes acceſſiſſe eos ad Philippũ qui erat à Bethſaida Galilææ, & interrogaſſe eum, dicentes, Domine, volumus videre IESVM: & Philippum deinde id dixiſſe Andreæ, & vtrumque eorum demum id ſimul retuliſſe ad IESVM, & Ieſum reſpondiſſe, quòd venerat hora vt clarificaretur Filius hominis: & hoc modo CHRISTO Domino annuntiata eſt ab Apoſtolis generatio illa Gentilium: illi nimirum Græci, qui exeuntes & accedẽtes ad IESVM, exordiũ quaſi ac principium fuêre Gentilium omniũ qui in Chriſtũ erant credituri. Siue hîc Dauid Spiritu prophetico prædicit qualiter cognoſceretur à Deo generatio fidelium ex Gẽtibus, quæ vẽtura erat in dieb᷑ incarnationis Filij eius. Has Gentes ideo Generationem vẽturam nominat, quia ex aqua & Spiritu Sãcto erant, Domino largiẽte, procreandæ: & vt oſtenderet eas iuſtas, dicit, Domino hanc generationẽ eſſe venturã, cui quidem cæli, hoc eſt Apoſtoli prædicarẽt iuſtitiã Patris, vtpote Filiũ: is enim iuſtitia Patris dictus eſt, quia humani generis inimicũ deſtruxit, qui iniuria illud ſemper ac dãno affecerat. Sed ideo hũc populũ naſciturum & à Deo eſſe commemorat, vt ſic oſtendat qua via omnes in vnitate Eccleſiæ Domino regeneramur. Cõputãtur ſiquidẽ omnes quantũcunq; diuerſorũ meritorũ ad generationem vnam quæ fit per baptiſmum, per quem Chriſtum induimus, & in albo ouilis Dominici inſcripti ſumus. Ecce felici fine clauditur is Pſalm᷑, quo omnes Gẽtes

Ioan. 12.

Roma. 6.

fidem recipientes, populum ſuum, appellat Dominus, quum antea Dei populus non diceretur: quinimmo repulſæ erant & exoſæ. Sed memineris Pſalmos de Redemptoris paſſione agentes, in magna ſpe Chriſtianorum ſemper terminari, vt paſſim credatur ex paſſione IESV CHRISTI ſalus eſſe.

IN PSALMVM XXII.

Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocauit.

Hieronymus hîc pro titulo ad veritatem Hebraicā legit, Pſalmus Dauid. Et quū nihil eorum quæ de ſeipſo Propheta nunc loquitur, excedat perſonā ipſius Dauidis, ſed omnia de eo verificantur, clare colligitur Pſalmum ad literam de ipſo Dauide tractare, ſiue pro eo tempore quando Dauid oraculo Gad Prophetæ receſſit à Rege Moab, & profectus venit cum quadringentis viris in ſaltū Areth, qui erat vber-
1.Reg.16. rimus, de quo 1. Regum cap. 22. ſiue pro Bethlehem terra natali ipſius Dauidis is Pſalmus æditus ſit, quaſi ſic Spiritus Sāctus ſub metaphora Bethlehem & Dauidis vocē Eccleſię CHRISTVM collaudātis reſerauerit. Quippe ſicut Bethlehē, quæ Domus panis interpretatur, recte Eccleſiā gratia ſacramentorū vndiq; fœcundā deſignat: ita Dauid Bethlehemita, verè etiā Bethlehemiticū CHRISTVM referebat. Prophetia igitur nūc eſt inſtitutionis Eccleſiæ per CHRISTVM in loco vberi ſacramentorū: aut vox eſt cuiuſque fidelis de Babylone ad Saluatorē tranſeuntis: tanquā hunc Pſalmū Sanct⁹ Spiritus beato Dauid ex perſona fideliū, qui ex Gentibus fuêre, conſcribendū mandauerit. Itaq; qui in vigeſimo primo Pſalmo habuimus tribulationē paſ-
Pſal. 125. ſionis, in vigeſimo ſecundo Pſalmo lætitiā & fructum reſurrectionis accipiamus: vt quia ibi ſeminauimus lachrymas patientis Domini, hîc metamus gaudia ac dona reſurgētis: CHRISTO moriēte, conſummata Prophetia, ſepulta Synagoga: Chriſto reſurgente ex eius corpore & vulnere redempta fulſit Eccleſia. Sed quid nūc ipſa iuxta ſe habeat videamus, habet virgam, vnde minatur delinquēti: habet baculum,

culum, vnde ſubueniat pœnitenti: habet menſam, vnde det panem credenti: habet oleum, vnde impinguet caput in libertaté conſcientiæ præſumenti: habet calicé, vnde inebriet prædicantes Euangeliũ: habet miſericordiã, quę ſubſequatur ſuos omnibus diebus. Dicant ergo qui volunt, reget me ager me⁹, & nihil mihi deerit: dicat alius, reget me negotiatio mea, aut militia mea, aut induſtria mea, aut ars mea, aut literę meæ, & nihil mihi deerit: nos dicamus cum Eccleſia, Quãdiu Dominus paſtor meus fuerit, non deficiam: quod enim nos dicimus, Dominus regit me, Hebræi dicunt, Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit. Certe qui Deum habet, & qui Deo adhæret nihil boni deeſt ei, vt ait Propheta. Nihil deeſt timentibus eum. Is eſt paſtor præfectus Eccleſię de quo Ezechielis cap. 24, Suſcitabo ſuper ea paſtoré vnum qui paſcat oues, ſeruum meũ Dauid. Paſtor eſt ſecũdum aſſumptũ hominem de Dauid, qui manu fortis interpretatur, qui quum primos fideles ex Gentibus quaſi oues præruptis in locis errabundos inueniſſet, ad ouile ſuum duxit eos, ac pauit. Aſſerit autem Eccleſia ſe IN loco paſcuæ cõſtitutam, non vnde caro corpúſque ſaginetur, ſed vnde anima cæleſti pabulo refecta, ſpiritualis lętitię nitore pingueſcat: & is Locus paſcuæ, diuina lectio eſt: nam ſicut pecudum corporib⁹ pinguediné præſtat ager depaſtus: ita & ſermo diuinus animam nouit fideliter ſaginare meditatus: aut Locus paſcuæ hîc infinita promiſſio ſpéſq; beatitudinis intelligitur, quémadmodum repromittit Dominus per Ezechielé, Ego paſcã oues meas, & nequaquã eas committam malis paſtoribus, & ego eas accubare faciam, vt requieſcãt in ſinu Abraham, Iſaac, & Iacob: atque ſic nomine Paſcuę, futuram beatitudinem intellige. Tũc quod perierat in Gentium populis requiretur, & quod erraverat in hæreticorum perſuaſione, reducetur: & quod confractum fuerat, alligabitur: & quod contritum atque infirmum, conſolidabitur, vt impleatur quod ſcriptum eſt, Qui ſanat infirmitates eorum, & alligat contritiones eorum. Porro perſiſtens Propheta in Paſcendi metaphora, ſubdit, Super aquam, &c.

Pſal. 33.

Danie. 34.

Pſal. 146.

ſuper aquam refectionis educauit me, animam meam conuertit.

Iſtud propter baptiſmi lauacrum dictum eſt, cuius aquæ emundat labem omnem, & pōdus peccatorum proiicimus, ac deinceps requieſcimus. AQVA enim refectionis, eſt baptiſmus, quo reficiuntur qui integritatem viréſque amiſerant, & anima ariditate peccatorum ſterilis fœcundatur:

Matth. 11. Quapropter Dominus dicebat, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Et bene addidit

1. Pet. 2. EDVCAVIT, id eſt paulatim nutriuit, quaſi paruulos & renatos. Sicut Petrus Apoſtolus dicit, Tanquā modo geniti infantes rationabiles & ſine dolo lac concupiſcite, vt in eo creſcatis ad ſalutem: nā poſtquā per baptiſmū in albo filiorū Eccleſiæ aſcripti ſumus, ſtatim ſimplicia rudimenta fidei de vberibus matris, atque ab vtriuſque Teſtamēti receptis doctoribus, cibum quęrere debemus. Verum ſi plura de huius aquę baptiſmi virtute teſtimonia volum⁹, audiamus

Ezech. 36 Ezechielem quomodo de hoc pronūtiet, Aſſumam, (inquit) vos de Gentibus, & aſpergam ſuper vos aquam mundam. & mūdabimini ab omnibus immūditiis veſtris, & dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum. Ab omnibus (ait) mundabo vos ſordibus: in omnibus, nihil prætermittitur. Si ſordes emundantur, quanto magis munditiæ non coinquinantur? Dabo

Galat. 6. vobis cor nouum & ſpiritū nouum: in CHRISTO enim IESV neque circūciſio aliquid valet, neque præputiū, ſed noua creatura: vnde cantamus canticum nouum, & vetere homine depoſito, non ambulamus in vetuſtate literæ, ſed in nouitate Spiritus. Hic eſt calculus nouus cui nouum nomen inſcribitur, quod nemo ſcit legere, niſi qui illud acce-

Roma. 6. perit. Quotquot enim baptizati ſumus in CHRISTO IESV, in morte illius baptizati ſumus. Conſepulti enim ei ſumus per baptiſmū in morte, vt quomodo ſurrexit CHRISTVS à mortuis per gloriam Patris: ita & nos in nouitate, vitæ ambulemus: conſepulti ſumus Chriſto in baptiſmate, & reſurreximus per fidem operationis Dei, qui ſuſcitauit eū

Coloſ. 2. à mortuis: cúmq; eſſemus mortui in delictis & præputio carnis noſtræ, conuiuificauit nos cum illo, donans omnia delicta, delens quod aduerſum nos erat chirographum decreti,

quod

quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci. Dies me deficiet ſi cunꝺa quæ ad potentiam baptiſmi pertinent de Scripturis ſanctis voluero digerere, & natiuitatis ſecundæ, imò in CHRISTO primæ, ponere ſacramenta. Quæ omnia quum ita ſeſe habeant, nil mirum ergo ſi nunc hoc lauacrum baptiſmi Aquam refectionis appellet Propheta. Cuiuſce rei cauſa rudis mundus nec dum ſole rutilante, nec pallente luna, nec aſtris micantibus, quum incompoſitam & inuiſibilem materiam abyſſorum magnitudine, & deformibus tenebris opprimeret, ſolus Spiritus Dei in aurigę modum ſuper aquas ferebatur, & naſcentem mundum in figura baptiſmi parturiebat: plantatur Paradiſus in Eden, & vnus fons in quatuor principia diuiditur, qui poſtea egrediens de templo, & contra Solis ortum vadẽs, amaras aquas mortuáſque viuificat. Peccat mundus, & ſine aquarum diluuio non purgatur: ſtatímque columba Spiritus Sancti, expulſo alite teterrimo, ita ad Noe quaſi ad CHRISTVM in Iordane deuolat, & ramo refectionis ac luminis pacem orbi annuntiat. Hæc vniuerſa de aqua refectionis cum Hieronymo dicta ſufficiant. Subnectit Propheta, quum fuerit longe à Deo per peccatum, tandem Dominus animam peccantem per ſacramentum pœnitentię, coruſcante Euangelio, conuerteret: & loquitur more eorũ qui exinaniti, cibo ſumpto dicunt quòd qui pauit eos, reſtituit eis animam, quaſi eam reuerti fecerit. Merito ergo Vates animam ſuam gloriatur ad CHRISTVM eſſe conuerſam, quæ dudum ſub diabolo probabatur eſſe captiua, quę de fęculenta fit mũdiſſima, & de contracta redditur ſine ruga. Ecce prophetiam ſecundæ tabulæ quam habemus poſt naufragium, ecce medelam qua nobis & vitæ ſuccurrimus, ecce quomodo de inimicis, amici Dei ſumus. Nulla certe tam grandis culpæ macula eſt, quam hęc pœnitentia non auferat: nuſquam ita manus Dei ad puniendum extenta, quin ſtatim eam retinere poſſit, tum compunctionis, tum huius pœnitentiæ virtus: Aſſyriorum impetum, & potentiã Sennacherib, Ezechiæ Regis lachrymę, ſaccus, & humiliatio victus, fregit, proſtrauit & vicit: Ciuitas Niniue imminentem iram

Gene. 1.
Gene. 2.
Gen. 6. 7.
Gene. 8.
Matth. 3.
Pſal. 37.
Ionæ 3.

Domini, animi compunctione detorſit, quam & Sodoma placaſſet & Gomorra, ſi voluiſſent agere pœnitentiam, & la
5.Reg. 21 chrymas pœnitētię, patrocinante conciliare ieiunio. Achab rex impiiſſimus vt ſententiam Dei ſubterfugeret, & euerſio domus eius differretur in poſteros, pœnitentia impetrauit, & ſacco. Porro non ſolum contritionis, ſed & pœnitētiæ ſa-
Ioan.20. cramenti virtus, his verbis Ioannis firmatur, Quorum retinueritis peccata, retenta ſunt: ſicque ſacerdos Euangelicus claue myſterij ligat & ſoluit, atque peccatū remittit, quod Deus & CHRISTVS claue authoritatis ac excellentiæ condonant. Dominus enim (inquit Ambroſius) par ius & ſoluendi eſſe voluit & ligandi, qui vtrunque pari conditione conceſſit: & (vt ait Auguſtinus) CHRISTVS Lazarum de monumento ſuſcitatum obtulit diſcipulis ſoluendū, per hoc oſtendens poteſtatem ſoluēdi conceſſam ſacerdotibus. Verum vide quid poſt tantam receptam in Eccleſia authoritatem, adhuc ei donatur: Deduxit me (inquit) &c.

Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ, propter nomen ſuum.

Hic moralem CHRISTI doctrinam ſemitas ſeu anguſta itinera iuſtitiæ Dauid nominat: quippe (quemadmodum ſcribitur Matthæi cap. 7,) Anguſta porta & arcta via eſt quæ ducit ad vitam: nam ſatis anguſtum eſt, omnia relinquere, vnum ſolum diligere, ad vnū quotidie pulſare, proſpera non ambire, aduerſa non timere: nec omnes hanc viā inueniunt, nec qui inuenerint, ſtatim ingrediūtur per eam: ſiquidem multi, inuenta veritatis via, capti ſecuri voluptatibus, de medio itinere reuertuntur: & ſicut ſagittantibus difficile eſt percutere ſignum, & facile recedere à ſigno: ita inter tot & tanta mundi oblectamenta, quę omnes appetūt, perarduū eſt medium virtutis attingere, quod non niſi multo cum labore, ieiuniis ac vigiliis acquiritur. Quāuis enim
Matth. 11. charitas ſit lata, tamen per anguſta & ardua abducit hominem è terra: & idcirco duntaxat charitate feruentibus iugū CHRISTI ſuaue eſt. Voluptas, vt meretrix importuna, ſuis delectamentis omnes inuitat, & infinitos tandem capit &

pit & decipit. Itaque iam gloriatur Dei famulus ſe CHRISTO incarnato, ad hanc iuſtitiæ notitiam peruenturum, vt poſſet iuſſa Domini facile & complecti & vulgare. Has enim nobis vias Dominus IESVS aperuit, & per eas ingrediens, re ac verbis dux nobis itineris factus eſt: Cœpit enim facere & docere, ne verbum eius opere deſtrueretur. Aduerte autem quòd in hoc ducatu tranſit Pſalmographus à metaphora ad veritatem, & proprietate ſermonis metaphoram occupat, dicens, DEDVXIT me in ſemitas iuſtitiæ: nam iſtud non conuenit oui, ſed homini hactenus ſignificato per ouem: & ex hoc collige prophetiam inſtaurandæ legis per Chriſtum & quantum ad præcepta & quantum ad conſilia, de quibus ſatis dixerunt Euangelia: ſed præceptis addita conſilia, vt melius præcepta ſeruentur. Quæ quidem conſilia, tametſi ea ſeruare minime tenemur, debemus tamē illa non contemnere: nam qui contemnit conſilium Euangelicum, contemnit & conſulentem. His modis Chriſtus diſperſos paſſim homines & beſtiarum more vagos, & quū nihil vel parum ratione animi agerent, ad vnam & veram religionem adduxit, & primùm ſylueſtres & efferos, mites ac manſuetos reddidit, & hoc propter nomen ſuum: vt nemo iam dicat meritis ſuis collatum, quod diuina gratia probat eſſe conceſſum: vel vt res nomini reſpondeat: nam qui ex nomine Saluator eſt, verè etiam mundo ſalutem dedit. Sed certò deduxit me (refert Propheta) Nam & ſi, &c.

Act. 1.

Matth. 1. & 1. Tim. 4.

Nam & ſi ambulauero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

VMBRA mortis, eſt vita præſens: nam quemadmodum mors animam ſeparat à corpore, ita & præſens mundus amatores ſuos ſeparat à Deo: quòd ſiquis cum Deo eſt, erit etiam Deus cum eo. Adde quòd proximi morti hîc quotidie verſamur: ita vt quemadmodum vmbra luminoſum cum opaco adeſſe indicat: ſic quilibet dies huius vitæ ſemper gradus eſt ad mortem. Immo (vt inquit Cicero de Republica) noſtra quæ dicitur vita, non vita ſed mors quædam eſt. Siue Eccleſia inter procellas huius mundi fluctuans, & bonos cū

Matt. 13. malis permixtos (ſicut ſagena miſſa in mare) vſque in diem iudicij continens, recte in medio vmbræ mortis ambulare dicitur. Vmbra nẽpe duobus modis, id eſt à corpore & à lumine fit: per corpus, mors intelligitur: per vmbram, peccata & ignorantia. Itaque quanuis Eccleſia aut fidelis quiſque inter hæc mala ambulet, nuſquam tamen timet, quia Dominum ſemper apud ſe habet. Sic nobis repromittitur Matthæi cap. vltimo, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationẽ ſeculi. Quibus verbis ſatis oſtenditur quæ ſit merces piæ conuerſationis, quódve pignus futuræ beatitudinis. Qui enim vſque ad conſummationem ſeculi ſe futurum eſſe cum fidelibus promittit, & illos oſtendit ſemper eſſe victuros, & ſe nunquam à credentibus receſſurum. Mala autem hac in vita non timenda, tẽtationes ſunt & calamitates, quibus ſemper fidelis quiſque atque Eccleſia fortiores reddũtur: quin & iſta præſens tribulatio poteſt etiã nõ immerito Vmbra mortis nominari. Nam ſicut vmbra protegimur à calore Solis, ſic per inſtãtes tribulationes liberamur à futuris. Itaq; Deo protectore ſemper ſiue iuſtus ſiue Eccleſia tutò ambulat, atq; propterea dicit, Virga, &c.

Virga tua & baculus tuus ipſa me cõſolata ſunt.

1. Regum VIRGA, paſtoralem directionẽ, BACVLO, diuinum adiutorium mortales ſuſtentans, intellige. Et fuit impletum vtrunque in Dauide deducto inter tot perſequutiones Saulis, ac pericula bellorum ſine lapſu in crimina, & ſine læſione corporis aut vulnere: Siue quia Virga eſt qua errãtes corrigimus: Baculus vero cui puſillanimes innituntur, vox eſt aut redempti, aut Eccleſiæ ad Chriſtum dicentis, Tu & peccantes correxiſti, laborantéſque ac labantes ſtabiliſti, & vtroque pacto nobis opem tuliſti. Illud autem aduertendum eſt quòd Græca dictio παρεκάλεσαν, nõ tantum ſignificat Conſolata ſunt, ſed etiã Aduocauerunt: vnde Paracletum, Aduocatum & conſolatorẽ interpretamur. Ordo igitur ſic fiat: ipſa duo hęc, Virga nimirũ & Baculus, aduocauerunt me, hoc eſt admonuerunt: nam qui aliquẽ admonet, aduocat eum & trahit ad id quod cõfert. Virga igitur leuis correptio, Baculus, grauior intelligitur: vel Virga eſt diſciplina, quia vir-

quia virga percutimur: & Baculus eſt ſuſtẽtatio & conſolatio futura. His duobus erudimur, ſimul admonemur & conſolamur: Erudimur quidem, nam corripit Domin⁹ omnem filium quem recipit: Conſolamur autem, quia (teſte Paulo ad Hebræos cap. 12) Omnis diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij ſed mœroris, poſtea autem fructum paratiſſimum exercitatis per eam reddit iuſtitiæ. Nãque omnis diſciplina & caſtigatio CHRISTI adiuuat, etſi ad tempus nos pro ſua diſtrictione contriſtet: quemadmodum medicina quanuis amara, tamen quia opem & ſalutem adfert, tãdem ægro grata redditur. Et aliter Virga quidem pro Dei iudicio ſumi poteſt, & Baculus pro prouidentia, quorum vtrunque nos ad ſalutem aduocat. Deinde ſubnectitur ſeptima gratia collata Eccleſiæ, quæ eſt menſa Domini: Paraſti in conſpectu, & cætera.

Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos qui tribulant me.

Poteſt hoc extendi ad Ammonitas & eorum auxiliatores, coram quibus ſubactis, Dauid abundauit. Siue MENSA eſt ſacra Scriptura, per quam reſiſtimus tentationibus, ſicut CHRISTVS cum dictis Scripturæ reſpondebat tentatori diabolo, Matthæi cap. 4. & hæc in conſpectu noſtro parata eſt & expoſita, habens diuerſorum ſenſuum lautitias, quibus tanquam cibis ſpiritualibus reficiamur, atque conſolemur, ne quandoque inter huius mundi aduerſa deficiamus: Hęc eſt opiparè diuinæ ſapiẽtiæ menſa, multa ferculorum varietate referta: ſumit in ea quiſque, quid & quantum ſatis erit, vel vſq; ad ſobriã ebrietatem Spiritus, ad quã ſponſus inuitat chariſſimos, Cãtico 5. dicẽs, Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi. In ea ſal apponitur, iuxta legis figurã præcipiẽtis in omni ſacrificio ſal apponi. Caueam⁹ ne aliquãdo ipſum nobis nõ ſapiat, aut aliis per ineptias ſcribẽdi infatuatũ reddatur. Porro in ea lux eſt, & lucerna lucens ſemitis Chriſtiani: quippe cõplectitur nouũ & vetus Inſtrumentũ. Senſit hãc lucẽ Auguſtinus, dũ obediens cæleſti oraculo, Tolle, Lege, tolle, lege, coniectis in Scri-

2. Reg. 10

Leuit. 2.

ptura Apoſtoli oculis mox depulſæ ſunt ab eo dubitationis tenebræ, luce ſecuritatis infuſa. Hanc autem (inquit Chriſto Eccleſia) IN conſpectu inimicorum meorum paraſti, vt videntes dolore tabeſcerent, vel aduerſus eos, hoc eſt contra id quod cupiũt: illi enim mœrore me ſemper ac triſtitia magis afficere ſtudent, nunc hæreſi, nunc ſciſmate, nunc gladio vndique me ferientes. Vel Menſa hoc in loco eſt illa menſa altaris, in qua CHRISTVS cibus eſt & potus, perfectior quocunque manna, & alia quauis virtute humana. Vnde Ioãnis cap. 6. dicitur, Non Moyſes dedit vobis panẽ de cælo (etſi de aere) ſed Pater meus dat vobis panem de cęlo verum. Hoc cibo ſtabilimur, & perire non poſſumus, ab ipſo firmi facti in æternum. Hinc Beatus Auguſtinus refert ſibi dictum libro 7. ſuarum confeſſionum, Cibus ſum grandium, creſce & manducabis me, non tu me in te mutabis, ſicut cibum carnis tuę, ſed tu mutaberis in me. Quemadmodum enim CHRISTVS in vnam perſonam aſſumpſit naturam humanam, non conſumens eam in ſeipſo, ſed in vnitatem perſonæ traxit, vt in ipſo eſſe diuinum perciperet: ſic conuertit nos ad ſe non conſumendo, ſed vt eſſe ſuũ diuinum in ſui ſumptione per Euchariſtiã percipiamus. Et

Cant. 1. propterea orat ſpõſa, Trahe me poſt te, vt in eſſe tuo & virtute feliciter ſim, quę mihi diſpliceo in meipſa: Hęc ergo eſt cõuerſio alterans manducantẽ qui conuertitur in CHRISTVM quem manducat, quia virtutem accipit à CHRISTO manducato: per quam iam non viuit ſecundum carnem, ſed viuit ſecundum Chriſtum: hac enim mãducatione,

Ephes. 5. incorporatur ſumens, Chriſto. De qua incorporatione loquitur Apoſtolus, Vos eſtis corpus CHRISTI, & membrum de membro, id eſt, membra eſtis ſpiritualia Chriſti de membro, capite, quod eſt Chriſtus, qui vobis hanc influit virtutem, quæ vos in ipſum conuertit, vt membra eius efficiamini. Nullus certe inuenitur illapſus intimior in corporalibus, quàm vt cibus conuertatur in cibatum: manet enim iam non in ſe, ſed in cibato, viuit vita eius nõ ſua. Sic in ſumptione huius cibi ſacramentalis fit conuerſio, & illapſus intimus, quo cibus Chriſtus illabitur animæ ſumentis, ipſámque conuertit in ſe, vt anima iam non ſibi viuat ſed Chriſto.

Et iſtud

Et iſtud ita fieri Dominus teſtatur Ioãnis cap. 6. dicẽs, Qui manducat meã carnẽ & bibit meũ ſanguinẽ, in me manet & ego in illo. Beatũ igitur conuiuiũ, felix iſta ſaturitas, iucundæ huiuſmodi epulæ, quæ parantur aduerſus eos de quibus ſcribit Apoſtolus, Qui manducat & bibit indignè, iudiciũ ſibi manducat & bibit, non diiudicans Corpus Domini. Porro ſequitur octaua gratia, Impinguaſti, &c. 1.Cor. 11.

Impinguaſti in oleo caput meum, & calix meus inebrians quàm præclarus eſt.

Hoc verborum contextu pinguedinem regni Dauidis, quod vnctione capitis tradebatur, intellige: quum autẽ ſequitur, CALIX meus inebriãs quàm præclarus eſt: dictio Hebraica ſonat Calix potans ſiue plenus: in quo ex abundantia potus, reliquorum delectabilium temporaliũ plenitudinẽ ſignificauit Pſalmographus. Siue iſta ad Eccleſiam referendo: caput fidelium, CHRISTVS eſt, qui recte dicitur impinguatus, in oleo nimirum ſpiritalis gratiæ: nam nulla ariditate peccati exaruit: quapropter cætera membra lætantur, quippe à capite deſcendit hoc vnguẽtum in barbam barbam Aaron, & in oram veſtimenti eius. Nam ſtatim poſt CHRISTI aſcenſionem venit Spiritus Sanctus in Apoſtolos rectè per barbã (quæ ſignũ virilitatis & fortitudinis eſt) deſignatos, & hi primos impetus tyrannorum ſuſtinuerunt, nec vinci potuerunt. Deinde deſcẽdit hæc vnctio Spiritus, in orã veſtimenti Aaron, puta reliquos in Eccleſia præfectos qui in vnũ habitant, qui hanc legẽ Domini implent, quæ eſt ſupportare inuicẽ, qui Eccleſiã, ſicut fimbria veſtẽ, ſuis egregiis operibus adornãt. Ad hãc pinguedinẽ Spiritus deſignandũ, quondã Deus vnxit Prophetas, conſecrauit Reges, atq; oliua pacis indiciũ eſt: hæc enim Noe per columbã nuntiauit terris redditã ſoſpitatẽ. Proinde ſicut oleum nitet, ita mens hoc cæleſti rore perfuſa, vndique lucida & pura eſt, atque bonũ odorẽ ſuũ in alios diffundit, neque tribulationes multæ ſi irruãt, poſſunt vnquam huius domũ euertere, quæ fundata eſt ſuper firmã petrã. Fortaſſis etiã vnctionẽ olei baptiſmatis nunc prædicit Propheta, atque chriſma ſalutis, quod ad robur atque ad cõſtantem red-

Pſal. 132. Acto. 2. Gen. 8. Matth. 7.

dendam vocationẽ noſtrã in ſacramento cõfirmationis re-
Iacobi 5. cipimus. Deniq; oleũ infirmorũ in extrema vnctione ad ſanandũ vulnera quæ per ſenſus corporeos perpetrauimus,
Matt. 26. ſic refertur: aut vnguentum illud quo Dominus vnctus eſt à muliere, modo prænũtiatur. Deinde ſubnectit Dauid quàm præclarũ ſit poculũ Euangelicorũ ſermonũ, quod inebriat: nam excedere facit hominẽ à priori ſua pertinacia, atque obliuiſci priorũ vanarũ delectationũ, & per prædicationẽ Euangelij vſque adeo compungitur in mente, vt, teſtante
Matt. 10. Matthæo, ſeparetur filius aduerſus patrem ſuũ, & filia aduerſus matrẽ ſuã, & nurus aduerſus ſocrũ ſuã, quaſi hæc omnia ſemper poſt Deũ diligantur, & interim bellũ mittitur
Ioan. 4. bonũ, vt rumpatur iſta pax mala. Hic eſt fœcundus calix de quo qui biberit, fit in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Aqua corporalis deorſum fluit, aqua hæc ſpiritualis ſurſum ſalit, & ſecum eos qui eam bibunt in æternam glo-
Gala. 5. riam ſubuehit: nam fides quæ per dilectionem operatur, ſic naſcitur, & tandẽ in vitam tranſit æternam. Vel aliter poculum incruenti ſacrificij intelligitur quod ſic inebriat, vt mentẽ ſatiet, à delictis prohibens, non ad peccata perducens. Itaque quàm præclarus eſt calix iſte animam ita inebrians, vt præteritæ vitæ malæ immemor ſit, & per amorem prorſus in Deum mutetur: amor ſiquidem Dei feruens eſt, tranſmutat amantem in amatum. Poſt hæc ſubinfertur decima gratia, Et miſericordia tua, &c.

Et *miſericordia tua ſubſequetur me, omnibus diebus uitæ meæ.*

Is qui regno pulſus fuerat ob ſua delicta, non audet aliter quàm per miſericordiã Dei, ſibi repromittere regnum: Seu ſi eſt vox Eccleſię ad Chriſtũ, mirũ, quum miſericordia Domini ſemper præcedat, quomodo hîc dicit, Ipſa miſericordia tua ſubſequetur me. Subſequitur vtiq; ad iuſtitiã, ſed præcedit ad gratiã conferendã: nã ſi ſolũ ſubſequeretur, nemo donata perciperet: ſi tantũ pręcederet, nullus poſſet collata ſeruare: grauiſſimæ ſunt enim inſidiæ quas à tergo diabolus parat, & niſi Domini miſericordia ſubſequatur, facillime fragilitas humana decipitur. Tunc enim quãdo ſe aliquis

quis vitiū euaſiſſe credit, incauta magis ignorātia irretitur. Vnde nimis neceſſariū eſt vt ſemper nos & gratia Domini præcedat & miſericordia ſubſequatur, quin, miſericordia quæ præceſſit ad gratiā conferendā, ſubſequatur & nō deſit ad cuſtodiā: hoc pacto miſericordia Domini nolentē præuenit, vt bene velit: volentē adiuuat, vt perficiat: operātem ſubſequitur, vt perſeueret: ita vt iam vera ſit hæc Pauli ſententia, Quid habes quod nō accepiſti? ſi autē accepiſti, quid gloriaris quaſi nō acceperis? Quid enim boni ex nobis habemus quod à nullo didicerimus, vel Dei dono minime cōſequuti ſumus? Quapropter (inquit Gregorius) tāto humilior & ad ſeruiendū Deo promptior quiſque debet eſſe ex munere, quanto obligatiorē ſe eſſe conſpicit in reddenda ratione. Aut poteſt hîc colligi prophetia virtutis atque efficaciæ ſacramentorum, quæ eſt miſericordia & gratia in præſenti, & vita æterna in futuro. Nempe (quēadmodū ſcribitur ad Hebr. 10,) quia impoſſibile erat ſanguine hircorū & taurorū auferri peccata, ideo Fili⁹ ingrediēs mūdū, Deo Patri dicit, Hoſtiā & oblationē noluiſti, à tēpore ſcilicet paſſionis meæ, in quo eſt cōſummatio omniū hoſtiarū, ſed corpus aptaſti mihi quod præ omnibus ſacrificiis eſt, & quū holocauſtomata pro peccato amplius nō placuerūt tibi, tūc dixi, Ecce venio. Quod præſenſerat Iſaac Gen. 27, dicēs, Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Sed vt tantus odor gratiæ, quo Filius plenus erat, ad nos qui peccatis male olebam⁹, diffunderetur, ſemetipſum obtulit Deo & Patri pro cunctis, iuxta illud ad Epheſ. 5, Dilexit nos, & tradidit ſemetipſum oblationē & hoſtiā Deo in odorē ſuauitatis: Tūc fractū eſt alabaſtrū, & domus Eccleſiæ repleta eſt ex odore vnguenti: tunc de hac plenitudine accepimus omnes, dum nō ſolū placatus eſt Deus hac Chriſti paſſione, ſed & quotidie placatur cōmemoratione & ſignis rememoratiuis huiuſmodi paſſionis, quæ quidē ſigna ſunt noſtra ſacramenta à CHRISTO Chriſtique paſſione efficacia. Et quum in ſe Mediator vitam haberet, mortuos viuificare potuit, quin & dare nobis ſigna ſeu ſacramenta à morte animæ curantia: vnde ſuper illud ad Epheſ. cap. 5, Sacramentū hoc magnū eſt, ego autē dico in CHRISTO

1. Cor. 4.

Marc. 14. & Ioā. 12.

& Eccleſia, ait Auguſtinus. Dormiuit Adam vt fiat Eua, mõ
Gen. 2. ritur CHRISTVS vt fiat Eccleſia. Dormiente Adam, fit
Joan. 19. Eua de latere, mortuo Chriſto percutitur latus lancea vt profluãt ſacramẽta quibus formetur Eccleſia. Ecce quomodo & quando facta gratia ac miſericordia ſacramẽtorũ. Tũ demũ ſequitur ad quem ſcopũ vnumquẽque fidelẽ illa tandẽ perducãt: videlicet, inquit catholicus, Et vt inhabitẽ, &c.

Et ut inhabitem in domo Domini in longitudine dierum.

Totus præſens verſiculus rectè his omnibus ſuperioribus verbis iũgitur, Collocaſti, Educaſti, Deduxiſti me, &c. atque ex ſententia iſtius literæ hoc vnum reſultat. Eccleſia hîc quaſi in tabernaculo conſiſtit: nam ſicut tabernaculum mutatur de loco in locum, ſic & Eccleſia de iſto tabernaculo trãſfertur in domum, hoc eſt in vitam æternam ſiue perpetuam, vbi in ſeculum habitabunt ſancti in longitudine dierum, & diebus ſine fine. Diſcedimus enim ex hoc mũdo
Hebr. 13. tanquã ex hoſpitio (dicebat Plato) neque habemus hîc manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus: quæ eſt domus Domini non manu facta, ſed æterna in cælis, vbi ſanctorum eſt habitatio, vbi nulla dierum varietas, ſed vnus dies & vna æternitas.

IN PSALMVM XXIII.

Domini eſt terra & plenitudo eius orbis terrarum, & uniuerſi qui habitant in eo.

Nonnulli ita titulum huius Pſalmi legunt, Dauidi Pſalmus, & annotant cum Hebræis quòd tranſpoſitio iſtius dictionis (Dauidi) in titulis Pſalmorum, ſignificat diuerſa tempora aduenientis Spiritus Sancti in Dauidẽ. Quando enim hæc dictio (Dauid) præponitur, infuſio Spiritus Sancti ſequebatur, quando verò hæc vox (Pſalmus) præponitur, infuſio Spiritus præueniebat: ſed vtcunque res ſeſe habeat, nos nunc titulum cum multitudine Latinorũ doctorũ recipiemus taliter legentes, Pſalmus Dauid in prima Sabbati: quaſi iam Dauid hîc illam diẽ reſurrectionis Domini prædixerit,

dixerit, quam Euangeliſtæ primam Sabbatorum manifeſte appellarunt, quæ fuit dies Dominica, conditione primæ lucis, & triumpho dictæ reſurrectionis inſignis. Dies enim Dominicus, primus eſt poſt Sabbatum, à quo Hebræi ſuos dies hebdomadæ dinumerabant, & ſeptimam diem vocabant Sabbatum, id eſt quietẽ, ratione geneſis mundi, quòd Deus ea die conſummato vniuerſo opere quod patrarat, quieuerit: provt Chriſtiani etiam hunc diem quietis nominãt, quòd Domin⁹ vitę, illa tota die quieuerit in ſepulchro. Mox ſequitur prima Sabbati, ſiue dies Dominicus, quo die mundus primũ eſt cõditus & homo per reſurrectionẽ Chriſti reſtitutus. Diſcãt ergo Iudæi ſicut die Dominica pluit illis Dominus manna, nõ in Sabbato, ita nihil amplius ſuis in antiquis ceremoniis, ſed noſtro in nouo CHRISTI teſtamẽto ſemper fidant. Iſtud autẽ modo obſeruandũ eſt, quòd quũ in Græca lectione, Vnã Sabbatorũ legimus, Latini interpretes paſſim Primã dixerunt: in qua quidẽ die dixit Dominus, Fiat lux: in qua die panẽ angelorũ mãducauit homo: in qua die ipſe Dominus (provt dictum eſt) reſurrexit à mortuis. Quæ dies idcirco in titulo ponitur, quia in ipſa Chriſtus lucratus eſt terrã, quã in principio creauit, atque monarchiã mundi adeptus eſt: hanc enim Chriſtus inquãtũ Deus, ſemper habuit, quia creator: ſed inquãtum homo, apertiſſime in reſurrectione adeptus: quemadmodũ ipſe loquitur Matth. 28, Data eſt mihi omnis poteſtas in cęlo & in terra. Itaq; de hac glorificatione Domini, quæ prima Sabbati facta eſt, tractat is Pſalmus, atque etiã ad literã agit de totius mũdi ſalute per aduentũ Regis gloriæ, hoc eſt Meſſiæ. Atque quũ Paulus 1. ad Corinth. cap. 10, principio huius Pſalmi vtatur, dicẽs, Domini eſt terra & plenitudo eius, ad oſtendendũ per Chriſtũ eſſe amotũ iugum legis antiquæ de cibis immundis, ſatis patet adhuc in hoc Pſalmo Prophetam oſtendere tempus Meſſiæ, fore tempus libertatis à ſeruitute legis Moſis. Quamobrem Pſalmus iſte continet vocem Prophetæ interdũ de regno Chriſti, interdũ de Eccleſia loquentis, vt ſicut nullus à Domini imperio, ita nec ab eius fide ſit vſquã alienus: & dum clarificatus Dominus in fide omnium Gentium annũtiatur, totus orbis fiat Eccleſia

Mat. 28. & Marc. 14.

Gen. 2.

Exod. 16.

Marc. 16.

Gen. 1.

eius. Sed magis præſentibus quadrat quod nonnulli hic ad veritatem Hebraicam legunt, Domino eſt terra & plenitu-
1.Cor.10. do eius: tametſi Paulus loco prænarrato aliter vertat, vtens tranſlatione ſeptuaginta Interpretum, & ſcribens Græca lingua: nã ſic litera ſonat totã terrã ordinari ad nutũ Domini, quod profecto verum eſt. Nanque animalia, & quæuis alia de creaturis plenitudo, ei ſemper ſubſeruiũt. Quod vero ſubiũgitur ORBIS terrarum, appoſitiuè legendum eſt: & figura rotunditatis terræ, intellige ꝙ nunc de vniuerſa terra loquatur Propheta: atque ſimul accipe differẽtiam tẽporis Meſſiæ, à tempore legis Moſis: nam illo tempore dicebatur Domino terra promiſſionis, & non terra abſolutè: ſola enim terra illa, ſoli habitatores illius ſeruiebant & fructificabãt Domino: tẽpore autẽ Meſſiæ habitãtes in vniuerſo orbe Deo fructificãt per fidem diffuſam vbique: nempe ex illo tempore quo de ſepultura Chriſtus reſurrexit, & diſcipulis apparuit, ſtatim Domini effecta eſt omnis terra, quę antea ſub dęmonũ poteſtate detinebatur, & paſſim pro idolis templa Deo erecta ſunt, prædicatione fidei vſque ad terminos terræ dilatata. Tũc Eccleſia fructifera bonorũ, terra Domini facta eſt, illi pura mẽte famulando, plenitudo quoque eius (puta omnes ſancti quos gremio cõtinet) CHRISTUM ſequi cœperunt. Cõſidera vero ꝙ nunc contextus literæ habet, QVI habitant in ea: quaſi dicat Dauid, Hi verè ad Eccleſiam pertinent, non qui aliquando cõueniunt
Epheſ. 4. & mox recedũt, atque omni vento doctrinę circũferuntur, ſed qui fixa mentis ſtabilitate in eius fide perſeuerant. Habitare enim, Manere dicimus, quod errãtium non eſt, quod mutabilitati non congruit: ſed ille ſolus Eccleſiam habitat, qui quoad viuit, ſemper in fide rectiſſima permanet, proũt
Pſal. 26. alio in Pſalmo ſcriptum habemus, Et inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. At merito Eccleſia eſt Domini, Quia ipſe ſuper maria, &c.

Quia ipſe ſuper maria fundauit eam, & ſuper flumina præparauit eam.

Imprimis reddit Propheta rationem diuinæ curæ circa

fructum ac ſalutem totius terræ, quia videlicet ipſe Deus ſuper maria fundauit eam, quum fecit congregari aquas in vnum locum & apparere aridam. Quanuis enim terra ſit grauior aqua, & propterea tota aqua deberet naturaliter circuire vndique vniuerſam ſuperficiem terræ: tamen Deus in principio diuiſit aquas ab aquis, & apparuit arida, quæ præberet habitationem hominibus & beſtiis. Sic facti mon tes aquis eminentiores, ſic ſtabilitæ valles per quas fluerent fontes, ex quibus fiunt flumina quæ ad mare currunt, de quibus inquit Eccleſiaſtes, Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant. Ex quibus forſitan ille idem ſatis innuit aquas per occultas terræ venas ad capita fontium regredi, & de matrice abyſſi in ſua ſemper ebullire principia: ſicque non improbabile eſt, quòd per vias ſubterraneas de mari fluant aquæ ad loca remota, & motu naturali tantum aſcendant, quanta eſt altitudo ſuperficiei maris, quin & amplius efferantur: nam ſic aquæ maris ſalſæ, tranſeundo per terrã dulceſcunt, & proinde leuiores fiunt: atq; dum erumpunt in fontes ac flumina altiori loco quàm ſit ſuperficies maris ſita, facile iterum naturali motu ad mare fluunt, quum ſemper graue natura ſua tendat deorſum. Sciendum tamen eſt quòd Magnus Baſilius ſolum Domini imperium pro fundamento terræ eſſe dixit, non aquam neque aliud quidpiam: per præſentem autem verſiculum oſtendi tantùm quiſnam ab initio creationis mundi, aquæ ſitus fuit, quòd ſcilicet in terra aqua recumbat, & quaſi eam cuſtodiat & cõtineat, nec ab eius diffluat ſuperficie: iuxta quem ſenſum congruentius fortaſſis legendum eſſet, quod Græca litera non denegat, Ipſe in maribus fundauit eam, & in fluminibus præparauit eam. Ipſam vero aquam non abs re & mare, & flumina à Propheta appellatam fuiſſe conſtat, ob aquarum in eis multitudines, quandoquidem & propterea Moyſes congregationes aquarum appellauerit maria, vtendo more Hebręorũ, qui omnẽ magnã cõgeriem aquę, MARE nominãt, prout apud Euangeliſtas legis de mari Tiberiadis, & mari Galilęæ, licet apud Lucã dũtaxat ſtagnũ Geneſareth appel-

Gen. 1. Ibidem. Eccleſiaſtes 1. Gene. 1. Ioan. 6. Matth. 4.

letur? Aut ad Eccleſiam de qua præcedenti verſiculo meminimus, præſentia referendo: quid eſt Super maria ipſam fundare, niſi ſupra vitiorum huius ſeculi tremulos fluctus eam firmiſſima fide ac ſpe ſolidare, atque mundo altiorē reddere? Quibus virtutibus adornata inter procellas huius ſeculi nihil ſibi timet, ſed(ſicut iacta in mari anchora) firmiſſima ſemper inter huius orbis vndas, ſpirituales nequitias, in cæleſtibus manet tuta, & vndecunque perflent venti, ſemper immota eſt, & nunquam cadit. Fun-
Matth. 7. data ſiquidem eſt ſuper petrā, id eſt CHRISTVM, in quē credit. Ab hac petra (inquit Hieronymus) Apoſtolus Petrus ſortitus eſt nomē, ſicut ipſe CHRISTVS lumen Apoſto-
Matth. 5. lis donauit, vt lumen mundi appellarentur. Super huiuſcemodi petram non inueniuntur ſerpentis veſtigia. & Moyſi
Exod. 33. (eo tēpore quo de AEgypto fugerat, & lepuſculus Domini erat) de hac petra dictum eſt, Sta in foramine petræ, & poſteriora mea videbis: nam per fidem etiam CHRISTVM incarnandum vidit. Habens autem tam firmum fundamentum Eccleſia, etiam ſuper flumina à Domino præparata eſt. Per FLVMINA cupidos ac potentes huius ſeculi intelligendo, qui ſicut flumina continuo ad mare vergunt, ita præcipites ad omnes orbis aſſequendas diuitias feruntur, & nunquam ſatiantur, aut quieſcunt, ſed ſemper habendis acrius inſudant. Super hos erecta eſt Eccleſia, vt illis prædicet, & reſipiſcant qui taliter ceciderunt: neque iſtorū magnatum potentiam aut vim reformidat, etſi contra eam
Matth. 16. inſano mentis furore debacchantur: nam (teſtāte Matthæo) neque portæ inferi aduerſus eam præualere poſſunt: quæquidem portæ inferi, ſunt peccata, minæ, blandimenta, hęreſes, quibus infirmi ruunt in mortem, atque his illecti homines, ducuntur ad tartarum. Sed Eccleſia ſtabile CHRISTVM habēs fundamentum, facile hæc omnia vincit. Verum enimuero ecce iam in alto & ſublimi ipſa poſita eſt. Et quis aſcendet, &c.

Quis aſcendet in montem Domini, *aut quis ſtabit in loco ſancto eius?*

Nunc loquutio eſt metaphorica: ASCENDERE enim ſumitur

ſumitur non pro Aſcenſu corporis, ſed pro aſſequutione eminentiæ tempore Meſſiæ promiſſæ, ſignificatæ per montem Domini. STARE quoque in loco ſanctitatis eius, pro permanentia in loco in quo fulgebit ſanctitas diuina (hoc eſt in cælo) accipi poteſt. Itaque modo oſtēdit Propheta quales eſſe debeāt qui ſe ipſius CHRISTI deſyderāt nuncupari, quíque digni ſunt aſcendere in mōtem, hoc eſt Eccleſiam CHRISTI, quæ inſtar montis eſt, firma & ſupereminens virtutibus. Sed vox QVIS, quæ ſequitur, etiam pro raritate ponitur, ac ſi dicat, Quis ſtabit, hoc eſt perſeuerabit in hac ſemel inchoata Chriſtiana iuſtitia? Nā multo vtilius eſt in ſancto loco ſtare, quàm ad eius faſtigiū peruenire, & mox cadere. Aſcendere multorū eſt: Stare autē & aſcendere tantū perfectorum: plurimi enim aſcendunt qui non perſeuerant, quia multi vocati, pauci vero electi. Aut iſta de ſacerdote Euangelico qui in montem Domini ſanctam Eccleſiam aſcendit, puto prædicta eſſe, vt deſcriberet Vates qualem eum eſſe oporteret quem vult Paulus irreprehēſibilem eſſe, vt nulli vitio mancipatus ſit: ſobrium, ſiue (vt melius teſte Hieronymo libro primo aduerſus Iouinianum in Greco dicitur) vigilātem, pudicum, ornatum & caſtitate & moribus, hoſpitalem, vt imitetur Abraham, & cum peregrinis immo in peregrinis CHRISTVM ſuſcipiat doctorem: nihil enim prodeſt conſcientia virtutum frui, niſi & creditum ſibi populum poſſit inſtruere: vt valeat exhortari in doctrina, & eos qui contradicunt redarguere: non vinolentum, quia ſemper in Sancto Sanctorum eſt, & qui offert hoſtias, vinum & ſiceram non bibet, quia in vino luxuria eſt: nō percuſſorē, id eſt qui cōſciētias non percutiat ſingulorū: neq; enim pugilē deſcribit ſermo Apoſtolicus, ſed ſacerdotem & pōtificem inſtituit quid facere non debeat. Hæc ſunt ſacerdotis CHRISTI inſignia. Per MONTEM vero Domini, etiā cōmune vnicuiq; templum intelligas, ob ſummam eius excellentiam, & conſpicuam omnibus claritatem ſic dictū: & quia aduerſis vndique flatibus inimicorū fidei circūflatur. & per LOCVM ſanctum, altare quod in conſpectu Dei eſt. In huiuſce rei figuram forte Abraham in monte nomine Moraim ſiue (vt

Matth. 20 & 22.

1. Tim. 3.

Gene. 18.

Tit. 1.

Leuit. 10.

Theſ. 5.

alij dicant) Moria collocauit Aram. In eodem colle poſteà
Gene. 28. vbi obdormiuit Iacob, vidit ſcalam cuius ſummitas cælos tangebat, & Dominum innixũ ſcalæ, dicentem ei, Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac &c: & quum euigilaſſet, ſignato loco, vocauit eum Betheb, quod interpretatur Domus Dei: quaſi Eccleſia, templum Dei, ſemper in monte ſeu in ſublimitate virtutum erigi debeat. Iſtis omnibus interrogationibus quomodocũque illas intelligas, hoc vno laconiſmo reſpondet Dauid, Innocens manibus, &c.

Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in uano animam ſuam, nec iurauit in dolo proximo ſuo.

Superioris verſiculi verba per interrogationẽ à Propheta formata ſunt, ad quorum reſponſionem præſens ſubſequitur verſiculus: Et per MANVS quidem, actiones ſignificat, per COR vero, cogitationes. Ille (inquit) aſcendet & ſtabit cuius & actiones irreprehẽſibiles & cogitationes vnà puræ fuerint ac mũdæ: quaſi aſcenſurũ illũ neget aut permanſurũ
Matth. 5. qui huiuſmodi nõ fuerit. Beati igitur mũdo corde: cui enim mens pura, & opus inde ſequens nitidum erit, quia (vt in-
Matth. 7. quit Matthæus) omnis arbor bona fructus bonos facit: quẽadmodum de ſpinis non colliguntur vuæ, quin à radice fructus arboris pullulat, ſed quod arbori radix, hoc homini ſua voluntas eſt. Nam ſicut arbor radicatur in terra, ſic voluntas in anima: & proinde radicis liberæ, & neceſſario ortorum non aliunde liberorum non eſt diuerſa bonitas moralis, vel malitia: in quo ſenſu certum eſt opus exterius interiori diuerſam bonitatem vel malitiam non addere, ſed ea ex interiori (à quo prorſus velut à radice pendet) omnino reſultat. Conſidera igitur quomodo vtraque hæc pariter coniunxit Dauid, opera ſcilicet & mentem. Diuinum nempe mãdatum obligat etiam ad opus exterius, prout te-
1. Ioan. 3. ſtatur Ioannes prima ſua Canonica dicens, Filioli, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate: alterum enim ſine altero non probatur. Mox amplius explicat Dauid quis denique iſto pacto ſit innocens, QVI videlicet non

cet non accepit in vano animam ſuam, vtpote qui anima ſua, quæ ad bona opera fuit creata, ad praua vſus nõ eſt: ſed eam immortalem ſentiens, æternitatem ſtabilem atque incõmutabilem, ſtudioſis actis ei acquiſiuit. IS enim in vano accepit animam, qui putat deſyderanda, quæ ſunt vel tranſitoria, vel caduca, relicto amore æternorum, atque otio vacans infructuoſe viuit, & in vinea Domini non laborat: ſed hominem exteriorem de limo terræ formatum multa ſollicitudine perficit: interiorem verò ad Dei imaginem creatum, vt vile mancipium, verbi Dei fame & ſiti cruciari permittit. Quod deplorans Pſalmographus, alio in loco dicit, Percuſſus ſum vt fœnum, ardore ſcilicet concupiſcentiæ, & aruit cor meum ſterilitate bonorum operum, quia oblitus ſum comedere panem meum. Panem, inquam, non vtique corporalem, cuius non ſinit obliuiſci quotidiana eſuries, ſed ſpiritualem, puta Verbum Dei, quod animam charitatis vbertate impinguat, & ſuperfluum temporalium amorem omnino repellit ac reſecat. De quoquidem amore Verbi Dei, Matthæi cap. 13. ſcriptum eſt, Qui habet dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo: neque enim poteſt aliquid ſapienter intelligere, qui caput non habet ſapientiæ. Quapropter Iudæis qui non credunt in Filium Dei; etiam ſi quid boni per naturam habent, tollitur: & tunc non immeritò talia naturæ dona cenſentur auferri, quando inutiliter habentur, ac detrimentum culpæ ac pœnæ ex non recto vſu afferunt. Sed memineris nonnullos hoc in loco legere, Qui non accepit in vanum animam meam, quaſi iam ſit vox CHRISTI dicentis, Qui non accepit fruſtra animam meam poſitam pro mundo in cruce. Quicunque enim non credunt Meſſiã poſuiſſe animam ſuam (vitam ſuam) pro mundo, quantũcunque ſint aliâs puri & mundi, nunquam aſcendent in montẽ Domini: hi ſiquidem in vanum accipiunt animam Meſſiæ poſitã pro mundo. Hoc certe eſt quod CHRISTVS prædicabat de morte ſua, Matthæi cap. 11, Beatus qui non fuerit ſcãdalizatus in me: verũtamẽ vtcunq; res ſeſe habeat, ad reſiduum verſiculi deſcendamus. PER dolum iurat quiſquis aliter facturus eſt quàm promittit, credens periurium non

Marginal notes: Geñ. 2. (beside "laborat"); Pſal. 101. (beside "permittit")

eſſe decepiſſe nequiter credentis errorem: ſed dupliciter is reus fit qui & nomen Dei in vanum aſſumit, & proximum in dolo capit. Contrà autem, Ille in dolo non iurat proximo ſuo, qui quæ cogitat hæc prædicat, & in opere implet. Itaque qui ſe ab his omnibus ſupradictis cuſtodierit maculis, & tum in opere, tum in cogitatione & in verbo fuerit ſibi & proximo innoxius, hic Acccipiet benedictionem, & cætera.

Hic accipiet benedictionem à Domino, & miſericordiam à Deo ſalutari ſuo.

Præmiſit pias obſeruationes, nunc dicit & præmia. Hic vir (inquit Vates) qui in actionibus ſuis probus, & in cogitationibus mũdus fuerit, quíque ab inanibus rebus ſeipſum ſegregauerit, & non peierauerit aduerſus proximum ſuum, ACCIPIET benedictionem, hoc eſt gratiam ſeu diuinũ aliquod donum in præſenti vita præſtitum. Hęc benedictio eſt quæ Abrahæ promiſſa fuit, Geñ. cap. 22, Benedicentur in ſemine tuo omnes Gentes terræ: quæ adhuc repetitur Iſaac, Geñ. cap. 26. & Iacob, Geñ. cap. 28. his verbis, Benedicentur in te & in ſemine tuo cũctæ Tribus terræ. Quas quidem benedictiones ita ad Galatas ca. 3. exponit Paulus ſcribens, Non dicit In ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in vno, Et ſemini tuo, qui eſt CHRISTVS: tanquam gratia omnis quam accipimus per IESVM CHRISTVM facta ſit. Et hanc benedictionem non eſſe in copia temporalium,
Pſal. 83. ſatis explicat Dauid alio loco dicens, Etenim benedictionẽ dabit Legiſlator, ibunt de virtute in virtutẽ: videbitur Deus deorum in Sion. Itaque integratur hæc benedictio donis virtutum, quæ in præſenti vita reddunt hominem iuſtum, & Deo acceptum, & elapſo vię termino, ad viſionem Dei deorum in Sion perducunt. Accipimus autem tantam benedictionem nõ à quolibet ſed à Domino: ipſe benedicit, qui iudicaturus eſt: ipſe abſoluit, qui incommutabiliter damnare potuiſſet. Meritum ergo beneficij per magnitudinem voluit concedentis agnoſci. Quapropter Pſalmo 66. precatur regius Pſaltes, Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: illuminet

illuminet vultum ſuũ ſuper nos,& miſereatur noſtri: Vt cognoſcam' in terra viã tuã,in omnibus Gẽtibus ſalutare tuũ. Oſtendens hanc benedictionem eſſe in illuminatione mentis,& cognitione viarũ Dei,& Saluatoris eius, ſcilicet Meſſiæ,per quem fuerat populos ſaluaturus. Sequitur, MISERICORDIA, vt illa benedictio non per merita, ſed per miſericordiam Dei veniſſe oſtendatur,quia ipſe prius peccata dimittit: nullus quippe hominum eſt qui ſibi miſereri non egeat: nam ſi compaſſionem ſuam non commiſcuerit Deus,non iuſtificabitur in conſpectu eius omnis viuens. Pſal. 42. Quænam enim vlla ſunt noſtra opera quæ ex ſe abſque Dei gratia,cælorum regno condigna ſunt? Donantur delicta,vt veniat corona,ſicut dari nõ poteſt libertas, niſi prius ſeruitus fuerit ablata. Sed ecce vides prœmium quod ſeruatur innocenti ſibi& proximo. Idcirco(inquit Cyprianus)qualem vis inuenire Dominum, talem te exhibe erga proximum tuum. Quapropter ea nobis imprimis cura ſit,omnia noſtra ſemper cum proximo bene habeant :tunc protinus dicetur, Hæc eſt generatio, &c.

Hæc eſt generatio quærentium Dominum, *quærentium faciem* Dei Iacob.

Quod ſingulariter prius dixerat, Quis aſcendet in montem Domini, ne putares hoc ad CHRISTVM Dominum ſolũmodo eſſe referendum,nunc & generationi Chriſtianæ adaptat,atque pluraliter dixit, HAEC eſt generatio quærentium Dominum:quia Eccleſia ex pluribus perſonis fit,& tamen vna dicitur propter vnitatem tum fidei tum capitis,Canticorum 6,Vna eſt columba mea,vna eſt perfecta mea. Ex his verò ipſa conſtituitur qui quærunt Deum,ſicut Iacob quæſiuit,qui(vt inquit Oſeas)inualuit ad Angelum, Oſeæ 12. & confortatus eſt, necnon(teſtante Geneſi)vidit Dominum Gen. 32. facie ad faciem, nõ quòd Deus videri poſſit, ſed formam vidit in qua Deus ei loquebatur : quæ omnia orantes in fide, aſſequi poſſumus. Generatio ergo illa(inquit Dauid)quę ſic in CHRISTO vixerit, vt ſuprà docuimus, meritò appellari poterit generatio virorum quærentium, hoc eſt diligentium Dominũ:qui enim diligit, quærit. Sed nomine DEI

Iacob, Deus Pater à multis putatur, vt hoc in nationibus faciat quod in Iacob feciſſe mõſtratur, cui poſterius nato primatum dedit: quaſi hæc generatio quærentium Dominum tandem ex Gentibus numeranda foret. Facies autem Patris, Filius. Qui videt me (inquit) videt & Patrem. Meſſias etiam, ſicut dicitur & eſt gloria populi Iſrael, ita dicitur & eſt facies populi huius, quia eſt præcipua res huius populi ſummè deſyderata, & ab vniuerſis Dei cultoribus concupita: vnde per hoc intelligas, quòd generatio electorum quærit non ſolùm Deum, ſed etiam Meſſiam ex ſemine Iſrael, quaſi illum facie ad faciem reperire deſyderet: & qui dignus interim fuerit, eum inueniet, in præſenti per gratiam, in futuro per gloriam. At de his hactenus. Nunc intercedit diapſalma vt immutet Pſalmographus perſonam: ipſe enim Dominus modò cæleſtia regna repetens nuntiatur. Aſcendente ergo illo in cælum cum Angelis, hi qui præcedebant ſiue comitabantur (quippe ſcriptum eſt Michææ cap. 2, Aſcendet pandens iter ante eos) aliis eorum principibus acclamabant, Attollite, &c.

Ioan. 14.

Attollite portas principes ueſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.

Matth. 4. Ex hoc loco Propheta Saluatoris in cælum aſſumptionẽ prædicit, & Angelos, qui ei in terra miniſtrabãt, introducit cũ eo ſimul aſcẽdere, ac iubere aliis Angelis, qui cęlorũ aditum ſeruabant, vt tollerent portas, quibus præerant, & quarum erant principes. Nec dixerunt, Aperite, ſed Attollite: ſummam nimirum gloriæ incomprehenſibilitatem illius ſignificantes, qui cælum erat ingreſſurus. Per PORTAS autem ipſam cuſtodiam intelligere debemus. Quo fit vt nõnulli etiã hoc in loco exiſtiment quòd Dauid præuiderit ſimul deſcẽſum CHRISTI ad inferna, qui victor illuc venit ad repetendam prædam, & vt nobis frangeret regnũ Sathanæ, ſicq; iſta hæc prima verba, ATTOLLITE portas principes veſtras: etiam voces ſunt bonorum Angelorum ad Angelos malos, quorum princeps diabolus eſt. Porro quod mox ſequitur, ET eleuamini portæ æternales:

cuſtodia

cuſtodia ipſa æterna eſt, eò quòd Angeli cuſtodes æterni ſunt: vel ideo AEternales dicit, quia ab æterno nunquam antea apertæ fuerũt ianuæ paradiſi: clauſis enim ianuis cæli deſcenderat Domin' in terrã clam cæleſtibus poteſtatibus. Ad has igitur dicitur, ELEVAMINI, habentes Regem vincẽtem vitia & nutritores vitiorũ. Nec dubium eſt, quin apertio portarum ab Angelis, & annuntiatio Angelorum de ingreſſuro per portas, & ipſi ingreſſus ſatis oſtendunt qualiter hîc Dauid loquitur de Deo homine, ſiue CHRISTO promiſſo, & quòd ille Rex qui venturus annuntiatur, homo eſſet, & non ſolum Deus. Nam inquantum Deus, ſemper ibi erat, puta in cælo, nec in natura diuina illuc vbi iam ab æuo erat, ingredi potuit. Sequitur, ET introibit Rex gloriæ. Appellatur autem Meſſias Rex, quia ad literam iam ſtatum Regium aſſequutus erat tempore quo deſcendit ad inferna, & mox aſcendit ad cælum: ſed Rex gloriæ CHRISTVS dicitur, & Dominus gloriæ, veluti qui ſummam aſſequutus eſt gloriam, & qui eam aliis præſtat, & qui aliorum omnium qui gloriam aſſequuti ſunt, Rex eſt & Dominus: atque maior eſt titulus Rex gloriæ ſeu honoris, quàm Rex totius vniuerſi: quoniam ſignificatur etiam poſſeſſor diuinæ gloriæ, quæ ſupra totum eſt vniuerſum. Virtutes verò, prædictarum portarum cuſtodes, nouo myſterio carne induti ſtupefactæ, quærunt, Quis eſt iſte, &c.

Quis eſt iſte rex gloriæ? Dominus fortis & potẽs, Dominus potens in prælio.

Introducit Propheta portarum principes ad prænarrata verba inquirentes: nam excellentia gloriæ & honoris tanti Regis, omni creaturæ eſt admirabilis. Simile legis apud Eſaiã, dum Angeli mirantes de tãta exaltatione vnius hominis, interrogãt, Quis eſt iſte qui venit de Edon tinctis veſtibus de Boſra? Siue (vt legit Hieronymus,) Quis eſt iſte qui de terra cruentus aduenit? (dictio quippe Hebræa hoc loco in Lingua noſtra & terrenũ & cruentũ ſonat) tinctis veſtibus de Boſra? quæ dictio (eodẽ teſte) firma ſiue munita interpretatur: quod vel de Hieruſalẽ, quæ firmiſſimis muris fuit antè

circundata, in qua paſſus eſt Dominus: vel de inferno intelligimus. Ipſi enim angeli in cęlo Deo aſſiſtentes, non omnino perceperunt (vt probabile eſt) hoc myſterium incarnationis, paſſionis & reſurrectionis, donec ipſe CHRISTVS in cælum aſcendit. Quare nūc ſequitur, DOMINVS fortis & potēs, Dominus potēs in prælio: atque ita (ſicut placet Diuo Dionyſio de cæleſti Hierarchia, cap. 7) nūc vox eſt ſupremarum virtutum cæleſtium alios inferiores edocentium: ita vt inferiores cæleſtium ſpirituum ordines à ſuperioribus diuinorum operum ſcientiam honeſtiſſime diſcant, qui verò celſiores omnibus ſunt à deitate ipſa (vt fas eſt) ſeorſum ſacratius erudiantur: non enim ad Deum ſiue ad ipſum CHRISTVM (inquit idem Dionyſius) ſtatim verba dirigunt interrogantes, Quare rubra ſunt veſtimenta tua? ſed prius inter ſe hærentes inquirunt, vt oſtendant quidem ſe diſcendi auidos, & diuini operis ſcientiam cupere: verum hanc ſibi nequaquam ante diuinæ illuſtrationis gratiam ſuo ordine procedentis vſurpare præſumere. Poſſunt etiam prætacta verba accipi, vt vox maiorum dęmonū, acſi Meſſia deſcēdente ad inferna dicerēt, Nos noſtrū Regē habemus diabolū: iſte Rex glorię quis eſt, qui venit in hunc locum noſtrum? Fulgor enim victricis animæ Chriſti eos fecit obſtupeſcere: quocirca interrogant, & viciſſim audiunt, DOMINVS fortis & potens. Dominus (dicūt angeli boni) vt intelligas eius deitatē: in veteri ſiquidē Teſtamēto vſitatiſſima appellatione Deus vocatur Domin⁹: Sed FORTIS eſt, qui alligauit fortem principem diabolum, mortē ſuſcepit, atque deſcendit ad illas inferiores partes terræ, non tanquam reus, ſed tanquam iudex iuſtus, & triumphator ſtrenuus, reportans ſpolia ſibi debita, quæ diu tyrannicè dæmō occupauerat. Iſte POTENS, eſt gradiens (vt ait Eſaias) in multitudine virtutis ſuę, & propugnator ad ſaluādū, cui pater tradidit omne iudicium, qui loquitur iuſtitiam, vt malis mala, & bonis retribuat bona: qui venit pugnaturus contra aduerſarias poteſtates, & captiuis prædicare remiſſionem, & vinctos de carcere liberare, vt & aduerſarij pœnas, & captiui ſentiant libertatem. Mox repetitur, DOMINVS potens in prælio: vt hac replicatione, ad maiorem ipſi cognitionem

Matth. 12.

Eſa. 63.

Ioan. 5.

Eſa. 61.

tionem adducantur: ac pariter victoria laudatur quam retulit Dominus de tyranno, quem in certamine deuicit, & cruce, quaſi haſta quadam iaculatus, tranſfixit. De hoc prælio ſcribitur Canticorum cap. 5, Dilectus meus candidus & rubicundus. Rubicūdus in paſſione, candidus in reſurrectione. Porro clamat iterato comitum CHRISTI aſcendentis turba, Attollite, &c.

Attollite portas principes ueſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.

Principes portarum ſecundi cæli, hoc eſt firmamenti, auditis iis quæ à præeuntibus Angelis dicta fuerant, ſummo gaudio ac lætitia affecti, & de humani generis ſalute exultantes, ſtatim præcurrerunt, eadem & ipſi mandantes aliis principibus primi cæli quod eſt ſupra firmamentum. Et hic congeminatio eſt, vt amplius determinent, quis ſit Rex gloriæ. Eleuentur, inquiunt, æthereæ ianuæ, aperiantur æternarum ædium valuæ, introibit Rex gloriæ, qui facit vtique illum glorificantes glorioſos. Quòd ſi amplius vrgeas, Et quis eſt iſte Rex gloriæ? Reſpondebit Apoſtolus, Rex omnium ad ſalutem, CHRISTVS Filius Dei, vt ſicut quondam portauimus imaginem Adæ terreni, ita modo redempti portemus imaginem cæleſtis. Quapropter etiam nunc poteſt eſſe vox Domini ad Angelos bonos dicentis, Attollite portas, hoc eſt, quia quando Adam peccauit, portæ paradiſi clauſæ fuerunt, & datus eſt Cherubin ad cuſtodiendam viam ligni vitæ, flammeus gladius atque verſatilis, non quòd ſeſe verteret, ſed quòd eſſet anceps, duóque ora haberet. At poſtquam CHRISTVS venit in mundum, & luctatus eſt cum diabolo, aperuit infernum, & animas Sanctorum ſecum eduxit, & cum Angelis bonis ad cæleſtia remeauit. Quia tamen tantum myſterium ſecundum Apoſtolum cunctis retro generationibus ante aſcenſionem CHRISTI fuerat ignoratum, idcirco horum neſcij Angeli, iterum aiunt, Quis eſt iſte, &c.

1. Cor. 15.

Gen. 3.

Coloſſ. 1.

Quis eſt iſte Rex gloriæ, Dominus uirtutum ipſe eſt Rex gloriæ.

Eodem modo ipſi dubitant, atque ideo eadem interrogant, quæ ſatis alludunt ad illud Eſaiæ 63, Quare ergo rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari? Didicimus (aiunt) quòd tu ſis qui loqueris iuſtitiam, & ſalus omnium in tuo ſit iudicio conſtituta: nunc ſcire volumus quare veſtimenta tua ſunt velut muſto tincta: aut quid cauſæ extiterit vt tunicam quæ de-
Ioan. 19. ſuper texta eſt, & ſcindi non poteſt, & de vtero Virginali tantum candorem habuit, quantum nullus fullonum poſſit facere ſuper terram, ſanguine cruentâris: magis enim tibi clementia conuenit quàm crudelitas, magis candor quàm cruor. Quibus tam plenè reſpondit Dominus, vt non
Eſa. 63. neceſſe ſit amplius quærere quis ſit, Torcular crucis (inquit) calcaui ſolus: neque enim Angelus aut Archangelus, throni, dominationes, aut vlla cæleſtium poteſtatum humanum corpus aſſumpſit, & pro hominibus paſſus eſt, & conculcauit aduerſarius fortitudines, atque contriuit,
Pſal. 11. niſi ille qui loquitur in Pſalmo, Saluum me fac Domi-
Iudic. 16. ne, quoniam defecit Sanctus, ſolus pugnat, ſolus ſuperat, ſicut ſolus Samſon, præciſis crinibus, Philiſtæis exponitur, & plures moriens quàm viuens vincit. Quapropter nunc CHRISTVS Dominus virtutum nominatur: ſed pro Domino virtutum (teſte Hieronymo) in Hebræo legitur Dominus Sabaoth, quod in alio loco ſeptuaginta Interpretes Omnipotentem tranſtulerũt: alij interpretantur Dominum exercituum, vel militiarum, vel virtutum. Merito autem Meſſias dicitur Dominus virtutum, qui pro nobis homo factus eſt, & morti traditus, quòd patienter tolerauit, fortiter vicit, mirabiliter conſummauit, virtute propria calcans inferos, cum triumpho rediens ad ſuperos, cum gloria aſcendens ad cælos.

IN PSAL-

Ỳ AD te, Domine, leuaui animã meam, Deus meus in te confido, non erubeſcam.

Hieronymus pro titulo hîc legit, Pſalmus Dauid: vnde quidam dicunt beatum Dauid conſcripſiſſe hunc Pſalmum in ſupplicationis atque orationis ſpeciẽ ad Deum, eúmque omnibus inter calamitates atque anguſtias Deum inuocantibus cõgruere, ac docere quomodo ſupplicare debeamus: nam nunc flagellatus pœnitens, proponitur aliis ne murmurent in aduerſis, qui expertus dura, interdum per miſericordiam blanditur, interdũ per iuſtitiam terret. Atque ſic iſte vigeſimus quartus Pſalmus etiã Mediatoris noſtri miſſam ad Patrem continet vocem: aliquando etiam habet Eccleſiæ ſupplicantis clamorem: nihil tamen vetat quin dici poſſit beatus Dauid pro ſeipſo eũ præcipue protuliſſe, quũ ab inimicis oppugnaretur. Nam quum ea quæ in hoc Pſalmo dicũtur, quadrẽt geſtis Dauidis, neque aliena ab eo cõtineant, liquet hunc Pſalmum ad literam de eo agere. Sed quæ Dauidis tractentur ex decurſu Pſalmi accipere oportet. Nunc autem manifeſtum eſt Dauidem in tribulatione conſtitutum, vnicum, pauperem, multiplicatíſque inimicis deſcribi cũ anguſtiis populi, atque ipſum petere à Deo veniam peccatorũ ter, & doceri vias Domini, atque duci per eas. Quibus ſimul collatis facile colligitur quòd Pſalmus iſte ad tempus tribulationis, quam paſſus eſt Dauid ab Abſalone ſpectat: nam ſolum illi tempori hæc omnia adaptantur. Et quũ perſequutionem ſuſtinuit Dauid à Saule, nondum adulterio aut homicidio peccauerat, ſed tempore Abſalonis tribulatio fuit ei propria, ex proprio demerito, tũc multiplicati inimici, tũc vniuerſus populus in luctu & mœrore fuit. Itaque præſentia accipiamus quaſi Dauid propter ſua ſcelera afflictus ab Abſalon, recurrat ad Deum, tum pro venia, tum pro conſeruatione in rectitudine, tum pro tutela vitæ propriæ, & liberatione tum ſua tum populi ab his anguſtiis. Nunc igitur Deo dicit, Ab omnibus terrenis lucris, ab omnibus quæ videntur bona huius mundi, ſubdu-

2.Reg.15. 1.Reg.18 19.23.

cens animam meam, ad te eam, Domine, per orationem leuaui: nam Oratio (ſecundum Damaſcenum) eſt aſcēſus vel eleuatio mentis in Deum: & quemadmodum triticum ſi in terra iaceat, computreſcit & perit, quando de terra ortum ſurgit in altum, eleuatur & cuſtoditur: ita mens dum carnalibus deſyderiis conculcatur in terra, protinus ab iis liberatur, ſi ſurſum à terrenis nimirum ſe rebus attollens, in Deum eleuet. Nempe facile terrena deſpicit, qui ad diuina conſpicienda ſe erigit, & cuius mens iam tota cæleſtiū conſcia eſt. Neque tamen audet dicere Dauid, tibi obediui, mādata tua ſeruaui: ſed hoc vnum tantum inculcat, quòd in
2.Reg.15. ipſo ſolo ſpem fiduciámque ſuam ponit fugiens Abſalonē, iam non cōfidens in nummo, in domo, in negotio, in militia, in facultatibus. Da ergo (inquit) NON erubeſcam iterū, te inter anguſtias offendendo: ſed fac cum hac tentatione mea prouentum, vt nō deficiam in pugna, ſed vincam: nec patiaris tantum pœnæ irrogari, quantum tolerari non poſſit: ſed concede vt aut cito ceſſet tribulatio, aut ſi prolixa fuerit, dones tolerandi virtutem, ne vincatur qui patitur. Vnde ſequitur, Neque irrideant, &c.

Neque irrideant me inimici mei, etenim vniuerſi qui ſuſtinent te, non confundentur.

Petit liberari de irriſione ac peſſimis ſermonibus ſuorū inimicorum, qualiter hac in fuga contra eum egit Semei,
2.Reg.16 ipſum ſanguinarium multorúmque malorum authorē exprobrans, cui non eſt ſuccenſus Dauid: nec enim circa hūc rabidum canem ei reſpectus aut pudor fuit, ſed ad Deum intendebat, quo volente, talia à maledico audiuerat, ſperabátque ſibi tandem adeſſe Dei miſericordiam. Etenim (inquit) vniuerſi qui ſuſtinent te non confundentur. SVSTINENT autem poſuit pro Expectant, vt pleríſque in locis facit: ita enim interpretatur Aquila. Deum vero expectare, eſt ſub malorum patientia ipſum viriliter ſuſtinere: vt ille veniens in iudicio ſuo, reddat quod fidelis animus expetebat. Interim iuſti tribulationes præſentes longanimiter atque æquo animo ferunt, nulliſque tentationibus à Deo recedunt, ſed in bono propoſito perſeuerant, & ſolū Deum

contemptis

contẽptis omnibus expectant omnia patienter, immo hilariter ſuſtinẽt. Hac temporali pace gaudet fidelis, qui nulla proſperitate aut aduerſitate diſſoluitur, & ſic arram æternæ pacis prægustat: nouit enim Deum ſuos ſalubriter terrere, ſæpiſſiméque mordaciſſimum tribulationis medicamentum addere: nam non repulit ab Apoſtolo ſtimulum carnis tertio rogatus, vt virtutem in infirmitate perficeret. Proinde non eſt reprobatio, ſed virtutis approbatio, bonorum aduerſitas. At contra confundantur &c. 2.Cor. 12.

Confundantur omnes iniqua agentes ſuperuacuè.

Nunc Dauid imprecatur exterminium Abſaloni eiúſque complicibus dignis vt exterminentur; qui cum prætextu offerendi ſacrificij in Hebron, iniquè deceperãt, atque hac fictione conuocato populo, protinus cõtra Regem coniurauerant, licet in vanum: nam ſtatim Dominus opera fidelis Chuſi, diſſoluit omne conſilium verſuti Achitophel, ſeruato Rege cum ſuis trans Iordanem: quemadmodum hæc omnia diffuſius legis, 2. Regũ 15. Alij caſu quopiã aut infortunio iniqua agunt: alij ob naturæ infirmitatem: & quicunque alias ob cauſas tranſgrediuntur, ij ſuperuacue iniqua agere dicendi ſunt, hoc eſt nulla ratione, ſed præ ſumma malitia, quales erant iſti viſibiles atque inuiſibiles inimici, qui aduerſum beatum Dauid pugnabant: ſine cauſa enim atque inaniter pugnatur cum eo qui nullam alteri iniuriã infert: omnia quoque ſunt vana & infructuoſa, quæ à Deo ſunt aliena. Expedit autem ſemper meminiſſe eorum quæ per vindictam propter talia hominũ peccata egit Dominus: nam quondam multa paſſus eſt Iſrael in AEgypto ob ſua delicta, in ſciſmate inter Roboam & Hieroboam ingentem ſuſtinuit iacturam Synagoga: tantundem accepit in deſtructione templi & tranſmigratione ſacerdotij in Babyloniã per Nabuchodonoſor, & tempore Machabæorum, quando ſciſmata & multi pſeudoprophetę inualuerũt. Quæ omnia vt ſcribit Apoſtolus 1. ad Corinth. 10, In figura facta ſunt noſtri, vt non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt, neque idololatræ, ſicut quidã ex ipſis, quemadmodum ſcriptum eſt, Sedit populus mandu- Exo. 32.

2.Reg. 15 — 3.Reg. 12. — 4.Reg. 25 — 1.Mach. 1.

care & bibere, & ſurrexerunt ludere: neque fornicemur ſi-
Num. 25. cut quidam ex ipſis fornicati ſunt, & ceciderunt vna die vi-
ginti tria millia: neq; tentemus CHRISTVM, ſicut qui-
Num. 2. dam eorum tentauerunt, & à ſerpentibus perierunt: neque
murmuremus ſicut quidam eorũ murmurauerunt & perie-
Num. 14. runt ab exterminatore, id eſt ab Angelo eos percutiẽte ex-
& 16. tra terminos terræ promiſſionis. Hæc autẽ omnia in figura
contingebãt illis: ſcripta ſunt autem ad correptionem no-
1. Cor. 10. ſtram in quos fines ſeculorum deuenerunt. Itaque qui ſe
exiſtimat ſtare, videat ne cadat: ipſis enim patribus verè fa-
cta ſunt, quę in figura erant noſtri, vt timeamus talia agere, ne talia incurramus. Omnia quippe quæ in populo Iſrael illo tempore facta ſunt in figura, nunc in nobis in veritate celebrantur. Sicut enim illi Per Moyſen ex AEgypto liberati ſunt, ſic nos per CHRISTI ſacerdotem de ſeculo liberamur. Demum Chriſtiani facti ducimur per deſerta, vt per exercitium contemptus mundi & abſtinentiæ, in obliuionẽ nobis eant AEgypti volùptates, ita vt neſciamus ad ſeculum repedare. Quum vero Baptiſmi mare tranſimus, tunc nobis diabolus cum ſuo exercitu tanquam Pharao demergitur: deinde manna cibamur, & potum accipimus de CHRISTI latere emanantem. Claritas quoque ſcientiæ tanquam columna ignis in nocte ſeculi demonſtratur, & tribulationis æſtu, diuinæ conſolationis nube protegimur. Poſt quæ omnia ſi peccauerimus, iſta nobis ſola ſuffragari
Heb. 10. non poterunt: ſicut & ad Hebræos dicitur, Irritam quis faciens legem Moyſi duobus aut tribus teſtibus, ſine vlla miſeratione punitur: quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcauerit? Ergo nũc (ait Dauid) vt non erubeſcam vel confundar, Vias tuas, &c.

Vias tuas, Domine, demonſtra mihi, & ſemitas tuas edoce me.

VIAE (vt quibuſdã placet) ſunt præcepta quæ ad omnes dirigũtur. SEMITAE vero, ſunt cõſilia, quorũ obſeruatio dũtaxat perfectorũ eſt. Sic ergo vias & ſemitas Dei accipiamus vt ſunt omnia quæcũq; ei placẽt: per eas enim ſecurus nec iam amplius vagabũdus quis incedit, qui quæ Deo placita

cita ſunt perficit. Rogat igitur Propheta doceri, ſe à Deo ea diligenter, non ſolũ vt ſciat, ſed vt & illa debitè obſeruet: ſimúlque nobis ſatis oſtendit qualiter apud Deum non verbi auditores, ſed legis factores coronabũtur. Propterea (vt inquit Paulus ad Hebræos cap. 2,) abundantius oportet nos obſeruare ea quæ audiuimus, ne forte pereffluamus, hoc eſt in æternum culpam & pœnã incurramus. Fluimus ſiquidem per pœnas mortalis naturæ, Effluim⁹ peccata addẽdo, Pereffluimus in æterna damnatione. Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis præuaricatio & inobediẽtia accepit iuſtã mercedis retributionẽ, quomodo nos, quibus Filius loquutus eſt, effugiem⁹, ſi tãtã neglexerimus ſalutem? Vias itaque illas per quas venitur in regnũ tuũ (Domine) demonſtra, nunc rogat Dauid. Semitas etiã poſſumus legis intelligẽtias accipere, quæ & paucis notę, & difficultate ſui probãtur anguſtę. Quapropter ſequitur, E D O C E me: qui ſermo nõ ad callẽ ſed ad legẽ magis noſcitur pertinere. Verũtamẽ tametſi quędã in ſacris obſcurè dicta dẽſiſſimã obducant caliginẽ, interim ita diuinitus prouiſum eſt ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum à faſtidio reuocandum, cui facile inueſtigata plerunque vileſcunt, & per ſimilitudines libentius quęque cognoſcimus, & cum aliqua difficultate quæſita, multo gratius inueniuntur. Qui enim prorſus non inueniunt quod quærunt, fame laborant: qui autem non quærunt, quia in promptu habent, faſtidio ſæpe marceſcunt. Nónne ſuauius intueris depictos ſanctos doctores, exponens illud de Canticis Canticorum, vbi dictum eſt Eccleſiæ, quũ tanquã pulchra quædam fœmina laudaretur, Dentes tui ſicut grex tonſarum aſcendens de lauacro, quæ omnes geminos creant, & non eſt ſterilis in eis: quàm ſi hæc eadẽ ſententia pleniſſimis verbis, & ſine ſimilitudinis huiuſmodi adminiculo operiretur? Nam ſic eos quaſi dẽtes Eccleſiæ, vides pręcidere ab erroribus homines, atque in eius corpus emollita duritia quaſi demerſos manſóſque tranſferre. Oues etiam iucundiſſime agnoſcis detõſas oneribus ſecularibus, tanquã velleribus poſitis & aſcẽdẽtes de lauacro, id eſt de baptiſmate creare omnes geminos, id eſt duo præcepta dilectionis, & nullam eſſe ab iſto ſancto

Hebr. 2.

Cant. 4.

fructu ſterilē vides. Magnificè igitur & ſalubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas ſanctas modificauit, vt locis apertioribus ardētiſſimum hominis deſyderiū reficeret: obſcurioribus autem faſtidia detergeret: nihil enim ferè de illis obſcuritatibus eruitur, quod non planiſſime dictum alibi reperiatur. Ecce igitur cur nunc petit Dauid ſemitas atq; obſcura legis edoceri. Quidā inſuper per vias & ſemitas, diſpenſationes atque adminiſtrationes rerum eſſe intelligūt, ad quas diuina ſe extendit prouidentia: ita vt quęrere à Deo Prophetā his verbis intelligamus quonā modo omnia gubernētur, vt per actiones nimirū cōtēplatio diligētior cōſequatur: & per vias quidē vniuerſaliora: per ſemitas vero, magis particularia intelligit mandata. Quę omnia tametſi in libris diuinis ante didiciſſet, optat tamen re ipſa atque operationibus melius addiſcere, vt coactus quodāmodo à Deo ea operari, experimēto deinceps cognoſcat, quod ſola priore ratione didicerat. Tu vero, lector, amplectere quod volueris ex hac farragine ſenſuum. Poſtea Dauid ne erret, efflagitat, Dirige me, &c.

Dirige me in ueritate tua, & doce me quia tu es Deus ſaluator meus, & te ſuſtinui tota die.

DIRIGE, ad vitā pertinet: DOCE, ad ſcientiā. Ipſe igitur qui natura tortuoſus eſt, & in cuius carne nō habitat bonū, petit dirigi ad ſimilitudinē manu ducētis infantulum, vt diſcat ambulare in veritate adimpletionis præceptorū Dei. Neque enim dimiſſus à Deo de paradiſo, & in longinquam regionē peregrinatus, per ſeipſum redire poterat, ſed reduce Deo opus habebat. Porro addit, DOCE me, quia tu es Deus ſaluator meus. Sed quum iam Deū ſuū eſſe ſciebat, cur adhuc doceri cupit? Atqui tunc eum talem eſſe didicit quādo ab inimicis fuit liberatus: nam tunc ſine cōtrouerſia manifeſtè demōſtratū eſt, quòd in ſolius Dei auxilio fretus, liberatus ſit præter omnium opinionē, nullo hominū illi opē ferēte. Inſuper ſic vere ipſum hominem depingit, qui ſolus inter creaturas erecta ceruice cęlum aſpicit, quaſi ibi ſit eius ſcopus vbi tendat, nō in terra, qui propter æterna poſſidēda plaſmatus eſt: medius quippe eſt homo inter brutū & Angelum:

gelum: ſi quæ carnis ſunt, ſequatur, à dignitate ſua cadit: ſi quæ ſpiritus impellit, amplectitur, iam cælum cæleſtiáque adhuc in terra manens totus redolet. Verũtamen quia pro iis aſſequendis nõ ſumus ſufficientes ex nobis, ſed (teſtante Paulo) omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt: idcirco nũc rogat Dauid edoceri à Deo conſequutionem huiuſmodi ſalutis æternæ. Sequitur, ET te ſuſtinui tota die. En iam vides duo quę maxime bonos reddũt Chriſtianos. Primũ eſt Deũ nobis ſalutarẽ credamus: ſecundũ, vt ſub totius vitæ patiẽtia, eius retributionẽ expectemus: quod ſignificant iſta verba TOTA die, quæ ponuntur pro toto vitæ tẽpore: noctu enim quũ dormimus, viuere non videmur. Interim adhuc Chriſtiano ſemper vigilandũ eſt, quia neſcim' qua hora Dominus vẽturus ſit, qui quotidie inexpectatus venit ad ſingulos in morte homines. Quæ autẽ ſupra petiit Dauid, nõ hoc egit tãquam innixus iuſtitię: Sed reminiſcere (inquit) &c.

1. Cor. 3.

Matth. 24

Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, *& miſericordiarum tuarum quæ à ſeculo ſunt.*

Ne diſtinctiones verborũ prætermittere videamur, MISERATIONES attinent ad operationes pias, MISERICORDIAE vero pertinẽt ad clementẽ naturã. Et nunc rogat Dauid vt vtrarũq; memor ſit Dominus, atq; piiſſima humilitate ſua petit per miſericordiã Dei liberari de manibus inimicorũ ſuorũ: vt quẽadmodũ Domin' fecit miſericordiã cũ Noe, liberando eũ de diluuio: cũ Abrahã Iſaac & Iacob, eripiẽdo eos de Hur Chaldæorũ, Laban, & Eſau: cum filiis Iſrael, ſaluãdo eos per mare rubrũ, & ducẽdo per deuia deſerti in terrã promiſſionis: ſic eum ſecurum faciat à cunctis hoſtibus. Et ſicut omnibus (ait) ab æuo fuiſti miſericors, ita tu quoque ſis mihi, cuius reditus ad regnum, tuam expectat miſericordiã. Memẽto (dicit) quòd à ſeculo, hoc eſt ſemper, & natura tua miſericors es & miſerator, cuius nec miſeratio vſquam peccãti homini defuit: quin vt eum ſaluares, Filius tuus homo factus eſt: & vnde in te es miſericors, inde es miſerator in nobis. Humano tamen vſu loquitur ad Deum hoc verbũ REMINISCERE, quippe nullius obliuiſci poteſt Domin': ſed quia ignorare videtur Deus atq; obliuiſci quã-

Gene. 7.
Geñ. 15.
Geñ 31.
Exod. 14.

do ad defenſionem aut in auxiliũ noſtrum tardius venit, idcirco ex ardenti affectu quo ſibi ſubueniri deſyderabat, talia acclamat, Reminiſcere &c. In his autẽ verbis MISERICORDIARVM tuarũ quæ à ſeculo ſunt, præclara nimis & ſolita fieri elucere videtur ſententia, quaſi nullus vnquã ſuis meritis ad Domini gratiã primùm venerit: dicendo enim Miſericordiarũ tuarũ quæ à ſeculo ſunt, ſemper Dominũ miſericordiarũ approbat largitorẽ, qui nõ imprimis hominũ merita ſuſcepit, ſed prius ſua dona cõceſſit, ne forte dicas, Promerui & ideo accepi. Non putes (inquit Auguſtinus) te promerẽdo accepiſſe: gratia præceſſit meritũ tuũ, nõ gratia ex meritis, ſed meritũ ex gratia, loquẽdo de prima

Epheſ. 2. quã accipimus gratia: de qua dicit Paulus ad Epheſ. Dei donũ eſt, nõ ex operib⁹, vt ne quis glorietur. Omnia ſane merita (ait idẽ Auguſtinus) præcedit gratia, vt dona Dei cõſequantur merita noſtra: & hæc prima gratia duntaxat in merito CHRISTI nobis datur: ex hac, bona quæ poſtea agimus, formãtur, & alterius gratię meritoria, ex pacto CHRI-

1. Cor. 3. STI fiunt: ſicque Dei cooperatores ſumus. Per hanc autem Dei miſericordiam, orat Dauid Dominum, dicens, Delicta iuuentutis meæ, & cæt.

Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.

Cõſidera quomodo beatus Dauid perfectior admodũ effectus, pro delictis ſupplicet à ſe in iuuẽtute cõmiſſis: & hîc IVVENTVS ſumitur nõ pro ætate, ſed pro præcipitationis audacia, quæ eſt quũ calor animi modeſtiã expedit, vel quãdo minus cõſulte aliquid molimur, quæ omnia maxime in adoleſcentia cõtingunt. Duab⁹ enim ex cauſis potiſſimũ peccam⁹, videlicet aut nõdũ vidẽdo quid videre debeamus, aut nõ faciendo quod debere fieri iam videm⁹: quorũ duorũ illud ignorantiæ malũ eſt, hoc infirmitatis. Pro his duob⁹ modis peccãdi rogat Dominũ Dauid, ne aduerſus eũ meminerit ad puniendũ. Sed forte nũc ideo nõ ſupplicat pro ſciẽter à ſe cõmiſſis peccatis, quia illa maiori indigẽt pœnitentia quàm ſit nuda, quã modo facit oratio, factis nimirũ atq; operib⁹. Quid vero iam ſignificẽt DELICTA ignorãtię, aliqui exiſtimãt ea etiã ad paruulos pertinere, qui licet inualido

ualido ſenſu ſopiti ſunt, tamen originali peccato probãtur obnoxij. Et nũc propterea ipſum originale peccatũ Pſalmographus appellat Delicta: nam in illo peccato vno quod per vnũ hominẽ intrauit in mũdũ, & in omnes homines pertrãſit, propter quod etiã paruuli nũc baptizãtur, poſſunt intelligi plura peccata, ſi vnũ ipſum in ſua quaſi mẽbra diuidatur ſingula: nã & ſuperbia eſt illic, quia homo in ſua potius eſſe quàm in Dei poteſtate dilexit: & ſacrilegiũ, quia Deo non credidit: & homicidiũ, quia ſemetipſum pręcipitauit in mortem: & fornicatio ſpiritalis, quia integritas mẽtis humanæ ſerpẽtina ſuaſione corrupta eſt: & furtũ, quia cibus inhibitus vſurpat⁹ eſt: & auaritia, quia pluſquã illi ſufficere debuit, appetiuit. Quid mirũ igitur ſi tantã originalẽ labẽ per incõſiderationẽ protoplaſti Adã, in omnes profluentẽ, & propter quã incõſiderationẽ ipſe fuiſſet ignorãs (ſicut & omnis malus dici poteſt) nũc Delicta ignorãtię appellet Propheta, atq; hoc cõmune peccatũ ſibi nõ reſeruari ad vindictã poſtulet? Nullus certè eſt qui hoc delicto nõ teneatur, Beata Virgine ſemper excepta. Qua tamẽ pœna ipſum puniatur apertiſſime definit Auguſtinus in ſuo Enchiridio ad Laurentiũ dicens, Mitiſſima ſane omniũ pœna erit eorum qui præter peccatũ quod originale traxerunt, nullũ inſuper addiderũt: quibus verbis colligi poteſt cõtra ipſum dũtaxat pœna dãni animaduertendũ eſſe: nã quia nullã inordinatã delectationẽ in hoc ſeculo habuit paruulus in ſolo originali decedẽs, nec correſpõdebit acerbitas ignis aut vermis affligẽtis: itaq; nõ triſtatur quòd Dei fruitione beatus non eſt, ſciens ſe nunquã habuiſſe gratiã per quam ad id bonũ peruenimus: ſicut neque plebeio triſtitia inde naſcitur quòd rex nõ eſt, quum agnoſcat ſe nunquã fuiſſe regni capacẽ, ſed manet in limbo is paruulus ſua ſorte contentus, Deo pro rectitudine voluntatis omnino conformis, & bona quæ natura hominibus debentur humanitatis iure, ipſe conſequitur: puta naturalium rerum ſcientiam, diuinorũmque cõtemplationẽ per ea quæ facta ſunt: alioquin naturali & optato munere priuatus, triſtitia carere non poſſet. Ad ea vero quæ dependent ex cognitione & lumine fidei, non penſitat: Deus autem liberalitate ſua aliqua ei ſupernaturalia dona conferet, vt

Roma. 5.
Geñ. 3.
Roma. 1.

corporis immortalitatem, ideóque cum aliis reſurget immortalis, neque amplius corporis alimentis aliiſve neceſſariis egebit, nullíque infirmitati vel moleſtię, vel repugnantiæ erit obnoxius: ſed potius lætabitur, Dominúmque laudabit. Si tamen aderit in extremo iudicio iudicandus, nonnullorum ſententia eſt, quòd iudicium proprie erit de peccatis cõmiſſis, quib⁹ is paruulus carebit: quin probabile exiſtimari poteſt, poſt generalem omniũ reſurrectionem, ipſum tunc ſuper terram defęcatam repurgatámque habitaturum, Deúmque vt creatorem & plaſmatorem in perpetuum magnificaturum: nam locus debet conuenire locato. Quum ergo ille corpore immortali reſurget, luce Solis & aliis delectabilibus bonis naturaliter homini attinentibus, priuari non debet, quibus careret, ſi opaco & ſubterraneo carcere clauderetur, quin lucis aſpectu pulcherrimorúmq; corporum cæli & terræ multíſque bonis quæ inſerta natura deſyderat, omnino priuaretur, ſicq; triſtitiã haberet, quod ſacri doctores negãt. Hoc ordine paruulis cum ſolo originali moriẽtibus, ſuos campos elyſeos imaginari poſſumus. Tum demum vbi pro omnibus his ſupra memoratis delictis rogauit Vates, huic ſuæ petitioni addit, Secundum miſericordiam tuam, &c.

Secundum miſericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Domine.

Quaſi Deo diceret, vt ampla eſt miſericordia tua, ita & tu amplè miſerere mei: & quemadmodum miſericordia tua multa eſt, ita & tu multum miſerearis, ſcilicet vt nuſquam punias. Memor eſto quidem mei, non ſecundum iram, quæ ego dignus ſum, ſed ſecũdum miſericordiã tuam, quæ te digna eſt. Vide (inquit) quàm fragilis natura ego ſum, fac mecum miſericordiam, peccata donando, ac gratiam largiẽdo propter bonitatem tuam, non propter meritum meum. MISERICORDIA ad miſeros, BONITAS ad omnes effluit: quum & bonũ ſit ſui diffuſiuum, propterea (inquit) ſi non per miſericordiam, ſaltem per tuam bonitatem ſalua me de omnib⁹ periculis. Tu enim natura bonus, nil niſi bonum paris, tametſi præter voluntatem tuam ob peccata noſtra etiã

ſtra etiam punias. Sed hac bonitate allicis, ſicut iſta ſeueritate terres: per vtranque autem ego diſco ſub omnipotenti manu tua ſemper humiliari. Et interim bonũ Deum eſſe teſtatur Propheta, qui omnes patientia ſua ad pœnitentiam expectat, & neminem vult perire, ſed cunctos ſaluos fieri, ipſis ſufficientia ad aſſequendam ſaluté, niſi obſtiterint, largiendo. Typus verò nunc nobis datur qualiter in omni tribulatione Deum inuocemus: vt ſimus prudentes, & in orationibus vigilantes. Quo deprecationis genere rogabat Azarias cunctipotẽtẽ in medio ignis, Danielis cap. 3, Iudicia vera feciſti Domine, iuxta omnia quæ induxiſti ſuper nos: quia in veritate & in iudicio induxiſti omnia hæc propter peccata noſtra. Peccauimus enim & inique egimus, recedẽtes à te, & deliquimus in omnibus, & præcepta tua non audiuimus, nec obſeruauimus, nec fecimus ſicut præceperas nobis vt bene nobis eſſet. Ne, quæſumus, tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, & ne diſſipes teſtamentum, neque auferas miſericordiam tuam à nobis, ne confundas nos, ſed fac nobiſcum iuxta manſuetudinem tuam, & ſecũdum multitudinem miſericordiæ tuæ. Deinde conuertit Dauid verba ſua ad homines, dicens, hac fiducia à Deo talia poſtulo: Nam dulcis & rectus Dominus, &c.

Rom. 2.
2. Pet. 3.

Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in uia.

DVLCIS eſt Dominus, quia pœnitentibus omnia priora peccata dimittit, vbi eſt gratia ſine meritis: & licet cunctos beneficiis præueniat, adhuc tamen conuerſionem delinquentis expectat: pluit ſuper iuſtos & iniuſtos, vitam tribuens his qui merebantur extingui. Meritò ergo dulcis dicitur, à quo tam ſuauia dona præſtãtur. Sed etiã RECTVS eſt, tanquam qui delictorũ pœnas exigit: Rectum enim hîc in iudicando intelligit Dauid. Rectus itaque eſt Dominus, quando poſt frequentes increpationes & longiſſimas expectationes obſiſtit malis, humiliat ſuperbos & impios, vt tãdem aliquando ſapiant, & erroris ſui pœniteant. Prædicat autẽ Dauid Deum ſimul miſericordem & iuſtum, quia dulcor miſericordię ſine rectitudine iuſtitię, non eſt miſericor-

Matth. 5.

dia ſed puſillanimitas: & iuſtitia ſine miſericordia, eſt crude litas: vnde Gregorius, Ineſſe bonis rectoribus debet iuſte conſulens miſericordia, & piè ſæuiens diſciplina, ne iuſtitia ſit aſpera, & pietas ſit remiſſa. Sit ergo amor, ſed non emolliens: ſit zelus, ſed non exaſperans: ſit pietas, ſed non pluſquã expedit parcẽs. Si Deum amas quòd dulcis eſt, time eũ
Geñ.6.& 7. quòd rectus eſt, vt amore & timore Domini ſimul excitat⁹, legem eius cuſtodias. Ipſe eſt qui iudicauit Adam & Cain,
Geñ.10. ac totum mundum, immittendo propter hominum peccata
Num.26. diluuium. Vide eius iuſtitiam in primo Angelo, in Sodomæ euerſione, & in morte filiorum Iſrael in heremo. Si tibi blandiris per eius dulcem miſericordiam, time illius diſtri ctam iuſtitiã: non eſt enim mutata in eo iuſtitia, ſed illa eadem conſimilique virtute iudicij nunc iudicat mundum, qua tunc populum Hebræum AEgyptiis ſeruire permiſit, & poſtea ipſum in deſerto afflixit. Fac nũquam vindicta iuſtitiæ ſis dignus, quia benignitate miſericordiæ fueris abuſus. Quapropter nunc ſubinfert Dauid, Quoniã dulcis & rectus eſt Dominus, LEGEM dabit peccatorib⁹, hoc eſt peccatores legi ſubiiciet, & caſtigabit delinquẽtes, IN via, hoc eſt In vita, quam ideo viã appellat, quia omnes per eam non ſecus ac per viam tranſeunt, atque ipſe diriget, &c.

Diriget manſuetos in iudicio, docebit mites uias ſuas.

Inter Manſuetos & Mites hæc videtur eſſe differentia: MITES ſunt qui nulla furoris accenſione turbantur, ſed in lenitate animi iugiter perſeuerant, quos non rancor vel ira afficit, ſed omnia æquanimiter ſuſtinent: & horum tanta eſt perfectio, vt Dominus huiuſce virtutis ſe magiſtrum faciat, dicẽs, Matthæi ca.11, Diſcite à me quia mitis ſum & humilis
Num.13. corde. In cuius typũ & Moyſes omniũ hominum qui erant ſuper terrã mitiſſimus ſcribitur. MANSVETI autem dici poſſunt quaſi manu conſuti, hoc eſt tolerantes iniurias, non reddentes malum pro malo: neque enim manſuetus irritat, vel irritatur, nocet aut nocere cogitat. Diriget ergo Dominus manſuetos ad meliora, vt ex patientia proficiant, & de virtute in virtutem procedãt. DIRIGET eos in iudicio, hoc eſt

hoc eſt cum diſcretione, quaſi dignos qui dirigantur: & ne ſeducantur, tutò manu ducet eos non ſecundum vias carnis aut mundi, ſed ex efferis ita domitos reddet, vt ſemper patienter omnia tolerent, cuncta ratione animi, atque humani officij cauſa ſuſtinentes. Ad mentem iugiter reuocabũt, quæ quondam dixit Iudich ſuis, Memores nos oportet eſſe quomodo Abrahã tentatus eſt, & per multas tribulationes probatus, Dei amicus effectus eſt. Sic Iſaac, ſic Iacob, ſic Moyſes & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes trãſierunt fideles: illi autem qui tentationes non ſuſceperunt cum timore Domini, & impatientiam ſuam & improperiũ murmurationis ſuæ contra Dominum protulerũt, exterminati ſunt ab exterminatore, & à ſerpentibus perierunt. Et nos ergo non vlciſcamur nos pro iis quæ patimur, ſed reputantes peccatis noſtris hæc ipſa ſupplicia minora eſſe, flagella Domini quaſi ſerui qui corripimur ad emendationem & non ad perditionem, eueniſſe credamus. His & cõſimilibus directi à Domino manſueti vſque in tempus ſuſtinẽt patiẽtes, & poſtea eis redditio iucunditatis. Eccleſiaſtici cap. 1. MITES verò, id eſt lenis animi, quaſi naturaliter hoc habentes, Docebit Deus vias ſuas: hoc eſt pręcepta, pro quorũ neglectu venerunt flagella. Quapropter Baruch cap. 4. ſcriptum eſt, Filij patienter ſuſtinete iram quæ ſuperuenit vobis: ſicut enim fuit ſenſus veſter vt erraretis à Deo, decies tantum iterum conuertentes requiretis eum. Qui enim induxit vobis mala, ipſe rurſum adducet vobis ſempiternam iocunditatem cum ſalute veſtra. Deinde oſtẽdit Dauid quæ ſint viæ Dei Vniuerſæ, &c. Iudich. 8.

Vniuerſæ uiæ Domini miſericordia & ueritas requirentibus teſtamentum eius & teſtimonia eius.

Per VIAS, hîc ſola legis mandata intelligere poſſumus, quæ iis qui ſcriptam legem ſeruant, pro miſericordia & veritate habenda ſunt: quum manifeſtum ſit Deum miſericordia commotum ea ſtatuiſſe mandata, & quum vera etiam contineant, vtpote quæ à vero Deo ſunt condita. Legem autem & teſtamentũ & teſtimonia appellauit: TESTAMENTVM quidem, ſeu potius iuxta Græci nomi-

Pſal. 104. nis vim, Diſpoſitionem, quia illam diſpoſuit ad filios Iſrael. TESTIMONIA verò, quia in his conteſtatus eſt
Rom. 11. quæ futura erant. Siue dum incomprehenſibiles ſunt viæ Domini ad nos ceu creaturas, nunc ſub breuitate illas aptiſſime colligit regius Vates, oſtendens quòd omnia opera Dei, ſunt miſericordia & veritas: miſericordia quia bonus, veritas quia rectus Dominus. Hæc duo in omni opere Domini ſunt: quia quicquid facit aut miſericorditer agit, aut iuſtè, quin ſemper in cunctis diuinis effectibus inuenitur re-
Pſal. 76. ctitudo & aliquid gratuitum. Neque enim dum punit etiam damnatos, obliuiſcitur miſereri, ſed ſic adhuc continet in ira miſericordias ſuas, non quòd tandem ipſi aliquando liberabũtur (quemadmodum erroneè credidit Origenes) ſed quia nũquam tam acerbe eos punit, quin adhuc ex iuſtitia, ſi vellet, acerbius punire poſſet: peccatum enim quia contra bonum infinitum, infinite demeritorium eſt. tãta ſiquidem eſt offenſa, quantus & ille qui offenditur. Similiter quando præmiat, tametſi ex miſericordia acceptet bona quę facim᷒, tamen prò talibus ex pacto eius merces debetur. Vnde in 2. ad Timotheum, dicebat Paulus, Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex. Teſtamentum autem eius inſuper eſt, quo ille Deus noſter & nos populus eius. Teſtimonia verò eius etiã appellantur quæcunque nobis teſtimonium perhibent de Deo, ſiue ſint opera naturalia, ſiue miraculoſa, & proinde his qui curam habent & diuini pacti & diuinorum teſtimoniorum, omnia diuina opera ſunt miſericordia & veritas. Certo autem ille tenet has vias Domini, qui expertus miſericordiam, deponit ſuperbiam, & ſeueritatem iudicis reformidat. Tum demum ſubnectit regius Pſaltes, Ergo propter nomen, &c.

Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo, multum eſt enim.

Dicit Domino Dauid, quia miſericors appellaris & bon᷒, propter hoc quęſo propitius eſto peccato meo, quod antea commiſi, MVLTVM eſt enim, ſi ad eam munditiam compa-

comparetur, quam præſtare debuiſſent. More autem ſupplicantium, & ex confidentia magna proponentium petitionem tanquam exaudiendam, ne videatur ſub dubio petere, ait, PROPITIABERIS peccato meo, hoc eſt Miſereberis oblato tibi ſacrificio ſpiritus contribulati & cordis contriti. Verba autem quæ ſequuntur, Etenim MVLtum eſt peccatum: etiam in perſona Eccleſiæ dicta eſſe accipi poſſunt, vt qui ſe prædicãt eſſe mundos (ſicut Catchariſtæ) intelligant ſe portionem cum ſancta Eccleſia non habere. Quãdiu enim hîc mortaliter viuimus, ſine multo peccato eſſe nõ poſſumus: nam in multis offendimus omnes. Quis enim noſtrum poteſt vitio non ſubiacere, quum etiam pro otioſo verbo reddituri ſimus rationem in die iudicij? Si ira & ſermonis iniuria atque interdum iocus iudicio conciliòque, & gehennæ ignibus delegatur, quid merebitur turpium rerum appetitio & auaritia, quæ radix eſt omniũ malorum? Præterea animo mentéque reuolue quod ſcribit Matthæus, Si (inquit) offers munus tuum ad altare, & ibi fueris recordatus quia frater tuus habet aliquid aduerſus te, dimitte ibi munus tuum ante altare, & vade, primùm reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Meæ eſt poteſtatis vt non habeam aliquid contra fratrem meum, vt autem ille aduerſus me habeat aut non habeat, in illius voluntate conſiſtit. Quid ergo faciam ſi ille reconciliari noluerit? Obſecrem? Flectam genua? ſed audire contemnet: An obtorto collo nolentem in ius amicitiæ traham? Et quæ eſt maior inimicitia quàm amicitias neceſſitate ſociare? Neque enim dixit, Roga eum vt tibi cõcilietur, ſed Reconciliare primum fratri tuo, & ſic offeres munus tuum ad altare. Non quòd impoſſibilia Deus præceperit: ſed in tantum patientiæ culmen aſcendit, vt quàm facillimum ſit labi in via mandatorum eius: & propterea nunc verè omnis homo Domino dicat, Peccatum meum multum eſt enim. Sed quum ita ſit (ait Dauid) Quis eſt homo, & cætera.

Iacob. 3.
Matth. 12.
1. Timo. 6
Matt. 5.

L.

Quis eſt homo qui timet Dominum, legem ſtatuit ei in uia quam elegit.

Hîc agit de æternis laborans, & orans vt & ipſe & totus Iſrael à prænarratis malis liberetur· præmittit autem interrogationem, ſciſcitans quis timeat Dominum: qnòd ſi quis talis inueniatur, audi quæ retributiones ei promittuntur, LEGEM (inquit) ſtatuit ei in via, quam liber apprehendit, ne impune iam peccet. Diuerſæ enim viæ ſunt eorum qui ſaluantur, hoc eſt diuerſæ vitæ ac cõuerſationes: alia enim ratio vitæ eſt hominum in commune viuẽtium: alia eorum qui ſolitariam vitam degunt: alij etiam agendi vitam deli-
Matt.24. gunt: alij contemplandi: alij vero aliam. Nam (vt inquit Matthæus) in regno Eccleſiæ, duo in agro, puta prælati, quorum munus eſt laborare circa ouile CHRISTI: duo molentes in mola, quales ſunt dediti lucris & negotiis ſecularibus: & duo in lecto, qui in requie contemplationis degunt. Omnes tamen huiuſcemodi rationes ad Deum ducunt, & quãcunque ſibi elegerit is qui timet Dominum, in ea Dominus illi eritp ræceptor, & docebit ſemper lege ſua, quid ei amplectendum quidve fugiendum ſit, vt ad ea quæ elegit, deflectatur. Simile huic loquutus eſt Moyſes ad populum Iſrael, Deuteronomij cap.30, in promulgatione legis, dicẽs, Teſtes inuoco hodie cælum & terram, quòd propoſuerim vobis vitam & bonũ, ſcilicet ſi obedirent: & econtrario mortem & malum, puta quando contemnerent. Elige ergo (inquit) vitã & viues: Diligas Dominũ Deum tuum & illi adhæreas: ipſe enim eſt vita tua, & longitudo dierum tuorum. At vbi Propheta egit de perſeuerãtia in lege, protinus ſubdit de præmio, aſſeuerans, Anima eius, &c.

Anima eius in bonis demorabitur, & ſemen eius hæreditabit terram.

Nunc teſtatur Dauid quòd anima timentis Deum & legem eius obſeruantis, non redit in AEgyptum, ſed IN bonis gratiæ quaſi in deliciis hîc demorabitur, atque etiam ſimul ſi non in re, tamen in ſpe aliquantiſper futuris bonis gloriæ fruetur. Delectatur enim lege Dei ſecundũ interiorem ho-

rem hominē, cæleſtibus deſyderiis inardeſcit, ſpiritalibus ſtudiis inhæret, in cunctis operibus bonis ſe exercet: atque dum adhuc præmia illa ſuſpenſa ſunt, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, modo tamē futuri præmij certiſſimæ ſpei delectatione paſcitur, ſicque pergratè expectat ſemen (videlicet opus ſuum bonum, quod vere ſeminat quum benè agit, & ex quo fructus colligitur) hæreditaturū terram, non vtique terram Iudææ, nec terram huius mundi, non terram maledictam, ſpinas & tribulos afferentem, quam crudeliſſimus quiſque & bellator magis poſſidet, ſed terram quam Pſalmiſta alio loco deſyderat dicens, Credo videre bona Domini in terra viuentium: quam non comedit draco, quæ non eſt ſinus mortuorum: & tunc poſſeſſio iuſti nulla vlterius expulſione turbabitur. Sed nunc reminiſcentia deſyderij quo populus Hebræus quondam petiit poſſidere terram promiſſionis, eum allicit Propheta ad hanc æternam poſſeſſionem amplectendam. Pergrata ſiquidem ideo erat Iudæis liberorum procreatio, vt terram patribus ſuis promiſſam iugiter habitarent, atque ideo rememorato deſyderio, nunc eos pellicit Vates ad terram ſupernæ Hieruſalem (cuius iſta fuit vmbra) magis perquirendam. Promittit quoq; quòd ij qui Deū timuerint, filios habituri ſint illius vtriuſque terræ hæredes. Neque (ſententia Hieronymi, epiſtola ad Dardanū) improbabile eſt pollicitationē terrę promiſſionis factā patribus, intelligendā eſſe per allegoriā de terra Iudææ: nā Abrahā ad quē primū facta eſt promiſſio, dicente Domino, Tibi dabo terrā hanc & ſemini tuo, iuxta Stephani in CHRISTO primi martyris cōcionem, ne veſtigium quidē pedis huius terræ dicitur accepiſſe. Ita enim ſcriptum eſt, Tunc egreſſus de terra Chaldæorū, habitauit in Carram, & inde poſtquam mortuus eſt pater eius, migrauit in terram in qua vos nunc habitatis, & non dedit ei poſſeſſionem, ne veſtigium quidem pedis, quam repromiſit dare ei in poſſeſſionē & ſemini eius poſt eum. At ne forſitan lectoris tacita cogitatio trahat eum ad illam intelligentiā, vt quod non eſt datū parenti, reddatur poſteris, Vas electionis loquitur ad Hebræos, Fide, qui vocatur Abrahā, obediuit egredi in locū quē accepturus erat in poſſeſſionē

[Margin: Rom. 7. — 1. Cor. 2. — Gen. 3. — Pſal. 26. — Gen. 15. — Acto. 7. — Heb. 11.]

& egreſſus eſt neſciens quo iret: fide peregrinatus eſt in terra promiſſionis quaſi in aliena, in tabernaculis habitans cum Iſaac & Iacob & cohæredibus eiuſdem promiſſionis. Expectauit enim fundamentum habentem ciuitatem, cuius artifex & creator Deus eſt. Et iterum quum de Abel &
Heb. 11. Enoch, Noe, Sarráque dixiſſet intulit, Iuxta fidem mortui ſunt ij omnes nõ acceptis repromiſſionibus, ſed procul eas videntes, & ſalutantes & confitentes quia peregrini & aduenæ erant ſuper terram. Qui enim hæc loquuntur, oſtendunt quòd quærant patriam, & ſiquidem illius recordabantur de qua egreſſi erant, habebant tempus vt reuerterẽtur: nunc vero meliorem deſyderant, id eſt cæleſtem. Multíſque in medio ſanctis commemoratis ad extremum intulit, Et ij omnes teſtimoniũ habentes in fide, non acceperũt repromiſſionẽ, Deo de nobis melius quid prouidente, ne ſine
Hebr. 12. nobis perfecti fierent. Acceſſimus enim ad montem Sion, & ciuitatem Dei viuentis Hieruſalem cæleſtem, & multorum milium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitiuorum qui ſcripti ſunt in cælis. Hæc Hieronymus ad explicandum quid aptiſſime in ſacris ſignificet Terra promiſſionis. Poſtea addit Pſalmographus vnde timentibus Deum tanta erit in bono perſeuerantia, quia videlicet interim Firmamentum, &c.

Firmamentum eſt Dominus timentibus eum, & teſtamentum ipſius ut manifeſtetur illis.

In hoc verſiculo diligenter credentium animos mentéſque roborauit Propheta. Nam etſi timor videtur eſſe infirmorum, & homo natura ſua mutabilis, fragilis & infirmus ſit, Dominus tamen firmamẽtum, robur ac murus eſt timẽtibus eum. Nos quando imbecilles tunc à Deo per hunc timorẽ hortamur ne ab huius ſeculi turbinibus quatiamur: & nomen Domini, quod glorificatum eſt per orbem terrarum, firmat timentes eum. Verum enimuero animaduerte quod dicit (timentibus eum) iſta enim ſuperbis & temerariis non promittit: & intuere quam vim habeant verba diſpoſita: nempe ſic humanus timor diffidentiam tribuit, diuinus autẽ, ſpei firmamẽta concedit. Eſt enim ſicut tiriaca

quæ expellit venenum:nam quemadmodum tiriaca partim de tiro efficitur ſerpente, attamē eſt antidotum contra venenū:ita huiuſmodi timor partim de peccatis oritur, & tamen peccata expellit, Eccleſiaſtici cap. 1, Timor Domini expellit peccatū. vnde Gregorius 5. Moraliū, In via Dei à timore inchoabitur, vt ad fortitudinē veniatur. Nam ſicut in via ſeculi audacia fortitudinē, ita in via Dei, audacia debilitatē facit: & ſicut in via ſeculi timor debilitatem, ita in via Dei, timor fortitudinē tribuit. Prouerbiorū ca. 14, In timore Domini fiducia fortitudinis. Addit regius Pſaltes quòd lex Domini, hoc pacto verecūdis declarabit, quòd Deus eſt fortitudo timentiū eū: ita enim lex omnibus pollicetur. Vel Teſtamentum ponit Dauid pro quocunque diuino documēto, quod docet quæ agenda ſunt: nec tantum quę agenda, ſed ipſa etiam diuina myſteria: quod Domini lex iis præſtare ſolet, qui mūdi ac puri ad eam acceſſerint. Vnde magnū mortalibus beneficiū eſt quòd Deus aptat pactum legis ſuæ non ad iudicium ſeu damnationem, ſed ad fructū ſciēdi ſalubriter. Nam ſcientia ſalutis ea ſola eſt quæ vere ſcientia nominari poteſt, Deuteronomij cap. 4, Hæc eſt veſtra ſapiētia & intellectus: ſola enim ſapida eſt quę introducit Dei amorē. Sapientia ſiquidem Philoſophorum potius ad elationis tumorem perducebat. Itaque imprimis iſtud eſt amplectendum nimíſq; neceſſarium, vt lex Dei, ipſius munere declaretur, ſine quo nec intelligere quicquam boni poſſumus, nec perficere laudanda valemus. Verum enimuero quia talia deſyderantibus laqueus ponitur ab inimico, ſubnectit Dauid, Oculi mei, &c.

Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe euellet de laqueo pedes meos.

Ecce fiducia quam habebat regius Vates in Deo liberante eum de omnibus inimicis ſuis. Et cōprimis aſſimilat LAQVEO ſeu reti, tum coniurationem & fraudes quas patiebatur ab Abſalon, tum alias ſpiritualium hoſtium decipulas. Pulcherrime autem cognoſcitur hîc facta diuerſitas: nā ſolent qui ambulant, ſemper cautè proſpicere in terram ante pedes ſuos, ne quid ſit offendiculi quod eos in via ca- 2. Reg. 15

dere faciat. Nunc autem Propheta vt tutò ambulet, non in terram vertit oculos, ſed intenta mente intuetur Deũ, qui eripiat de laqueo diaboli PEDES, hoc eſt ſenſus & affectus eius. Itaque modo OCVLOS animæ intelligit, quos intentos ſemper habebat ad Deum: nouerat enim quòd ipſe ſolus pedes à laqueis extraheret, & ab inuiſibilium ini-

Eccle.2. micorum inſidiis. Quapropter loquitur Eccleſiaſtes, Sapientis oculi in capite eius, ſtultus in tenebris ambulat. Sapientis ſiquidem oculi, diuina contemplantur, ſtulti autem, in terra defiguntur, & ideo ſtultus in ſolis terrenis ambulans, vero lumine caret, & facile per voluptates ſeculi capitur. Nemo ſane euellitur à mundo, niſi cuius intentio & deſyderium ad alta ſubleuatur. Semper ergo homo intendat in omnibus quæ Dei ſunt, & Deus eum de tentationibus & tribulationibus tandem liberabit, quem-

Hiere.17. admodum teſtatur Hieremias dicens, Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius, & non timebit quum venerit æſtus, vel tempus perſequutionis, vel dies iudicij. Quocirca Apocalypſis cap. 9. præceptum eſt locuſtis, id eſt perſequutoribus, ne lædant electos. Ait enim CHRISTVS Ioan. cap. 10, Oues meæ nõ peribunt in æternũ, & non rapiet eas quiſquam de manu mea. Fur & latro nihil poſſunt contra illos, quos nouit Deus eſſe ſuos. Sed quia ego aſpicio ad te (ô Domine) & tu (inquit Dauid) Reſpice in me, & cætera.

Reſpice in me, & miſerere mei, quia unicus & pauper ſum ego.

More humano alloquitur Deum Propheta, tanquam auerſum à ſe, vt vertatur ad ipſum, & compatiatur miſeriæ eius, & dicit ſe pauperem & vnicum, vt hinc maximam indigentiam diuini auxilij ſignificet, atque amplius Dei miſericordiam ſibi conciliet. VNICVS autem fuit Dauid ſeu ſolitarius, quaſi ſolus eſſet & ab aliis deſtitutus, quan-

2.Reg.15. do fugit à facie Abſalon. vel Vnicus erat, qui paucos ſocios hac in fuga habebat, quemadmodum dicitur Rex incedere ſolus, quando paucis comitatus incedit. PAVPEREM etiam

REM etiã ſe appellat, veluti mũdano omni ſpoliatũ auxilio. Ecce igitur cur nũc Domino dicit, RESPICE pietatis affectu in adiutorium meum. Iſtæ ſunt (quas modo addit) miſericordię ampliſſimæ cauſæ, quandoquidem vnicus plus amatur, pauperrimo plus compatimur. Tali deuoto planctu animíque humiliatione iratus flectendus eſt Deus. Sapiens enim refert, iram Dei non diu permanſuram, quando properans homo ſine querela deprecatur, proferens petitionis ſuæ ſcutum, humilem orationem, quia bonus Dominus, & confortans in die tribulationis, qui & melius nouit noſtram neceſſitatem quàm noſipſi: neque vacui tandem aliquando ab eo diſcedemus, ſed ipſe clementer nos aſpiciet, vt cum Propheta ſæpe vnuſquiſque noſtrum dicere poſſit, Aſſumpſit me de aquis multis. Sic Elias ſolus remanſit, & Hieremias ſolus ſedit & fleuit, à malis omnibus ſeparatus. Poſthæc iterum Dauid Dominum excitat ad miſericordiam dicens, Tribulationes, &c. Pſal. 17. 2. Reg. 19 Hiere. 15.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt: de neceſſitatibus meis erue me.

CORDIS tribulationes dicit, quia ſiue à malignitate hominum, ſiue à cogitationibus, & ab animi paſſionibus afflictiones omnes ſemper deferuntur ad cor, & eæ multiplicatæ erant Dauidi, quum multi in fauorem Abſalonis eũ perſequerentur, abundante iniquitate & refrigeſcente charitate. 2. Reg. 15 Matth. 24 Neceſſe ſiquidem erat vt copioſo faſce anguſtiarum deprimeretur, qui paſſim & à multis affligebatur. Aduerſa autem, congrue vocat NECESSITATES, quia neceſſaria ſunt omnibus piè viuere volentibus, & hæc neceſſe eſt eos propter Deum tolerare vſque in finem, vt ſalui fiant, quemadmodũ ſcriptũ eſt Lucæ cap. 14, Qui non baiulat crucẽ ſuã & venit poſt me, nõ poteſt meꝰ eſſe diſcipulus. Crux enim à cruciatu dicitur, quę ſemper fideli eſt portãda, vt amor Chriſti oſtendatur. Duobus autem modis baiulatur, quũ ſcilicet vel per abſtinentiã caro affligitur & cõcupiſcẽtia domatur, vel per patientiã alias malorum tẽtationes ſentimus, modo tribulationes dæmonũ & vitiorũ, modo perſequutiones tyrãnorũ, hęreticorũ, ac hypocritarũ ſuſtinẽdo. Itaq; quãdo cũ

impatientia vel deſidia inter huius ſeculi procellas nauigamus, tunc in nobis CHRISTVS dormit, & ideo procella venti deſcendit in ſtagnum, nóſque periclitamur. In nobis igitur per patientiam & operã ſedulam ſuſcitandus eſt IESVS ceu noſtra ſalus, quem diſcipuli in procellis nauigãtes

Luc. 8. inuocauerunt, clamantes, Præceptor, perimus: at ille ſurgens increpauit ventum, & tempeſtatem aquæ, & ceſſauit, & facta eſt tranquillitas. Dixit autem diſcipulis, Lucæ cap. 8, Vbi eſt fides veſtra? Ecce CHRISTVS increpat noſtrã in ſe diffidentiam, necnon arrogantiam ac impatientiam ex aduerſitatibus conceptam. Nam ipſe ventis & mari imperat, & obediunt ei. Ergo nos tumidi & importuni ac impatientes homines per ventum & mare ſignificati, Deo nobis patientiam præcipienti obedire debemus. Sed nunc Dauid memor omnium quæ aguntur in ſeculo, clamat ad Dominum, vt de ſeculi neceſſitatibus liberetur, & ideo Vide (inquit) humilitatem, &c.

Vide humilitatem meam, & laborem meum: & dimitte uniuerſa delicta mea.

Acſi dixiſſet, Sint hæc quæ patior accepta coram te ad veniam peccatorum meorũ: & per HVMILITATEM iuxta hiſtoriæ ſenſum, corporis ac virium infirmitatem intellige aduerſus tantam inimicorum potentiã. Simili modo per LABOREM, corporis defatigationem accipe, quam perpeſſus eſt quũ fugiens inimicos, multis in anguſtiis verſaretur. Siue iuxta ſpiritualem intellectũ, VIDE, id eſt propitius reſpice, & gratam habe humilitatẽ cordis cõtriti, qua tribulationem, quæ pœna peccati eſt, humiliter & æquanimiter tolero. Neque immeritò contritionis ſuæ meminit:

Pſal. 50. maximum ſanè Deo ſacrificium eſt cor cõtritum. Hinc filij

Num. 21. Iſrael quum peccaſſent, & per negligentiam mandatũ Domini trãſgreſſi fuiſſent, atque deliquiſſent, confeſſi ſunt pec

2. Paralip. 23. catum ſuum. Ioſaphat quoque dedit conſilium populo, vt conſona voce confiterentur Domino. Ideo Eſdras ad Iu-

1. Eſd. 10. dæos inquit, Vos trangreſſi eſtis, & nunc date confeſſionem Domino Deo Patrũ veſtrorũ, & facite placitum ei donec auertatur ira Dei noſtri à nobis ſuper populo hoc. Attẽde inſuper

ſuper(ait Dauid)laborem meum quem ex abſtinētia,ex ſtabilitate,ex terreno accubitu,atque ex cæteris aliis virtutum operationibus ſuſtineo. Labor etiā iuſti eſt,quia multis perſequutionibus,multáque contentione hîc fatigatur,& ſemper prauorum obiectionibus laceſſitus,nulla hîc optatę pacis requie conquieſcit: ſed peccantes tectos atque latentes patitur diuino reſeruari iudicio. Meritò ergo poſt tanta quę ſuffert, remitti ſibi peccata omnia precatur, quia piæ tolerantiæ duriſſimus labor clementiā iudicis ſemper expectat. Illud autem conſidera quomodo non ſolum abſtinere oportet à peccatis,ſed multa etiam humilitate opus eſt & labore, ad hoc vt plenè cupiam peccata remittantur, Sequitur,Reſpice,& cætera.

Reſpice inimicos meos,quoniam multiplicati ſunt, & odio iniquò oderunt me.

Narrat inimicos ſuos multiplicatos. Nam (vt tradit hiſtoria Regum)totum fere regnū ſequebatur Abſalonē. Dicēdo autē, RESPICE inimicos meos:pro ipſis orat,vt reſipiſcāt:nam quos Deus reſpicit,ocyus ipſos conuertit,ſicut in Euāgelio Petrū Dominus reſpexit vt fleret:& in hoc maxima Dauidis charitas apparet,qui non ſolum amicis,ſed & inimicis bene precatur,neque multorum perditionem ferre poteſt. Minus enim magnū eſt erga eum eſſe beneuolum ſiue etiam beneficū, qui tibi mali nihil fecerit. Illud multo grādius & magnificentiſſimę bonitatis eſt, vt tuū quoq; inimicū diligas,& ei qui tibi malū vult,& ſi poteſt,facit:tu bonū ſemper velis,faciáſque quū poſſis,audiens dicentē IESVM, Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui vos oderunt,& orate pro his qui vos perſequuntur. Sed me (inquit Vates)iniquo odio oderunt hominē,qui nihil mali vnquam eis operatus ſum. Et vere INIQVO odio oderant, quia dum pro ipſis orationem funderet, illi tamē eū perſequi nulla intermiſſione ceſſabāt, nec vitia in eo,ſed naturā ipſam oderāt:vnde nunc Iniquū odium ad diſtinctionē iuſti dicitur: AEquū enim odium eſt quū odio habetur culpa & diligitur natura: ſemper enim natura tanquā creatura Dei bona in homine,amanda eſt. Sed neque viſibiles inimicos

2.Reg. 15
Luc.22.
Matth.5.

ſuos iniuria aliqua affecerat Dauid, neque damnum aut calumniam in eos intulerat: ſimiliter neque inuiſibiles, quia ſi peccauerat, non illos, ſed ſeipſum læſerat. Reſtat igitur vt nullam aduerſus eum iuſtam odij occaſionem haberent: ſed totum quod erat, ex ſola oriebatur inuidia. Proinde nunc ſubnectit, Cuſtodi, &c.

Cuſtodi animam meam, & erue me, non erubeſcam, quoniam ſperaui in te.

2. Reg. 15 Dauid ſupplicat vt cuſtodiatur & eripiatur ab omni malo: timebat enim mori in illa perſecutione Abſalonis: & ideo orans Domino dicit, CVSTODI animã meam, id eſt vitã meam: per animã ſiquidem corpus ſimul intellige: ea enim eſt quæ corpus moderatur: vel aliter, Cuſtodi animã ab inuiſibilibus, nimirum inimicis, ne declinem ad imitationem eorum, & talibus inſidiis peream: ERVE me, à ſenſibilibus ſcilicet hoſtibus, qui corpus meum in ſua poteſtate habere perquirunt, & à perplexitate, qua mihi falſi fratres miſcentur, qua nihil periculoſius, quia nulla peſtis efficacior ad nocendum, quàm familiaris inimicus. NON erubeſcã: neque hîc neque in futuro erubeſcenda committẽdo, ſi forte inſurgant aduerſum me hoſtes maligni. Sciens enim (inquit) quòd qui ſperant in te, à concepta ſpe non fruſtrantur, oro ne confundar, quum & ipſe ſperauerim in te. Ipſum eligit inuocare, qui neſcit pie ſupplicantes abiicere, & certe non meretur erubeſcere, qui ſpem ſuam agnoſcitur in tanta virtute collocaſſe: atque quum perfecti ſic ſe ſpei fortitudine roborant, cæteros ſui exemplo ad conſimile opus trahũt: Vnde ſubditur, Innocentes, &c.

Innocentes & recti adhæſerunt mihi, quia ſuſtinui te.

Eodẽ Pſa. De præteritis rebus eſt ſermo: alibi enim ait, Et te expectans non ſum confuſus. Multos (inquit) ad æmulationem attraxi, ac perſuaſi ex iis quę mihi contigiſſe viderãt, te ſolum verum adiutorem eſſe ac minime fallacem: vnde etiam ADHAESERVNT mihi, hoc eſt mecũ lege amicitiæ colligati ſunt, quoniam recte ſentiens te expectaui. Sed quínã

ſunt hi?

ſunt hi? quicunque ſcilicet innocentes & recti: INNOCENTES quidem moribus, RECTI autem & fide & corde: quos non frangit aduerſitas vel proſperitas, qui cæleſtem patriam appetunt, quíque ſicut diſiungi à malis, ita adhærere cupiunt bonis, vt ſeſe inuicem verbis & moribus ædificent: & bona ſua per charitatem ſibi communicent: quatenus in bono alter creſcat ex altero. Hi omnes (inquit) ſicut collo adhæret caput, & membra in eodem corpore continentur, ita & mihi integritate animi & pia longanimitate conglutinati ſunt: quoniam non defeci vt imitarer malos, ſed SVSTINVI te, expectans vẽtilationem vltimæ meſſis tuæ. Quapropter concludit, iam Exaudi me, vt per me alij pariter tibi gratias agant. Interim tamen Libera Deus Iſrael ex omnibus, &c.

Libera Deus Iſrael ex omnibus tribulationibus ſuis.

Nonnulli hoc in loco legunt, Redime Deus Iſrael, tanquam non ſufficiat Prophetæ orare pro vita & liberatione ſua: ſed pro toto populo in tribulatione poſito rogat: Redime (inquit) quaſi venditum populum fraudibus Abſalonis, quem quidem populum, Iſraelem cognominauit, vt meritum Patriarchæ patris populi commemoraret. Et hunc (ait) redime quidem ex omnibus tribulationibus ſuis, vt omni ex parte libertate ſolita gaudeat. Præſens etiam deprecatio pro populo quem ad ſuam viſionem & ad diuina contemplanda præparauerit Dominus, intelligi poteſt, videlicet non ſolum præſentibus malis non cedat, ſed neq; futuris aliquando lædatur, vt magis quietè & deuotè poſſit ſemper Altiſſimo ſeruire, & non tantum euadat eas anguſtias quas foris, ſed etiam quas intus tolerat. Itaque nos ipſum iugiter deprecemur vt viuentes immaculati, ab infernalibus anguſtiis liberari mereamur.

2.Reg.15.

Iudica me, Domine, quoniã ego in innocẽtia mea ingreſſus ſum, & in Domino ſperãs nõ infirmabor.

Nonnulli pro titulo legũt, Pſalmus ipſi Dauid: Hieronymus autem ad veritatem Hebraicam hoc vnicum verbum pro titulo ponit (Dauid,) & pręmittitur litera Lamed (vt aliquibus placet) ad deſignandum quòd (Dauid) eſt datiui caſus. Quæ omnia ſatis indicãt hunc Pſalmum à Dauide fuiſſe æditum: ſed quando & quo tempore, controuerſia eſt. Dicunt aliqui quòd hunc Pſalmum beatus Dauid eo tempore conſcripſit quando Saulem fugiens apud Philiſtæos commoratus eſt. Aliorum ſententia eſt quòd Dauid hunc Pſalmum fecerit poſt mortem Saulis, quando eum adhuc ſola Tribus Iuda in Hebrõ ſequebatur, petẽs reliquas alias Tribus etiam ſibi in regnum dari: nam (quemadmodum ſcribi-
1. Reg. 27 tur 2. Regum cap. 3.) facta eſt longa concertatio inter domum Dauid & inter domum Saulis, tametſi Dauid proficiens, & ſemper ſeipſo robuſtior, domus autem Saul decrẽſcens quotidie. Si autem ex his quę clara ſunt, coniicere vis quæ hîc tractat Pſalmographus, imprimis liquet quòd nulla de inimicis fit mentio: conſtat etiam quòd Dauid nunc offert ſe rigoroſo examini diuini iudicij: clarum inſuper eſt quòd iam dilexerat locum domus Dei inter alia multa bona quæ dicit ſe feciſſe, & promittit facere. Quæ omnia ſi ſimul cõferantur, hinc forte apparet quòd Dauid adepto regno, antequam adulterium & homicidiũ perpetraſſet, cõpoſuit hunc Pſalmũ, volẽs per ipſum iuſtificare coram Deo cauſam adepti regni, ſcilicet quòd non malis artibus, ſed cũ omni rectitudine, tum ſeruata, tum ſeruanda ambulauit, & propterea nullius meminit inimici: propterea petit à Deo rigoroſi examinis cenſuram: propterea tot bona ſua opera commemorat, & mala à quibus abſtinuit: propterea pietatem ſuam erga domum Domini citat. Et ſi diligentius ſingula collata fuerint, nõ abſonum erit dicere quòd Pſalmus iſte æditus fuit in principio, quando Dauid factus eſt Rex
2. Reg. 5. ſuper totum Iſrael, & diſpoſuit transferre arcam Domini in montem

in montem Sion vt dicitur 1.Paralip.cap.13,nam illi tempori quadrãt omnia, & iuſtificatio cauſæ regni tunc adepti, & pius affectus erga domum Domini,& non cõſenſiſſe malis geſtis, & petitio ſegregationis à malis.Itaq; nunc Dauid Domino ait, IVDICA me, Domine:nõ eſſem auſus dicere,niſi miſericordia tua ante oculos meos eſſet.Cert⁹ ergo quòd iudicia tua adiuuent me,ideo auſus ſum dicere, Iudica me, Domine. Vnde nunc petit Dauid iudicio diſcuſſionis & rigoroſi examinis iudicari à Deo, non ſimpliciter & abſolutè,ſed in cauſa regni:qua ex re ſoluitur quæſtio obiiciẽs ꝙ alibi dicit,Non intres in iudiciũ cum ſeruo tuo Domine: tametſi enim (inquit) omnia noueris, in hoc tamen confido quòd hactenus in innocentia mea ingreſſus ſum in negotio regni:& per INNOCENTIAM,longanimitatem ac patientiam ſuam intelligit:quippe qui multis iniuriis affectus eſt à Saule,& tamen iniuriam in eum nullam retulit, licet ſçpius potuerit, quẽadmodum ex Regum hiſtoria perſpicere licet. Verũ enimuerò vt præcedentia non ex prçſumptione animi,quin potius certitudine miſericordiæ Dei dicta intelligas,idcirco ſubnectitur, ET in Domino ſperans,non infirmabor:non enim in homine (inquit) non in fortitudine ſequacium confiſus ſum, ſed in diuina electione,qua me minimum inter fratres ad regni iura vocauit.Et ſperans(ait)in Domino,ab hac ſententia non decidam,quinimmo inualeſcet ſemper magis ac confirmabitur hæc mea opinio, ob ſummã ſpem quam in Deo habeo. Hæc autem verba etiam ad inimicos diriguntur. Inſuper Pſalmus iſte de homine & CHRISTO teſtatur, & omnis Eccleſiæ in CHRISTO perfectæ continet vocem. Et hîc petitione iudicij tantum ſequeſtratio malorũ quç fit in examine Domini,cognoſcitur à bono merito decenter optari. Quapropter non eſt hîc deteſtabilis arrogãtia meritorum, ſed iuſta poſtulatio ſeruientis,vt ſequeſtretur à peſſimis,ne cum malis habeat portionem:& hoc facit vt à quibus moribus differt,ab his etiam æterna electione ſeparetur: atq; hîc videns vir ſanctus bonos cum malis, grana cum paleis permixta,ab his orat ſaltem in futuro ſeculo,loco diuidi,vt non inter hœdos ſed inter oues ſedẽ habeat. Sequitur autẽ

Pſal. 144.

1.Reg. 16

huiuſce rei meritum, QVONIAM (inquit) in innocentia mea ingreſſus ſum vias, ſcilicet vitæ, inter peccatores innocenter tranſcurrendo, & propterea ego ſemper in Domino ſperans, nuſquam infirmabor, quemadmodum paleæ ante ipſam ventilationem à vento ſuperbiæ rapiuntur. Et hęc eſt vera innocentia, in Domini virtute omni tempore confidere, ne poſſit quenquam aliqua infirmitas peccatorum aggrauare. Veruntamen ſubnectit is iuſtus, Nequid occultorum delictorum me lateat & in me remaneat, Proba me Domine & tenta me, &c.

Proba me Domine, & tenta me, ure renes meos & cor meum.

¶ Si de Dauide ſermo eſt, non vt extollens ſe hoc dicit, ſed veluti duo hæc rogans atque obſecrans: PROBARI nimirum de præteritis vitæ ſuæ actionibus, hoc eſt, examinari & exquiri earũ rationẽ: & TENTARI, hoc eſt experimẽtum ab eo ſumi in futurum, an ita ſe geſturus ſit, vt olim geſſerat. Atque ſic rigoroſum proponit examen ſub ſimilitudine examinandi argenti ſeu auri, tanquam apertè Domino dixiſſet, Scrutare ſubtiliſſimè me, & intima quæque mea, & me inuenies mundum in cauſa adepti regni: neque enim (ait) ego aut regnum concupiui, aut in Saulem vel domum eius iniurias vllas retuli: id patuit in morte Abner à Ioab, metu proprij principatus & honoris (vt dicit Ioſephus) occiſi, cuius interitum animo quidẽ grauiſſimè doluit Dauid, tendens ad Deum dexteram, & coram omni po-
2.Reg.3. pulo clamans quòd non fuiſſet in Abner interitu conſentiens, nec ſuo mandato nec conſilio fuiſſet extinctus, & maledicta ponens valde grauiſſima cõtra illum qui Abner occiderat, & domum eius vniuerſam: ſepeliuítq; eum in Hebron valde decenter, oſtendens religionem circa viuos, & triſtitiam circa defunctos: ſicque cognouit omne vulgus & vniuerſus Iſrael in die illa quoniam non actum fuiſſet à rege vt occideretur Abner filius Ner. Tantundem patuit in morte Iſboſeth filij Saul ex inſidiis per Rechab & Bannaa occiſi, quemadmodum ſcriptum eſt 2.Reg.ca.4. Nã quum ad eum caput ipſius Iſboſeth attuliſſent, præfatíque prodi-

tores

ſtores commendarent ſemetipſos quaſi deuotos & interfe-
ctores inimici imperij Dauidis, ille non ſicut ſperabāt, eo-
rum ſcelere delectatus eſt, ſed (teſtante Ioſepho) talia dixit:
O peſſimi viri, & vltionē repente ſuſcepturi, neſcitis quòd Antiq.Iud.
ego interfectorē Saul peremi, qui eius mihi coronā aureā lib.7.ca.2.
deportauit, licet ille rogatus hoc feciſſet, ne Saulē compre-
henderent hoſtes: an certe mutatum me & nequaquam eſſe
huiuſmodi credidiſtis? ſed quaſi lætarer cum malignis ho-
minibus, & minus crederem peſſimas actiones interfecto-
rum proprij Domini, & necātium in ſuo lectulo virum iu-
ſtum, qui nihil operatus eſt mali, & vos ipſos multa proui-
dentia & honore glorificauit: iſti enim Bannaa & Rechab
erant de genere Beniamin in priori ordine cōſtituti. Qua-
propter illis quidē dixit Dauid, Nunc dabitis pœnas, à me
vero excipietis ſupplicia, qui putaſtis me lubenter mortem
illius habiturum. Non enim aliter gloriam meam fœdare
potuiſtis, quàm me talia velle crederetis. Quum dixiſſet
hæc, omni eos tormento puniri iuſſit: caput verò Iſboſeth
in tumulo Abner, honore maximo ſepeliuit: his igitur ge-
ſtis, ſatis oſtendit regius Vates quòd iuſtā cauſam ageret in
aſſequutione regni Iſrael. Neq; tamen quū ipſe Dauid à
Deo hîc & probari & tētari ſuper ſua innocentia petit, hoc
agit quaſi Deus aliquid tale ignoret, cui omnia nuda & a-
perta in oculis, ſed id eo fine rogat, vt tandem ea ſua inno- Hebr. 4.
centia in faſce regni omnibus nota fieret: quomodo ſic ten-
tauit Deus Abraham in immolatione Iſaac, vt ſic illius obe- Gene. 22.
dientia omnibus palam eſſet. Tentat enim Deus vt erudiat,
quanuis diabolus tentet vt ſeducat, & homo vt diſcat quod
neſcit. At ſi nunc etiam Eccleſiam loquentem in per-
fectis introducas, ipſa probari rogat vt ſe noſcat & ab aliis
cognoſcatur probata, ſicut Iob probatus eſt vt ſe cogno-
ſceret, & alij eum probatum cognoſcerent: quemadmodum Iob 1.& 2.
ita agnouerunt illi reges qui eum viſitauerunt. Neque per
elationē dicit, TENTA me, ſed hoc emendationis gratia
fieri poſtulatur. Nam quando Deus perſcrutatur & tentat,
facit nos peccatum noſtrum cognoſcere, interim corri-
piens flagello filiorū, vt ſpiritus ſaluus fiat: alioquin ſi nul-
la nos in hoc ſeculo aduerſitate commoneat, frequenter

pro neglecto relinquimus illud de quo ſatisfacere debem⁹.
Perſcrutandum tamen eſt cur hîc petat Eccleſia ſe tentari,
quum in Euangelica oratione ſit poſitum, Et ne nos indu-
Matth. 6. cas in tẽtationem. Sed memineris duo eſſe, Tẽtari & Induci
in tentationem: eſt enim Induci in tentationem, conſentire
in obiectum tentationis, & id ſemper malum eſt: ſecus autẽ
Tentari: quin nonnunquam probè vir ſanctus tentationem
cum victoria appetit, ſeu potius victoriam tentationis de-
ſyderat, quum talis tentatio hoc pacto ſit occaſio exercendę
virtutis: quemadmodum loquitur Paulus, Lubenter gloria-
2. Cor. 12. bor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virt⁹ CHRI
STI. Et propterea perpende aliud eſſe conſentire in elici-
tionem motus tentationis, & in obiectum ipſiuſmet mot⁹.
Primum non eſt malum, ſi ſimul adſit certitudo probabilis
& quàm maxime firma victoriæ: ſicut (teſtãte Philſopho) ira
quandoque à viro forti hoc pacto aſſumẽda eſt: nec tũc nos
exponimus obruenti periculo peccati: quippe tunc dicitur
obruens periculum peccati, quando paſſio inſurgit in no-
bis tam vehemens, quòd illam vincere excedit ſolitam ho-
minum facultatem. Quãuis enim tentatio ſit ad malum in-
ductiua, hoc tamen non eſt abſolutè, ſed ſolum præſuppo-
ſita infirmitate hominis: & idcirco quando probabiliter iu-
dicamus de ſtabilitate & firmitate noſtra, poſſumus hanc tẽ-
tationem cum victoria (vt dictum eſt) deſyderare. At forte
(inquies) quiſnam ille eſt qui ita rectè credere poteſt? Certe
perfectus viator, qui cũ Paulo hoc vnũ intonabit, Quis nos
Rom. 8. ſeparabit à charitate CHRISTI? tribulatio, an anguſtia?
Quapropter nũc ipſe orat, VRE renes meos & cor meum,
Spiritum Sanctum adhibendo moderatorem, tum delecta-
tionum, tum cogitationum mearum, qui vtraque exurens,
me dignum tuo regno efficiat, præſeruet quoque ne aliquid
turpe cogitem, aut aliquid mali me delectet. Videat ergo
Chriſticola qualiter vir perfectus hoc in mundo tribulatio-
nes & tentationes optat, & pro his nullus amplius murmu-
ret. Non timeo (inquit) conſumi tribulatione vel tentatio-
ne, Quoniam miſericordia tua ante oculos, &c.

Quoniam

Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt, & complacui in ueritate tua.

De Dauide ad literam præſentia accipiendo, Non appoſui (inquit Domino) cor illis, qui prouident beati fieri in tranſitoriis, ſed ſemper habui ob oculos gratiam tuam, qua ſine meritis, meipſum per Samuelem in Regem elegiſti, & de paſtore ouium vnxiſti paſtorem & Regem hominũ. Sic etenim regnum ſibi multo tempore eſſe manſurũ, domúmque claram ac famoſiſſimam ſe habiturum ſperauit: interim quoque dum aduerſa acciderũt, ita diſpoſitus ſum (ait) quia coram oculis meis miſericordiã illam tuam propoſui, quã omnibus his præſtas, qui patienti animo aduerſa omnia ſuſtinent. Quum autem de cæteris virtutibus ſuis tractare intendat, quas in progreſſu Pſalmi ponit, prius ſermonẽ temperat, & Deo gratias agit, quòd in reliquis virtutibus per illius veritatem profecerit. In lege enim tua (refert) pollicitus es eorum te miſerturum eſſe qui tibi placuerunt: Miſericordia igitur tua & veritas tua horum omnium bonorum mihi cauſa extiterunt. Et deinceps has virtutes ſuas commemorat. Si perfectum inſuper nunc loquẽtem introducas, Ne illo igne tentationum (inquit) cõſumar, non merita mea, ſed miſericordia tua, qua me ad talem vitam perduxiſti, ſemper ante oculos meos eſt: non ſolum enim quum recte viuimus, verumetiã vt ſtudioſe degamus, Dei miſericordia neceſſaria eſt: alioquin nõ diceret Apoſtolus de quibuſdã, Ne forte det illis Deus pœnitentiam. Et vt Petrus reſipiſceret atque amarè fleret præmiſit Euangeliſta, & ait, Reſpexit eum Dominus. Proinde nunc ea cauſa eſt cur nõ timeat perfectus tentationũ pericula: quippe dum ſemper meminit miſericordiæ Dei, neque poteſt illius aliquando obliuiſci Dominus. Iugiter enim ſibi ſubueniri facit, cui collatum beneficiũ ante oculos continuo aſſiſtit. Vnde etiã dicit nunc Domino iuſtus, COMPLACVI in veritate tua, videlicet probando quæ probas, & reprobando quæ reprobas. Per hoc autem apparet (intonat) quòd ego in Innocentia mea ingreſſus ſum. Nam non ſedi cum concilio vanitatis, & cætera.

1. Reg. 16
2. Timo. 2
Luc. 22.

Non ſedi cum concilio uanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo.

2.Reg.3. Nunc Ioab & Abiſai cōcilium vanitatis, atque viri falſitatis & latentes appellantur in occiſione Abner. Oſtendit quoque Dauid qualiter his qui ad nugas aut ad intempeſtiuos ſermones conueniebant, aut ad fabuloſa eloquia, nuſquam adhæſit: ſimiliter nec his qui mutuo inter ſe, aut qui aduerſus Saulem inſidias diſpoſuerunt. Veriſimile enim eſt tentatum ſæpenumero eum fuiſſe ab aliquibus de coniuratione. Sed memineris quòd modo vtitur Dauid vocabulis ſpectantibus ad conſultandum, vt intelligas non eſſe cōſenſu aut conſilio eius quomodolibet factū illud homicidiū Abner, ſeu quaſi faciens ad aſſequutionē regni. Vtitur autē præterito ad excuſationē, futuro verò, ad perpetuā deteſtationē. De perfecto inſuper noſtro in Eccleſia perfectè viuente, iterū ſermonē faciendo, nunquā is conſentit ſiue ſedet cum concilio vanitatis, hoc eſt eorū qui de terrenis tantum cogitant, ac ſolū curant ſua nomina in cineribus, & cito perituris hominū memoriis ſcribi: quinimmo dicit & iugiter ſentit, quia extinctus puluis erit corpus ſuum, ſemperque memoria nouiſſimorū, lubrica mundi pericula illæſus tranſit, atque exemplo Iob perſeuerāter ait, Meipſum
Iob.42. reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere: horū enim recordatio, cinis ille eſt vaccæ immolatæ, id eſt carnis mortificatę, quē vir mundus colligere iubetur, & in loco mūdiſſimo reponere, Numer.19. De quo Apoſtolus ad Hebræos cap.9, Cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationē carnis. Porro contubernium iniquorū omni tempore vitat, & cū his nō ponit abſconditā conſcientiā ſuā. Non enim vanæ loquacitati vacat, aut iniquo operi deſudat, ſed eorū excæcationē vitat, qui ideo ambulant vt cæci, quia Domino peccauerūt, Sophoniæ cap.1. Mirū autem (ait Seneca) quomodo omne peccatum cæcutire facit: nemo ſe auarū eſſe intelligit, nemo cupidū: cæci ducē quærunt, nos frequēter ſine duce erramus & dicimus, Non ego ambitioſus ſum, ſed vrbs magnas exigit expenſas: non eſt meum vitium quòd iracundus ſum, quia nondum conſtitui

certum

certum genus vitæ, adoleſcẽtia facit. Sed proh dolor quid nos decipimus? non eſt extrinſecũ malum noſtrũ, intra nos eſt, in viſceribus ſedet, & ideo difficile ad ſanitatẽ peruenimus, quia nos ægrotare neſcim⁹: hæc fuit cæcitas Epiſcopi Laodiceæ, cui dicitur Apocaly. cap. 3, Dicis quia diues ſum & locuples, & nullius egeo, & nõ ſcis quia tu es miſer & miſerabilis, pauper, cæcus, & nud⁹? Verũtamẽ quia nõ ſatis eſt talia vitaſſe, adhuc nũc addit perfectus, Odiui eccleſiã, &c.

Odiui eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo.

Per ECCLESIAM malignantium, hoc in loco intellige congregationem & conuentum prauorũ omniũ: Eccleſia ſiquidẽ atque Synagoga, Græca nomina ſunt, & vnã eãdémque rem ſignificãt: Latinè videlicet Cõuentũ plurimorum adinuicẽ. Prauos vero nũc quoſcũque, MALIGNITATIS nomine cõprehendit Pſalmographus. IMPII autẽ modo appellãtur duo principes latronũ, Banaa & Rechab, qui interfecerunt Regem Iſboſeth, & attulerũt caput eius ad Dauidẽ in Hebron, vt patet 2. Regũ cap. 4. Minus autem dicit ipſe Rex, quàm fecerit: quia non ſolùm nõ admiſit eos ad gratiam ſeſſionis, ſed iuſſit eos occidi vt nunc nunc dictum eſt. Porro de perfectis in Eccleſia loquẽdo, non ſufficit eis malum vitaſſe conſilium, niſi & congregationem oderint ſubdolorum: qui (vt ſcribitur Prouerbiorũ cap. 2.) relinquunt iter rectum, & ambulant per vias tenebroſas, qui lætantur quum malefecerint, & exultant in reb⁹ peſſimis. Vbi pulchrè Itineri recto, Via tenebroſa opponitur, quia nimirum iter rectæ actionis in luce peragitur, atque ad lucis ſupernæ gaudia ducit: at (ſicut Dominus ait) omnis qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur eius opera: & talis finem exterioribus ſortietur in tenebris. ODIVM autem hîc diuiſionẽ ſignificat, ſicut eſt in amore collegium. Sed ab iis omnibus ſanctus in Eccleſia quanuis non corpore, tamen vita & moribus ſeparatur, neque pactum cum impiis init. Verum cum quibus amicitia iungatur, ſtatim ſequitur, Lauabo, &c. Ioan. 3.

Lauabo inter innocentes manus meas, & circũdabo altare tuum, Domine.

Antiqui quando conteſtari volebant ſe alicuius ſceleris eſſe innoxios, coram multitudine manus lauabant: vt ſcilicet ex illa manuum munditia, animæ puritatem ſignificarent: quemadmodũ feciſſe legimus Pilatum in CHRISTI nece. Ait igitur Propheta, Ego vnà cũ aliis innocẽtibus viris lauabo manus meas, conteſtans me omniũ ſcelerum quę dicta ſunt, innocentem eſſe, atque manifeſtabo toti populo opera mea eſſe munda, quẽadmodũ ita teſtatur lauans palã manus ſuas in ſignũ innocẽtiæ. Siue (vt nonnullis placet) quia Hebræi carent optatiuo, & loco eius vtuntur futuro indicatiui, nunc poteſt eſſe vox optantis, quaſi Dauid iam deſyderet ſibi eam operũ munditiã, quæ ſuprà ſcripta eſt, atque Domino dicat, Vtinã ego ita cuſtodiã corpus & cor meum ab omni ſorde & ſpurcitia, vt mundus & innocens poſſim introire ad altare tuũ, atque dignas & acceptas tibi preces ac orationes offerre. MANVS quidẽ (doctorũ ſententia) in Sacris Opera deſignãt. Sed tantũdẽ etiã intellige nunc poſtulari à viro perfecto in Eccleſia, qui caput ſuum CHRISTVM ſequitur, qui terrena deſpicit, & cæleſtia cõcupiſcit, & cuius conuerſatio in cælis eſt. Verè enim inter innocentes lauat manus ſuas quiſque, quãdo facta propria ſtudio bonę conuerſationis emundat. Memineris autẽ qualiter Propitiatoriũ quidẽ interius erat apud Hebræos, Altare vero extra velũ. Hoc autẽ altare, ob innocentiã ſuam, Propheta hoſtiarum ac miniſtrorum multitudine circundaturum ſe prædicit. Et vir perfectus nunc eam animi munditiã ſibi efflagitat, quę decet miniſtros altaris CHRISTI: quibus præcipitur Eſaię cap. 52, Mundamini qui fertis vaſa Domini: & Leuitici cap. 21, talia eis mandantur, Homo de ſemine Aaron qui habuerit maculã, nõ offerat panes corã Domino, nec accedat ad miniſterium eius. Quibus verbis (inquit Auguſtinus) iam ablata eſt omnis dubitatio: nullus niſi mundus ſancta tractet, nemo ſummorum vel ſecundorum ſacerdotum debuit ad ſancta accedere, ſi immundus erat. Inſuper vnuſquiſque ſanctus Altare Domini in ſe habet, quod

Matt. 27.

Hebr. 9.

bet, quod eſt fides, vbi vota Deo offeruntur, vbi preces fun duntur. Quippe extra fidem non eſt locus veri ſacrificij: & hoc ipſum altare circundat charitatis operibus. Nam (vt inquit Paulus 1. ad Corinth. 13) Si habuero omnem fidem ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil ſum. atque dicit Iacobus, Fides ſine operibus mortua eſt. Charitas certe, hæc eſt veſtis qua induti conuiuæ ſecuri diſcumbunt: hac veſte pellitur frigus, quo frigebat Petrus calefaciens ſe ad prunas Caiphę: hæc ſola eſt quæ diuidit inter filios regni & perditionis. Sed idcirco vir ſanctus expoſtulat ſic adornari altare ſuum, fidem videlicet ſuã, vt pote (ait) Vt audiam, &c. Iacob. 2. Ioan. 18.

Vt audiam uocem laudis tuæ, & enarrem uniuerſa mirabilia tua.

Ordo hic eſt præpoſterus: nam prius eſt enarrare mirabilia Dei, & inde fit quòd audiatur vox laudis, adeò vt vocem canentium & lætantium de præſtitis tantis bonis, ſic audiamus. Sed quomodocũque nunc ordo ſeſe habeat, iam ſolùm Dauid id repromittit quod tandem præſtitit, puta cultum quem ordinauit in domo Domini ad teſtificandum rectitudinem animi ſui: de quo 1. Paralipo. cap. 15. & 16. quando conſtituit coram arca Domini, de Leuitis, qui miniſtrarent & recordarentur operum eius, & glorificarent atque laudarẽt Dominũ Deũ Iſrael, Aſaph principẽ, & ſecundũ ab eo Zachariã. Inter enim filios Leui (teſtãte Origene Numerorum, 4,) quidã dicti ſunt Gerſonitæ, quorũ partes erant deferre arcam Domini, & ea quæ pertinebant ad tabernaculum teſtimonij, vt pelles & veſtimenta. Filij verò Merari deferebant columnas tabernaculi, & baſes & ſeras, vnde dicitur, Vt probetur virtus Merari: atque ſimplicium Leuitarum aliqui excubabãt ad atrium templi, necnon præparabant hoſtias quas ſacerdotes offerrent: alij, vt dictũ eſt, deferebãt vaſa & ea quæ ad templũ Domini faciebant, reliqui erant cantores, inter quos præcipui fuerunt Eman, Aſaph, & Etham, vt habet hiſtoria Regum. Itaque 2. Para. 15.
nunc Dauid poſtulat dignè & deuotè poſſit audire laudem Domini, & enarret vniuerſa magnalia quæ geſſit, tum in

Exo. 7. & 8. AEgypto contra Pharaonem, tum alibi, ſiue liberando filium Iſai de manibus omnium inimicorum ſuorũ, ſiue recenſendo admiranda omnia quæ ab initio mundi Deus operatus eſt. Perfectus etiam nunc petit intelligere quomodo dignè Dominum laudare poſſit, vt quum didicerit, exponat cæteris vniuerſa mirabilia hæc, qualiter videlicet pro cunctis CHRISTVS mortuus eſt & reſurrexit, & quum Deus eſſet, mori voluit vt nos à morte liberaret. Sed ſatis ille nouit quomodo laudandus ſit Deus, qui quicquid boni facit, à Deo eſſe putat, & quod malum agit, à ſeipſo eſſe, nõ à Deo, agnoſcit. Interim vero perfectus hîc etiam docet alios Deũ laudare, quia (inquit) O Domine, dilexi decorem domus tuæ, &c.

Domine, dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.

Nunc Dauid DECOREM domus, ordinem illum admirabilem Moſaici appellat tabernaculi: nondum enim templum conſtructum erat, quinimmo (ait) & ipſum locũ amaui in quo tabernaculũ gloriæ tuæ fixum eſt. LOCVS autẽ habitationis gloriæ Dei vocabatur Sanctum Sanctorum, in quo erat arca teſtamenti, & Propitiatorium quod erat quaſi ſedes Dei, vt patet Exod. cap. 25. Inde clariſſimè lucet Dauidẽ dilexiſſe locũm in quo ponendum erat tabernaculum

Gene. 28. honoris Dei, in quo honorabatur Deus (qui Bethel appellatus eſt à Patriarcha Iacob) & propterea Dauidem tranſtuliſſe

2. Reg. 6. arcam Domini in Sion, neſcius adhuc in qua parte mõtis erat Bethel, vnde & meruit diuina reuelatione cognoſcere illum locum, 1. Paralipo. cap. 22. & 2. Paralipo. ca. 3. quemquidem locum ita adamauit, vt poſtea in eo ditiſſimũ templum, menſam, lucernas, thuribula, ſcyphos, mortariola, & cætera ex auro fabrefacta Domino dicare ſtuduerit.

3. Reg. 6. Sed Dominus hoc ardentiſſimum Regis deſyderium ad tempus Salomonis retardauit, qui hanc tam magnificam domum Domino ædificauit, atque Patri duntaxat à Spiritu Sancto cõceſſum eſt, vt impẽſas ad hoc tam celebre ædi-

1. Para. 22. ficium neceſſarias Filio præparauerit. Quid mirum igitur ſi adhuc noſtro ſeculo multi ædificant templa, veſtiunt pa-

rietes

rietes marmorum cruſtis: columnarum moles aduehunt, earúmque deaurant capita, marmora nitent in templis, auro ſplendent laquearia, gemmis altare diſtinguitur. Nónne hoc eſt Iudæorum ſupercilium redolere? Abſit. Sed melius eſt hoc facere quàm repoſitis opibus incubare. Nam iſtud & pium cultum teſtatur fidelium, atque non parum excitat, & ad honoratiorem diuini nominis celebritatem multum conducit. Omitto quòd talia templorum & altarium decoramenta, ſymbola ſunt & ſignificatiua ſpiritualis ornatus virtutum, quibus decoratus eſſe debet homo interior, ad exhibẽdum Deo debitum obſequium. Quapropter etiam modo vir perfectus in Eccleſia, Domino dicit, Pulchram effeci mentem meam, vt eſſet tibi commoratio digna in qua habitás glorifices me gloria tua. Et Decorem domus ſic appellat non ſolum pulchritudinem parietum aut myſteriorum pretioſiſſimos apparatus, ſed ipſorum actuum beatiſſimam qualitatem, quibus cũcta gaudet Eccleſia, puta in Pſalmorum iubilatione, in precum ſanctitate, in Chriſtiani populi pia religione. Dicendo autem HABITATIONIS locũ, humani pectoris ſignificauit arcanũ, mirabiliter ſubiungens, GLORIAE tuæ: nam vbicũq; habitat Dominus, gloria eſt: glorioſum ſiquidem efficit quicquid inhabitare dignatur, & ab hoſpitis merito creſcit hoſpitij magnitudo. Sed quia electus quiſque, quantuncunque ſtet, ſemper tamẽ timet ne cadat: idcirco vir perfectus miſericordem Deum humiliter deprecatur, vociferans, Ne perdas cum impiis, &c.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, & cum uiris ſanguinum uitam meam.

Comprimis declarat Dauid quantũ refugerit impiorũm & homicidarum contubernium. Simul etiam hoc in loco vir perfectus iuſte rogat ne cum impiis anima eius pereat in futuro iudicio, apud quos nunc vitam agit. Iſtos nanque impios ob maxima eorũ ſcelera, perditio ſumma cõprehẽſura eſt, quib' dictur' eſt Domin' quod ſcribitur Lucæ ca. 13, Diſcedite à me omnes operarij iniquitatis. Quid mirũ ergo ſi nũc Altiſſimũ deprecetur, vt ipſe ſanctificet eũ per omnia, vt

1.Theſ. 5. integer ſpiritus & anima & corpus ſine querela in die Domini IESV CHRISTI ſeruetur. Multis nanq; periculis vita hæc præſens patet, & quando carnis laſciuia non redũdat, & anima corporalibus nõ incuruatur erroribus, ac mẽſura viuendi in toto homine ſeruatur, maximum Dei beneficium eſt. Vnde Apoſtolus non in carne, ſed in Spiritu ambulare præcepit, vt ſanctificati per lauacrũ regenerationis, veterẽ hominem cũ ſuis deſyderiis exuentes, induti nouũ, qui ſecundum CHRISTVM creatus eſt, non iam in vetuſtate literæ, ſed in nouitate Spiritus gradiamur, quo poſſit nobis etiam reſurrectionis tẽpore incorrupta corporis & animæ & ſpiritus manere cõmunio, & tunc omnia quæ petimus, impetremus: quod pleriſque videtur etiam Dominus ſignificaſſe quũ dicit: Si duo ex vobis cõſenſerint ſuper terrã, de omni re quãcunq; petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cęlis eſt. Vt ſi in terra, hoc eſt in corpore, ſibi anima ſpiritúſque conſentiant, nec ſe impugnent inuicẽ diuerſis cupiditatibus, omnia in effectum videantur orata poſſe deduci. Itaque hanc tantã animæ & ſpiritus vnionẽ in ſeipſo deſyderat perfectus viator, vt quoties orat, ſemper oret ſpiritu & mente: atque in die iudicij à malis & impiis ſequeſtrari efflagitat, à quibus, dum vixit, moribus, ſtudio ac conuerſatione diuiſus eſt. Nullam præterea hac in via cum viris ſanguinum ſocietatem inire vult, qui ſcilicet carnaliter viuũt, & nulla iuſſa cæleſtia concupiſcunt: ſeu qui dilectionem Dei & proximi non habent. Omnis enim qui odit fratrem (inquit Ioãnes) homicida eſt: & merito ab his declinat ſtrenuus pugil in via: quippe dilectione Dei & proximi, inprimis decora fit Eccleſia. Qui ergo hęc duo violant pręcepta, ipſam Eccleſiæ pulchritudinem deturpare videntur. Proinde nullum iuſto cum talibus commercium, In quorũ manibus iniquitates ſunt, &c.

Gala. 5. · Epheſ. 4. · Roma. 7. · Matth. 18. · 1.Cor. 14. · 1.Ioan. 3.

In quorum manibus iniquitates ſunt, dextera eorum repleta eſt muneribus.

En hic exponit Dauid qui ſunt viri iniquitatis ac ſanguinum, quibus videlicet ſemper in promptu atque in manibus eſt iniquitas. Nec tantum (inquit) impij ſunt & ſanguinarij,

guinarij, ſed munerum ſuſceptores: muneribus nimirum iuſtitiam commutantes. Memineris autem hoc in loco dictionem Hebraicam non ſignificare Munus abſolutè, ſed munus ſordis ſeu corruptionis. Quapropter etiã nunc vir perfectus in Eccleſia abſtinendum à muneribus docet, culpans eos qui accipiunt munera, qui iniquitatem agentes, quæſtũ huius impietatis, lucrum aliquod arbitrati ſunt: de quibus Petrus 2. ſua Canonica, Cor exercitatum in auaritia habentes, maledictionis filij, derelinquentes viam rectam errauerunt, ſequuti viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amauit, correptionem vero habuit ſuæ veſaniæ ſubiugale mutum animal in hominis voce loquens, quod prohibuit Prophetę inſipientiam, vt patet Numerorum 22. Pulchrè vero modo de talibus dicitur, DEXTERA eorũ repleta eſt muneribus: quaſi qui de ſiniſtra fecerũt ſibi dexteram: Vita ſiquidẽ futura, in Sacris Dextera dicitur, & Vita præſens, Siniſtra appellatur: Cãticorum 2, Læua eius ſub capite meo, & dextera eius amplexabitur me. Sed tales nũmis & marſupio duntaxat inſidiantes, omnem ſuam felicitatem in fundorum & poſſeſſionum amplitudine reponunt, nec curant quomodo, ſed quantum habeant, quorum dextera ſordidis muneribus aggrauata eſt, atque ſic miſerrime dexteram in ſiniſtra collocant: quibus auaritia fit idolorum ſeruitus, quia ob pecuniæ amorem, Dei præcepta cõtemnunt, & potius argento, quàm Deo ſeruiunt. Prægrauãtur autẽ nõnunquã munere à manu, aliquãdo munere à lingua, quãdoque munere ab obſequio, interdum etiã munere à ſanguine, & frequẽter ſimul ob preces armatas à iuſto recedunt. Patet illis manus ad accipiendum, & iuſtificant impium pro muneribus. Quãobrem rectiſſime dicit Philoſophus, minimam poteſtatem tribuẽdam iudicibus, vt non ex arbitrio, ſed ſecundum leges iudicent: quoniam quum vel ament vel oderint, propria quoque vtilitas frequẽter quaſi cõgenita ſit, non ſatis queunt verũ proſpicere, ſed propria vel voluptas vel dolor iudicia obumbrat, & facile ab æquo deuiant: quemadmodum non eadem videntur amantibus, & inimicis iratis, & manſuetè ſe habentibus: nec guſtus iudicat de ſaporibus niſi ſecundum diſpoſitionem linguæ, &

2. Petr. 2.

Epheſ. 5.

Eſa. 5.

ſui organi, vt patet in ſano & febricitante. Sic palato non ſano, pœna eſt panis, qui valentibus eſt amabilis: ſic ægris oculis odioſa lux, quæ puris eſt deſyderabilis. Beatus igitur
Eſa.33. qui ſemper excutit manum ab omni huiuſmodi munere. Ego autẽ (aiunt Dauid & perfectus) in innocentia mea, &c.

Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum, redime me & miſerere mei.

In fine Pſalmi Dauid repetit innocentiam ſuam in cauſa regni, quam & in principio huius Pſalmi dicit, & id quidem more Canticorum, in quibus frequenter principium repetitur in fine. Sed quoniam cognoſcebat pleroſque ſuorum non ſemper recta agere, quin & illi adhuc nouello & tenello Regi neceſſe erat ſuper eorũ facinoribus cõniuere, propterea nunc Domino acclamat, REDIME me, videli-
2.Reg.3. cet à ſeruitute huiuſmodi nebulonũ qua detineor, & quos adhuc reprehendere non audeo. Sic enim tota vita ſua mitiſſimus Rex diſſimulauit crimen Ioab in occiſione Abner. Ita enim (referente Ioſepho) dixit, Ego noui quàm Ioab & Abiſai Zeruiæ filiis nihil pręualeo, quum ſint memetipſo potentiores. Sed & hoc ipſum eorum tantum crimen re-
3.Reg.2. liquit filio ſuo Salomoni puniendum. Interim tamen ex his penſitare debemus quàm periculoſa principi ſit cum ambitioſis & auaris familiaritas. Solus enim metus proprij principatus & honoris, fecit Ioab à Dauide deficere in occiſione Abner, atque patruum à nepote diſiunxit. Sícque videmus quanta & qualia præſumunt homines propter auaritiæ zelum, & principatus affectum, quum nulli cedere volunt. Nam cõcupiſcentes hæc adipiſci, per multa mala ad ea perueniunt, quæ rurſus metuentes amittere, multo deterioribus actionibus, vt ea retineant, implicãtur, tanquam non ſit æquale malum, adipiſci velle tãtummodo magnitudinis poteſtatem. Et dum aſſueuerit quilibet eis bonis, timet etiam rurſus amittere, quum in retinendo potius maior ſit ærumna: & propterea crudeliora moliuntur, & præ timore ne amittant quæ adepti ſunt, committere grauiora pręſumunt. Sed de his quidẽ iudicaſſe breuiter ſufficiat. Porro Dauid ne à Domino puniatur, pro iſtiuſmodi tolerãtia peccatorũ,

ſtatim

ſtatim acclamat, MISERERE mei, ita ſcilicet vt in huiuſmodi homines amplius nō incidā. Si verò de perfecto milite Eccleſiæ etiam nunc ſermo eſt: en ipſe rurſum innocētiam ſuam cōmemorat, eā ſibi mediatricē quodāmodo proponens apud Deum. Attamen vt tutus ſemper in hac tam lubrica mundi via incedat, Domino ait, Aduentus tui ſanguine pretioſo liberum redde, quo abſolutus eſt mundus qui peccatis tenebatur obnoxius, & miſerere mei: ita vt nuſquā me deſerat miſericordia tua in huius vitę periculis: quin iugiter mihi valeat ad ſecuritatem liberationis, pretium tanti ſanguinis. Atque ad prouocandam hāc diuinam miſericordiam, affert rectitudinem ſui affectus, dicens, Pes meus, &c.

Pes meus ſtetit in directo, in Eccleſiis benedicam te, Domine.

Imprimis Dauid Domino dicit, Hactenus PES meus, id eſt affectus meus non eſt lapſus à iuſto, quin ſemper ſtabilitus eſt in rectitudine, hoc eſt quia itinera vitæ meæ, omni prorſus obliquitate carent ac tortuoſitate, quod eiuſdē ſententiæ eſt cum iam dictis verbis, In innocentia mea ingreſſus ſum: atque propterea concludit, IN Eccleſiis benedicam te Domine: quod tātundem ſonat, ac ſi intuliſſet, His ita diſpoſitis, ego deinceps Pſalmos componam, per quos ego te in omnibus Eccleſiis laudabo. Præſenti inſuper verſiculo inter concutientes hęreſes, & mūdi grauiter ſæuiētes anguſtias, bene vir catholicus profitetur quia pes eius, hoc eſt, affectus ei⁹ immobilis perdurauit, qui licet importunis tribulationib⁹ fluctuet in parte fidei, neſcit quibuſlibet neceſſitatibus commoueri. Tum demū de vnitate cōgregationis loquēs, Deo repromittit, in Eccleſiis, nō in latebris, ſed in conuentibus populorum te benedicens, prædicabo dilectionem illam qua tuo me ſanguine redemiſti, baptiſmo abluiſti, ac pane cæleſti, & ſacris dapibus adimpletum, innocentiæ me melioris vitę reſtituiſti. Deniq; efficiā operibus meis omnes te vt Creatorē atq; Redemptorē venerētur. Hoc eſt enim in Eccleſiis BENEDICERE Deū, ſic viuere, vt per mores cuiuſq; benedicatur Dominus. Quippe qui benedicit Domino lingua & non factis, nō vere benedicit,

ſed iſtud eſt oleum & operam perdere: quemadmodum nihil prodeſt aperire oculos, ſi ſit quiſquam in tenebris, ſeu nihil iuuat eſſe in luce, ſi vndique clauſi ſunt oculi.

IN PSALMVM XXVI.

Dominus illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo?

Hieronymus ad veritatem Hebraicam pro titulo duntaxat, hoc vocabulum ponit (Dauid.) Quidam tamẽ pręponũt literam (Lamech) ad deſignandum quòd ipſum vocabulum ſit datiui caſus. Ex quibus omnib⁹ ſatis cõſtat Dauid authorem eſſe huius Pſalmi: ſed nonnulli & plures interpretes ita hoc in loco iuxta Græcos authores titulum legunt, Pſalmus ipſi Dauid antequã liniretur. At ter linitũ ſeu vnctum fuiſſe legimus ad regnum beatum Dauid: Primò à Samuele in
1.Reg.16 Bethlehem: deinde à Tribu Iuda poſt mortem Saul in He-
2.Reg. 2. bron: & tertiò ab omnibus Tribubus poſt mortem Isboſeth.
2.Reg. 5. Quæres autem cui potiſſimum hic Pſalmus conueniat vnctioni: Beatus Hieronymus exiſtimat de iſtis tribus vnctionibus ad mediã iſtum pertinere Pſalmum, quaſi præſens titulus quadret tempori, quo Dauid erat rex Iuda in Hebron, & inter ipſum & domum Saulis fuit longa concertatio, ſeptem ſcilicet annorum. Solet quippe homo in potẽtatu poſitus, recordari quid egerit quando pauper eſſet. Sic igitur nunc Dauidi hæc verba conueniunt, DOMINVS illuminatio mea & ſalus mea. Mortuo ſiquidem Saule (vt patet 2. Regum cap. 2.) ex reuelatione Domini aſcendit ipſe in Hebron, venerúntq; viri Iuda & vnxerũt eũ, vt regnaret ſuper domũ Iuda. Dauid igitur ex perceptis multis diuinis beneficiis, iam non timens ab homine, ſed expectans beneficiorũ cumulum, petit à Deo quieſcere in domo Dei, quęrere faciẽ noſſéque vias eius, & non tradi in deſyderium inimicorum ſuorum, atque inter aduerſa ſeculi vnum ſibi teſtatur eſſe ſuffugium, quòd licet periculis corporalibus iactaretur, ipſe ſemper interim in domo Domini firmiſſima deuotione mẽtis, habitaret. In hoc autem Laconiſmo, SALVS mea: cuncta con-

cta concludit, & valetudinem corporis, & animæ ſoſpitatẽ. Itaque iam vnctus refert quæ cogitatio eius fuerit priuſquã liniretur: hoc ordine quaſi qui diceret, Si priuſquam vnctus 1. Reg. 16
eſſem, ſeptem fratres mei magni viri ab vnctione recuſati ſunt, & mei curam Deus geſſit, vt paruum & puſillum eligeret & vngeret, nunc ipſo illuminante mihi, & fugante à me tenebras, ego quem timebo? Sæpiuſculè in Sacris pericula & calamitates appellantur Tenebræ. Itaq; Dominum malorum depulſorem rite vocat illuminationem ſuam, à quo etiam mors illuſtratur, vt poſſit aſpicere pulchritudinẽ virtutis & pietatis: quarum gradibus aſcenditur in cælum: neque quis vnquam vllis tenebris obtegi formidat, quem Dominus illuminat ſemper & ſaluat. Potes inſuper hũc Pſalmum accipere tanquam tyro CHRISTI loquatur. Sicut enim Dauid poſt primam in domo Patris vnctionem in ſignũ regni factam hoſtes habuit, antequam in Hebron in Regem vngeretur ſecundo, nec cõfirmatus eſt in regno niſi prius Saule mortuo. Sic fidelis quiſque poſt primam vnctionem Baptiſmi, quando accipit pignus Spiritus, habet hoſtes antequam ſecundo vngatur, ſcilicet poſt hanc vitam, 1. Reg. 31. 2. Reg. 2.
quando immortalitatem & impaſſibilitatem conſequitur: & nunquam confirmabitur in regno, niſi diabolo penitus ſuperato. Vox ergo fidelis inuncti, optantis vt ſecundam hãc vnctionem conſequatur, qui ſe ad omnipotentem ita pertinere declarat, vt & eum illuminet (lumine videlicet naturæ) ad cognitionem agendorum, ſuperaddens lumen gratię, ad cognitionem ſperandorum. Sicut enim oculi corporis noſtri illuminantur ab alia luce, ſic & oculi cordis noſtri à virtute fidei, hoc eſt à CHRISTO illuſtrantur. Vnde dictum eſt Ioannis cap. 1, Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quia verò per interrogationem ſubnectit Propheta, QVEM timebo? Idem ſignificat ac ſi fidelis diceret, Ad Omnipotẽtem vſque adeo pertineo vt & illuminet me, & ſaluet me, & propterea non timebo aliquem præter ipſum: quid enim præter Deum anima timeat, in qua ipſe habitat? Sequitur, Dominus.

Dominus protector uitæ meæ, à quo trepidabo?

Dauid de ſeipſo loquens, intonat, A nullo timebo, à nullo pauebo, Deo duce, ſalute & fortitudine mea. Quem enim formidare is debet quem protegit Deus? Fit autem repetitio, tum ad inſinuandum firmitatem ſecuritatis, tum vt altera ex præteritorũ, altera ex futurorum periculorũ ratione dicatur. Sed quid ſit Protegere, hac analogia intelligemus: Solent certe qui in bello alicui periclitanti opẽ ferre volũt, clypeum attollere ante eũ quem defendunt, quo ictus & iacula ab eo vndiq; auertant, & hoc pacto protegere quis aliũ dicitur. Poteſt etiã hic eſſe vox fidelis magnificantis quòd Deus ſit protector vitæ eius, ſcilicet gratiæ, quæ dicitur vita fideliũ, ſicut vita naturæ dicitur brutorũ, culpę dęmonũ, gloriȩ Angelorũ. Si enim De' illuminat viatorẽ vt recta videat, ſi ſanat, vt recte quȩ viderit, opere compleat: deinde ſi protegit ne tentatus cadat, quid reſtat quod formidare debeat? Et hoc præſens elogium imprimis dixerũt ſancti martyres, quando venerunt de tribulatione magna, & lauerunt ſtolas ſuas & dealbauerũt eas in ſanguine Agni, Apoca. cap. 7. Nã Domino protectore, ij qui erant eius, in tribulationibus inſignius atque ſplendidius veluti aurum in camino ignis ful ſerunt: & quanuis vniuerſa Eccleſia ſanguine CHRISTI mundata ſit ab omni delicto, multo magis iſti mundati atque candidati ſunt, qui adeo communicauerunt in ſanguine CHRISTI, vt ſuum quoque ſanguinem funderent pro CHRISTO: & vere ex magna tribulatione venerunt: cuius videlicet tribulationis cauſa vel initium, fuit originale peccatum. Sed martyriũ in eis (quemadmodum ſcribit Auguſtinus de Eccleſiaſticis dogmatibus, ca. 74) tota baptiſmi ſacramenta complet: Baptizandus confitetur fidem ſuã coram ſacerdote, & interrogatus reſpondet: hoc & martyr coram perſequutore facit, qui & confitetur fidem ſuam, & interrogatus reſpondet: Ille poſt confeſſionem vel aſpergitur aqua, vel intingitur: & hic vel aſpergitur ſanguine, vel contingitur igne: Ille manus impoſitione Pontificis, accipit Spiritum Sanctum: hic habitaculum efficitur Spiritus
Matth. 10 Sancti, dum non eſt ipſe qui loquitur, ſed Spiritus Patris

qui lo-

qui loquitur in illo: Ille communicat Euchariſtiæ in commemorationem mortis Domini: hic in CHRISTO commoritur: Ille confitetur ſe mundi actibus renũtiaturum: hic ipſi renuntiat vitæ: Illi peccata omnia dimittuntur, in hoc extinguũtur. At ita in CHRISTO obfirmatus fidelis, quoties & quãdo non trepidet ſubiungit, Dum appropiant, &c. Luc. 22. Rom. 6.

Dum appropiant ſuper me nocentes, ut edant carnes meas.

Intelligitur præſens verſiculus ad literam de exercitu Iſboſeth duce Abner, contra Dauidem congregato, de quo 2. Regum, cap. 2, Nam egreſſi ſunt quaſi ad deuorandum Dauidem, vtpotè vndecim Tribus cõtra vnam, & tamẽ ipſi fracti ſunt, ſeu impegerũt & ceciderunt: impegerunt quidem in Ioab obuiantem eis, & ceciderũt fugato eorum exercitu: Nam ſerui Dauid percuſſerunt de Beniamin, & de viris qui erant cũ Abner, trecentos ſexaginta, qui & mortui ſunt (vt habet ſacra Regũ hiſtoria:) Porro de pueris Dauid tantũ defuerũt decem & nouẽ viri, excepto Aſahele. 2. Reg. 2. Si autem nũc etiam fidelem loqui intelligas: en hic ipſe fatetur, vt nonnunquã Dominus relinquat tyrannis corpora ſanctorum ad perſequendũ, ſed ſemper interim habẽt ſancti cõſolationem à Domino, prout in Matthæo ſcribitur, Nolite timere eos qui occidunt corpus, animã autẽ non poſſunt occidere. Matth. 10. Proinde iam in fide ſtabilitus tyro Chriſti, acclamat, Sęuiãt tyranni perſequendo, nihil in me moritur niſi mortale: reſtat mihi aliquid quo perſequutor peruenire nõ poſſit, vbi habitat Deus meus. Quem timeat anima mea, quam inhabitat Dominus? quem timebit caro mea, quũ corruptibile hoc induerit incorruptionẽ? Vultis noſſe (inquit) quia carnes illi manducant qui nos perſequuntur, nec ipſi autem carni noſtræ metuendum eſt: ſeminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale. Ibidem. Protegitur Imperator ab armatis, & nõ timet: protegitur à mortalibus mortalis, & ſecurus eſt: quando ergo protegitur mortalis ab immortali, cur timebit aut trepidabit? Non eſt timenda mors corporis, qui mori non poſſumus ſine nutu Dei, quod in minoribꝰ liquet. Nõne duo paſſeres aſſe væneunt, & vnus ex illis non cadet ſuper terram

ſine Patre veſtro ait IESVS Matthæi cap. 10. & eſt ſenſus, Parua animalia & vilia abſque Deo authore non decidunt, & in omnibus eſt prouidentia, & quæ in his peritura ſunt, ſine Dei voluntate non pereunt: nos homines, qui æterni eſſe debemus, nuſquam exiſtimemus quòd abſque Dei prouidentia viuamus aut cadamus. Iſte ſenſus & alio loco Euāgelij dictus eſt, Reſpicite volatilia cæli, quoniam non ſerūt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cæleſtis paſcit illa: nónne vos pluris eſtis illis? ac deinceps, Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt, & reliqua. Aſſume ergo iſta, quicunque es vel eſſe cupis diſcipulus crucis Saluatoris, atque protinus infer, Qui tribulant, &c.

Matth. 6.

Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt.

Summa cum admiratione annuntiat Propheta collata ſibi à Deo beneficia. Dum appropinquarēt mihi (inquit) inimici illi qui multas ad hoc inſidias aduerſum me diſpoſuerunt vt ſçuē admodū ederent carnes meas, ipſi potius INFIRMATI ſunt, nō valentes in aliqua re mihi lęſionem inferre: ET ceciderunt, hoc eſt deciderunt à concepta ſpe, non conſequuti quod optabant, quales fuerunt Abner & Iſboſeth in illa concertatione contra Ioab, de qua præcedenti verſiculo. Inſuper præſentia ad conſtantem CHRISTI pugilem referendo, verſus iſte pendet de ſuperiore ſententia: probatio eſt enim quomodo nullum in defendenda Domini cauſa timere debeat. Nihil ergo niſi Deum timeamus, & quomodocunque alius fremat vel ſuperbiat contra nos, nō curemus. Sæuire poteſt, poteſt maledicere, poteſt calumniari, poteſt falſis opprobriis agitare, poſtremò poteſt corpus non ſolum perimere, verum etiam dilaniare. Et quid faciet? Ecce enim Deus adiuuat nos, Dominus ſuſceptor eſt animę noſtræ. Quid ſi mūdus interfector eſt corporis quādo Deus ſuſceptor eſt animæ, & reſtitutor corporis, quid nobis deerit ſi membra laceret inimicus, quando capillos dinumerat Deus? Exhortans athletas ſuos CHRISTVS ne ab inimicis perſequutoribus aliquid formidarent. Capilli (inquit) capitis veſtri numerati ſunt. Cur timebimus ergo damna membro-

2. Reg. 2.

Pſal. 53.

Matth. 10

Ibidem.

membrorum,quádo ſecuritatem accipimus de numero capillorum? Quamobrem omnium quidem Chriſtianorum, & imprimis Martyrum vox eſt, Si Deus pro nobis, quis cōtra nos? Obruebantur opprobriis falſis, pœnas incredibiles adinueniebat ingenioſa crudelitas: duris carceribus includebantur: vngulis latera lacerabātur: ferro perimebantur. ſemper tamen hoc vnum dicebant, Si Deus pro nobis, quis contra nos?neque eos terruit fremitus mundi, quibus donatus eſt artifex orbis. Itaque quanta fiducia debeat eſſe in illo qui talia dicit, ſubnectit Dauid, Si conſiſtant, &c. Rom. 8. Ibidem.

Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum.

Hoc dicit Dauid vt intelligas totam fiduciam eius eſſe in Deo ex experientia geſtorum. Per CASTRA autem Hebræi exercitum intelligunt. Adeo (inquit) mirum in modū liberatus ſum, vt deinceps ne vniuerſas quidem atque integras hoſtium copias pertimeſcam, nedum inſidias. Ad fidelem vero etiam iſta coaptando, ſalutari probatione completa, ipſe lætus exultat, decorā emphaſim, id eſt exaggerationem faciens, vt ſi aduerſus eorum caſtrorum contradicentium & aduerſantium coeat multitudo, propterea ſtabilitas mentis eius non debeat commoueri: quin nunc tantūdem eſt ac ſi diceret, Si impiorū exercitus, ſi vitiorū impetus, ſi dæmonū cœtus collectis viribus omnibus atque acie ordinata cōſurgat, nihil mens mea trepidat, quam Deus & illuminando & ſanando & protegendo confirmat. Dominus enim bellator fortis, ipſe pro me pugnabit. Caſtra munita ſunt, ſed quid munitius Deo? Hāc eandē ſententiā approbat Paulus ita ad Romanos cap. 8. loquēs, Certus ſum quia neque mors, neq; vita, neque angeli, neq; principatus, neque virtutes, neq; inſtantia, neque futura, neq; fortitudo, neque altitudo, neq; profundū, neque creatura aliqua poterit nos ſeparare à charitate Dei, quę eſt in CHRISTO IESV Domino noſtro. Et certitudinem accipit pugil CHRISTI ex promiſſione eius dicētis, Nō te deſerā, non te derelinquā: atq; (vt verbis Pauli vtar) quum CHRISTVS IESVS is ſit qui mortuus eſt, immo qui & reſur- Hiere. 20. Hebr. 13. Rom. 8.

rexit, qui eſt ad dexterã Dei, qui etiã interpellat pro nobis, quis ergo ſeparabit nos à charitate Chriſti? tanquã intuliſſet, Poſt tanta & præclara beneficia vel promiſſa, quæ poterit tam grauis eſſe preſſura, quæ nos à Redẽptoris charitate diuellat? & propterea omnẽ penè creaturam nominauit
Rom. 8. Paulus, nec fuit his contentus niſi addiderit, Vt etiã ſi ſit alia creatura nec ipſa valeat ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in CHRISTO IESV Domino noſtro. Nam Deus charitatẽ ſuã in Chriſto nobis oſtendit, quẽ pro nobis tradidit. Sed Deũ diligit in CHRISTO, cuius dilectio conſiſtit in
Ioan. 14. cuſtodia mandatorũ, ſicut ipſe ait, Si diligitis me, mandata mea ſeruate. Necnon imitationẽ amoris ſui, in fraterna charitate cõſtituit, dicens, In hoc cognoſcent omnes quia di-
Ioan. 13. ſcipuli mei eſtis, ſi dilexeritis inuicem: Et Ioannes ait, Si
1. Ioan. 4. fratrem quem vides, nõ diligis, Deum quẽ non vides quomodo potes diligere? Verum enimuero poſt hæc iterũ Dauid ſuam in Domino fiduciam aperit dicẽs, Si exurgat, &c.

Si exurgat aduerſum me prælium, in hoc ego ſperabo.

En Regius Vates hîc fortè meminit etiã illius victoriæ, quam conſulto Domino habuit cõtra Philiſtæos, de qua 2. Regum cap. 5. quos diuiſit Dominus corã eo, ſicut diuidũtur aquæ, & propterea vocatũ eſt nomẽ loci illius Baalpharaſim: niſi forte quis obiiciat hanc victoriã fuiſſe poſtquam
2. Reg. 5. Dauid vnctus eſt Rex ſuper vniuerſas Tribus Iſrael. Quare iam ab hac domini Lirani ſentẽtia recedẽdũ. Sed vndecunq; res ſeſe habeat, nũc addit Dauid, IN hoc ſcilicet, corde meo, ego ſperabo, quod videlicet amplius nõ timet, ob fiduciã quã in diuino poſuit auxilio. Quidã tamẽ dicũt ſubintelligi debere, vt ſit ſenſus, In hac ſcilicet ſpe quã in Deo habeo. Nã quod hîc dicitur (in hoc) neceſſario referendum videtur, vel ad ipſam ſpẽ, vt dictũ eſt vel ad cor, nõ autẽ ad præliũ, quũ in Græca lectione (vt annotat Euthymius) tam pronomẽ (Hoc) quàm dictio (Cor) fœmineæ voces ſint: dictio autẽ (Præliũ) maſculino varietur articulo, vnde cõiungi ea minime conſentaneũ eſt. Præterea nunc vides qualiter fidelis iam loquitur, explicãs quantũ in diuino cõfidat auxilio,

auxilio. Potuerant caſtra conſiſtere & in prælium non deſcendere, ſed nũc ipſum ſæuũ certamẽ adiicit, vt nihil eorũ metuere videatur, quæ terribilia putãt homines. SI exurgat, id eſt ſi ſubita (inquit) in me concertatio, quaſi feruẽs procella proſiliat, & ſi moueãtur aduerſum me pugnæ, cõfidẽs ſum ꝙ poſſit Do⁹ (qui eſt ſpes mea) iniqua tela in inimicorũ ora detorquere. Quid mihi facit bellũ? poteſt mihi auferre ſpem meã? poteſt mihi auferre quod dat omnipotens? Sicut nõ vincitur qui dat, ſic nõ aufertur quod dat. Ergo quia nobis nemo poteſt auferre quod dat Deus, niſi primũ ille voluerit: nihil timeam⁹ præter eũ. Quicquid aliud fremuerit, quicquid aliud ſuperbierit aduerſus nos, nõ timeat cor noſtrũ. Et merito qdẽ, quia (ĩquit Dauid) Vnã petij à Dño, &c.

Vnam petij à Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini, omnibus diebus uitæ meæ.

Nunc oſtenditur deuotus affectus Dauidis ad domũ Domini, inſinuando quòd tantę perfectionis erat, vt non tanti faceret adeptionem regni, quanti æſtimabat aſſequutionẽ voti ſui erga domum Domini. Poſtquam (inquit) liberatus ſum, petitionem vnam petij à Domino: ita enim ſubintelligendũ eſt. Tantis ergo (ait) ego beneficiis affectus à Deo, tam propitium & ſalutare numen expertus, vnum quęro, vnum votis omnibus expeto, vt pace parta conquieſcam in ſanctiſſimo templo Dei mei, & canendis eius laudibus rebúſque diuinis contemplandis reliquam vitam conſumam. Et ad literam ſtatim adimplere conatus eſt hoc Dauid, ſtatuens domum ſuam iuxta domum Domini, exemplo Moyſi, ducis populi, cui ordinatum eſt à Deo vt habitaret iuxta oſtium domus Domini, quemadmodum ſcriptum eſt Numer. 3, Caſtrametabuntur ante tabernaculum fœderis, id eſt Moyſes & Aaron, cum filiis ſuis, habẽtes cuſtodiam Sanctuarij in medio filiorum Iſrael. Rurſus vero ſtylum ad pugilem CHRISTI conuertendo, hoc in loco annotat Hieronymus qualiter quidam putãt hìc vnam charitatem, ſiue gratiam aut certè vnam petitionem dici quum (ahat) verbum Hebræum abſolutè (vnum) neutrali genere ſonet, atque propterea ſit legendum, Vnum petij à Domino, hoc 2. Reg. 7.

requiram, videlicet vt quãdiu in hac vita ſum, nullæ aduerſitates me excludant de numero eorum qui vnitatẽ & veritatem Dominicæ fidei per orbem terrarũ tenent. Sed vide quòd non paruo tempore, quin omnibus diebus vitæ ſuæ petit habitare in domo Domini. DOMVS autẽ Domini, futuram requiem deſignat: ſicut Tabernaculũ (quod peregrinantium & militantium eſt) hanc militantem Eccleſiam ſignificat. Petit ergo vt qui nunc ad tempus habitat in tabernaculo, tandem tutò habitet in domo Domini non
1. Cor. 5. manu facta, ſed æterna in cęlis. Quomodo ergo metuat, cui
Pſal. 16. tũc omnis vita ſecura eſt? O vna dulcis & tuta domus, quando nos excipies, quãdo nos de te ſatiabis! Et quare ita optet fidelis, addidit Pſalmographus dicens, Vt videam, &c.

Vt uideam uoluntatem Domini, & uiſitem templum eius.

Iam petit Regius Propheta arcanorum Dei fieri particeps, quę nouerat in templo ſepiuſculè reuelari, vnde Pro-
Exo. 40. phetæ Latino vocabulo Videntes nominati ſunt, vt patet
& Num. 4 1. Regum cap. 9. Et Arca, nuncupata eſt Arca teſtimonij, quum reſponſa Dei, & quædam humanis ſenſibus darentur ſigna ex illius Arcæ loco: ſicuti ſcriptum eſt 1. Regũ 3. de Samuele dormiente in ambitu templi, vbi erat hæc Arca Dei, cui facta eſt reuelatio deſertionis domus Heli: & conſimili ratione, tempore peregrinationis in heremo, Tabernaculum quod portabant ſacerdotes, in quo cuſtodiebantur & Arca & Lex, appellatum eſt Tabernaculũ teſtimonij: neque tantũ ex illius Arcæ loco plures voces formatæ ſunt, ſed & plura magni teſtimonij miracula reddita. Nam dum cum terram promiſſionis intrantibus, eadem Arca tranſiret
Ioſue 3. Iordanem, fluuius ex parte ſuperiore ſubſiſtens & ex inferiore decurrẽs, & ipſi & populo ſiccum præbuit tranſeundi locum. Deinde muri ciuitatis, quæ prima hoſtilis occurrit,
Ioſue 6. more Gentium Deos plurimos colens, ſepties eadem Arca circumacta, repente ceciderũt, nulla manu oppugnati, nullo ariete percuſſi. Poſt hoc etiam quum iam in terra promiſſionis eſſent filij Iſrael, & eadem Arca propter eorũ peccata fuiſſet ab hoſtibus capta, hi qui eam cœperant, in templo Dei

plo Dei ſui quem colebant, honorifice collocarunt, abeuntéſque recluſerunt, ſed aperto poſtero die ſimulachrum cui ſupplicabant inuenerũt collapſum, deformitérque confractum: deinde ipſi prodigiis acti deformiúſque puniti, Arcã diuini teſtimonij populo à quo cœperãt, reddiderũt. Quid mirũ igitur ſi nunc Dauid in hac Arca, de diuina voluntate edoceri ſperet, petátque propterea viſitare templũ ſanctum Domini, in quo huiuſmodi Arca cuſtodiebatur? Sed Auguſtinus hoc in loco legit, Vt cõtemplet delectationẽ Domini & protegat à templo eius: quaſi vir fidelis dicat, Hac de cauſa in domo Domini habitationem habere deſydero, vt delectatione afficiar cõtemplãdo ea quibus ipſe Dominus delectatur: præterea etiã illic ſemper adeſſe cupio, vt perſpiciã nũquid forte aliquod officiũ aut eorũ aliquid quæ ad diuinum cultũ debentur, omiſſum aut neglectũ ſit. Adeo quippe Deum amat, & vult finita nocte ſua, hærere in luce Dei. Iam videamus ergo (quæſo) ſi nos delectant bona iſta quæ appellantur bona, quæ non per ſe bona, ſed mutabilia ſunt: conſideremus qualis erit contẽplatio incommutabilis boni æterni, ſemper eodẽ modo manentis: curramus ad hoc tantũ bonũ aſſequẽdũ. Idcirco autẽ (ait miles CHRISTI) fidẽter peto & ſpero illuc peruenire, Quoniã abſcõdit, &c. 2.Reg. 5. 1.Reg. 6.

Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo, in die malorũ protexit me in abſcondito tabernaculi ſui.

Nunc allegoria eſt quæ ſignificat præſentẽ tutelam Dei: quæ quidẽ allegoria ducta eſt ab hiſtoria Moyſi, qui tutus fuit ab impetu populi, quũ fugiſſet in tabernaculum Dei, & (vt inquit gloſſa interlinealis Numer. 14) tũc maieſtas Domini texit eum in nubibus cæli. Itaq; ſperauit Dauid quòd ſicut Moyſes in die periculi, quũ populus contra ipſum & Aaron inſurgebat, abſconditus eſt in tabernaculo Domini, Altiſſimo mittẽte nubẽ cooperientẽ tabernaculũ: ita ſic vel aliter ipſe ex gratia Domus Dei protegendus eſſet. Hic inſuper Dauid protectionẽ Domini TABERNACVLVM appellauit, quia ipſum fugientẽ ad Deũ in periculis, diuina protectio (tabernaculi cuiuſdã inſtar) hoſpitio quodãmodo ſuſcepit, ac ſuſceptũ ſeruauit. Quapropter addit, PRO- Num. 16.

TEXIT me in abſcondito tabernaculi ſui, hoc eſt, Ita ſecũre, ac ſi eſſem abſconſus in intimo tentorij diuini. Rurſus etiã vir fidelis manifeſtius diuina quæ accipit, prædicat beneficia. DIES autem malorũ, eſt vita præſens, in qua vndique ſemper fluctuamus, nec requies vlla datur niſi finito hoc ſtadio, & dum in portu cæleſtis Hieruſalem nauigamus. Abſcondit igitur Dominus fidelem apud ſe, vt inquit Paulus ad Coloſſenſes cap. 3, Mortui eſtis, & vita veſtra
Matt. 6. abſcondita eſt cum CHRISTO in Deo. Proinde non debemus hîc noſtrum quærere ſolatium, ne de nobis quoque dicatur, Receperunt mercedem ſuam. At ſi quæras quid ſit Abſconditũ tabernaculi, audi quod ſequitur, In petra, &c.

In petra exaltauit me, & nunc exaltauit caput meum ſuper inimicos meos.

Hoc in loco eſt allegoria, ducta ab iis qui perſequẽtibus inimicis ſe recipiũt in rupẽ aliquã excelſam, & prçruptã, & omnibus ex partibus natura munitã: atq; ita nũc Dauid ſe à Domino abſq; timore, ac ſecurũ in regno eſſe collocatũ indicat, neq; ſuũ ſceptrũ poſthac cadere, qualiter & ipſum Saulis cecidit, tãquã in petra nõ fuerit ipſe Saul exaltatus. Tum demũ animaduertẽs Regius Propheta petitionẽ ſuã fuiſſe ſibi à Domino ineffabili quodã modo confirmatã, de futuris deinceps, Prophetico more, veluti de præteritis lo-
2. Reg. 5. quitur. Quia (inquit) exaudiuit me Dominus, ſpero me bre
2. Reg. 2. ui exaltandũ in Regẽ ſuper totũ Iſrael, etſi nunc ſolùm regnẽ ſuper tribũ Iuda: atq; hoc pacto cõfidebat ſe ſuperiorẽ inimicis à Deo cõſtituendũ. Solent enim victores victis inſultare, & ſupra illos quodãmodo ſe extollere. Aliter enim petitio beati Dauid impleri non poterat, niſi eius inimici prius deſtructi fuiſſent. Si vero etiã modo fidelẽ loqui intelligas, ſe IN petra, id eſt CHRISTO (à quo nomẽ Chri
Rom. 8. ſtiani habet) exaltatũ eſſe dicit. Nam licet corpus mortuũ ſit propter peccatũ, tamẽ per Chriſtũ ſentimus mentẽ noſtrã ſeruire legi Dei, neque nos duci captiuos ſub lege peccati, ſed de virtute in virtutẽ progredimur. Quid mirum ergo ſi de hac petra ſcripſit Paulus 1. Corinth. 10, Petra autẽ erat CHRISTVS, neq; dixit, Petra ſignificabat Chriſtũ: quia

ſolet

ſolet loqui Scriptura res ſignificãtes, tanquã illas quę ſignificãtur appellans: omnia enim ſignificãtia videntur quodãmodo earũ rerũ quas ſignificant gerere perſonas. Sed propter firmitatẽ, Petra dictus eſt CHRISTVS: qui duobus lignis crucis affixus, profudit ex ſuo latere ſacramenta noſtræ ſalutis, quibus interior ſitis noſtra potaretur: ſicut petra illa (de qua Numerorũ ca. 20.) bis percuſſa, dedit aquam vnde populus Iſrael ſatiaretur: gemina enim percuſſio, duo ligna crucis ſignificat, inquit Auguſtinus, locũ prænarratũ Pauli explicans, De petra educta eſt aqua accedente virga, quia ligno accedente ad petrã CHRISTVM, gratia ſpiritualis manauit. Rurſus ſubnectit fidelis: Quãuis hîc adhuc patiar inimicos corporis CHRISTI, neq; adhuc ſim exaltatus ſuper inimicos meos, tamẽ exaltauit Deus caput meũ ſuper inimicos meos. Iã caput noſtrũ CHRISTVS in cęlo eſt. Adhuc inimici noſtri poſſunt ſæuire in nos: adhuc bellum carnis, mundi, & diaboli iuxta nos eſt, ſed iam CHRISTVS, caput noſtrũ, in cælo regnat. Ecce quale pignus habemus, vt nullis iam vel vitiis aut aduerſitatibus cadamus. Et quia ſic exaltatum eſt caput meum (inquit fidelis) idcirco Circuiui & immolaui, & cæt. Ioan. 19. 1. Cor. 10.

Circuiui & immolaui in tabernaculo eius, hoſtiã uociferationis cantabo, & Pſalmum dicã Domino.

Quod præcedenti Pſalmo tanquã futurũ, dixit Dauid, Et circũdabo altare tuũ Domine, id nunc quaſi iam adimpletum ponit: CIRCVIVI (inquiens) & immolaui. Aquila vero, Exaltabo, circuibo & immolabo, tranſtulit, vt ſit tempus pro tempore. TABERNACVLVM autem id dicit quod fixerat Moyſes. Porro in eo quod ſequitur, HOSTIAM vociferationis, &c. nonnulli hoc in loco legunt Hoſtiam iubilationis: ſic appellantes genus illud ſacrificij quod fiebat pro adepta victoria: in eo enim tubarũ clangor adhibebatur, vt ſcriptum eſt Num. ca. 10. Vnde etiã nũc rite appellatur Hoſtia vociferationis: vociferatio enim vt clamor quidã eſt aduerſus inimicos, ita & pro cantu quodam triumphali accipi poteſt. Alij legunt Sacrificia clangoris. Nam dictio Hebraica hîc non ſignificat purum ſonũ tubæ, Pſal. 25. Exod. 4.

ſed ſignificat feſtiuum quẽdam ſonum tubæ,quem penuria vocabulorũ nonnulli deſignant nomine Clangoris,alij nomine Iubilationis. Et propterea forſitan iſto in loco legit Hieronymus Hoſtias iubili. Iubilus quidẽ(eodem teſte)dicitur,qui nec per literas,nec per ſyllabas,nec verbis poteſt comprehẽdere magnitudinẽ laudis Dei: quẽadmodũ HOSTIA dicitur quæ per partes diuiditur, & ſanguis circa altare effunditur,necnõ foris cõburitur(ſi tamen de hoſtia veteris legis loquendum eſt:) tũc enim hoſtia occidebatur,vt homines cauſa peccati mortui,oſtenderẽtur : nũc autẽ quia à peccatis ſunt liberi, viua offertur,in ſignum vitæ æternæ.

Leuit. 4.

Rom. 12. Quapropter inquit Paulus ad Romanos,Obſecro vos,fratres,per miſericordiã Dei,vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiã viuẽtẽ. In lege ſiquidẽ Moyſi,corpora brutorũ animaliũ,hoſtia mortua,ſed in Euãgelio corpora hominũ offerũtur hoſtia viua:quæ dicũtur hoſtia viua, ſi ſtudioſè viuũt, & eis vitia mortua ſunt. Per hoſtiã autẽ nunc Dauid ſacrificiũ intelligit,in gratiarũ actionẽ oblatum pro auxilio & victoria. Hîc verò CANTVS pertinet ad iocũditatẽ laudis, & PSALMVS, ad vſum boni operis. Sed quod hactenus hoc in verſiculo annotatũ eſt,etiã ad fidelẽ coaptari poteſt,quaſi iam animo mẽteq; reuoluẽs beneficia quæ ſe à Deo agnoſcit accepiſſe,nũc gaudiũ ſuũ mirabili narratione deſcribit. Cõſiderans ſiquidẽ orbem credẽtem in CHRISTVM, &

Philip. 2. in eo quòd pro nobis tẽporaliter Deus humiliatus eſt,gaudẽs(inquit)Laudaui eũ. Tali enim hoſtia delectatur, & hãc ideo nominat Hoſtiã iubilationis,quia Iubilationẽ dicim⁹, eo ꝙ nos iuuat laudare,quando delectãtes cum ſumma iocũditate gratias referre contendimus. Et idcirco ſubinfert, Exaudi Domine, vocem, & cæt.

Exaudi,Domine, uocem meam,qua clamaui ad te,miſerere mei & exaudi me.

Quis labor,quis gemitus Dauidis?Oratio eſt ante adeptũ ſceptrũ ſuper vniuerſum Iſrael,quod tamẽ ſibi promittebat Spiritu Prophetię. At ſubnectit, MISERERE mei & exaudi me, quaſi dicat: Nõ me debes exaudire, ob mea ſcelera: ſed quod peto, eſt,vt ex tua id facias miſericordia. Verũtamen

tamen ſi rurſus hîc fidelẽ loqui permittas, nec deſyderio ſuo adhuc ſatisfacit, niſi hoc frequẽti ſupplicatione rogauerit, ſcilicet quia diuinarũ rerũ nulla ſatietas eſt, ſed quãto plus guſtatur Dominus, tanto ſuauius cõcupiſcitur: ſicut in alio Pſalmo teſtatur idẽ Dauid, dicens, Guſtate & videte quoniã ſuauis eſt Dominus. Attamẽ nũc idẽ fidelis in Eccleſia fundẽs preces, tremebũdus acclamat Domino, Miſerere mei, & exaudi me, ac ſi ad Deũ vociferet, Ex miſericordia tua exaudi me, vt merear in illa vna eſſe: atq; preces inculcat, quia quãdiu in dieb⁹ malorũ ſumus, oratio noſtra ceſſare nõ debet, ſicut Moyſes dũ ore tacebat, ſemper tamẽ interim corde clamabat. Et propterea iſto in loco amator Dei nõ quærens vllam mundi ſpeciem, ſed ſolã CHRISTI pulchritudinẽ ambiẽs, ea verba quæ amatores ſolent eis quos diligũt dicere ſermonibus linguæ, iam illa exclamat ſermonibus cordis, Domino dicens, Tibi dixit, &c. Pſal. 33. Exod. 14.

Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea, faciem tuam, Domine, requiram.

TIBI (inquit Dauid) nõ homini loquut⁹ ſum. Ex intimo cordis tibi dixi cor meũ: neq; enim quaſi in ſuperficie ſolis labiis loquebar, ſed te in anguſtiis ſemper ex animo deprecat⁹ prorſus neglecto ac ſpreto omni alio humano auxilio, quod ſatis declarãt verba quę ſequũtur, EXQVISIVIT te facies mea. Ait igitur ſumma cũ diligẽtia perquiſiuiſſe ſe adiutorẽ Deũ. Et per FACIEM ſuã circũloquẽdo, ſeipſum intelligit, ac ſi diceret, Ego ipſe exquiſiui te: quo in loco præpoſitio illa (Ex) intentionẽ quandã denotat maiorem. Porro regius Vates explicando quid meditãdo rogauerit, ſubiungit, FACIEM tuã Domine, requirã: quaſi ipſe cõtinuo protectionẽ & cuſtodiã Domini ſibi deſyderet ac deſyderauerit. Et loquitur de Deo more humano: nã quib⁹ bene optam⁹, in eos faciẽ vertimus. Cęterũ pręſentia à fideli dicta intelligendo, Nõ hominibus (inquit) mę oſtentaui, ſed in ſecreto, vbi ſolus audis, tibi dixit cor meũ: atq; hîc (Cor) deſyderiũ tacitũ ſignificat, quod poti⁹ audit diuinitas quàm populorum tonãtiſſimas voces, ſicut Moyſi dixit Dominus. Quid clamas ad me? tametſi tũc voce aliquid loquutus fuiſſe non Matth. 7. Exod. 14.

1.Reg.1. ſe non legatur:quod & Annã Samuelis matrem,in Regum volumine feciſſe legimus: Labia (inquit)eius tantũ moue-
1.Reg.16 bãtur, & vox illius nõ audiebatur. Deus enim imprimis cor dis auditor eſt. Iſta tamẽ ſcribim⁹, nõ ꝙ orationẽ vocalẽ etiã publicã dãnemus, ſed ea ſane intellecta erudient lectorẽ vt vanã orandi gloriã fugiat, atq; ſemper attente, & ex affectu orationẽ ſuã vocalẽ faciat. Attente quidẽ, ſcilicet vt & ſenſum & verba aduertat: deuote vero, puta ſi interim mentẽ in Deũ eleuet, de quo plura in capitulo, Dolentes. Extra. de celebratione miſſarũ. & Paulus 1. ad Corinth. cap. 14, Orabo Spiritu, orabo & mẽte, pſallã Spiritu, pſallã & mẽte. Quapropter Mat. ca. 6. ſcriptũ eſt, Tu autẽ quũ oraueris, intra in cubiculũ tuũ, & clauſo oſtio ora Patrẽ tuũ in abſcõdito. Cubiculũ autẽ eſt cordis ſecretũ. Oſtiũ, carnalis ſenſus, per quẽ hęc exteriora improbè ſe ingerũt, & turbę phãtaſmatũ orãtib⁹ obſtrepũt. Nã per quinq; ſenſus, quaſi per quaſdã feneſtras, vitiorũ ad animã introitus eſt. Nõ poteſt autẽ metropolis & arx mẽtis capi, niſi per portas eius irruerit hoſtilis exercitus, horũ perturbationibus anima prægrauatur & capitur aſpectu, auditu, odoratu, ſapore, tactu. Edocemur ergo dum oramus reſiſtendum eſſe carnali ſenſui, vt oratio ſpiritualis ex intimis cordis dirigatur ad Deũ. Sed ſubnectit idẽ fidelis, vt inueniã quod quęro (tu Domine) Ne auertas, &c.

Ne auertas faciem tuam à me, ne declines in ira à ſeruo tuo.

Petit Dauid protectionẽ & cuſtodiã Dei ſibi ſemper adeſſe. Dupliciter autem negatur facies Principis ſubdito, puta aut occultatione, ſcilicet quãdo nõ apparet, ſed velũ aliquod interpoſitũ eſt, & tũc verius dicitur princeps faciẽ ſuã abſcõdere, quàm auertere. Aliter id fit quãdo apparet quidẽ facies principis, ſed neq; ipſe dignatur oculo ſubditũ ſuũ: quæ declinatio faciei apud mortales ſignũ eſt hominis irati, vel ſi ipſe reſpicit ꝓſtratũ, hũc dũtaxat toruo oculo, & facie furore liuida ꝓſpicit, quę omnia ſigna ſunt inimicitię, ita vt expectans gratiã, tunc recedere debeat, vidẽs nõ adeſſe tẽpus gratię. Itaq; nũc Dauid Domino acclamat: Hãc FACIEM tuã, qua ſemper inter anguſtias protegebar, ne auertas à me,

& ne

& ne in ira ſecedas à me, cui hactenus ſummo cũ ſtudio & cura aſtitiſti: quòd ſi vt homo deliquero, tu me humanè ac miſericorditer caſtiga. Rurſus fidelis hîc deſyderia ſua cautè decẽtérq; exequitur: iſte nõ putat irã Domini, niſi dum auertit vultũ gratiæ, etiã ſi quid in eo per iuſtitiam vindicet. Nec immeritò ſemper hoc auxiliũ vult⁹ ſiue gratię Dei ſibi deſyderat: nã quẽadmodũ terra germinare nequit & fructũ producere, niſi enutrita ſit calore ſolis, & ei⁹ virtus quaſi mortua excitetur: ita terra animæ noſtrę nihil Deo dignũ poteſt operari, niſi ſole cęleſtis gratię illuſtretur, & ad operãdũ excitata adiuuetur. Eſt enim omne mortale peccatũ lethalis morbus animæ, quẽ ipſa nec via naturæ vincere poteſt: ſed ſola medicina cęleſtis gratię morbũ illum curare, & ægrã animã ſanare valet. adhuc tamẽ ipſa anima cooperãte: tametſi ſubordinate poſt Deũ, quẽadmodũ loquitur Paul⁹ 1. ad Corinth. 1. Cor. 15. Gratia Dei ſum id quod ſum, & gratia eius in me vacua non fuit, ſed abũdãtius illis omnib⁹ laboraui: nõ autẽ ego, ſed gratia Dei mecum. Quapropter animaduerte ꝙ ſuperna pietas pri⁹ agit aliquid in nobis ſine nobis: vt ſubſequẽte quoq; noſtro libero arbitrio, bonũ quod iam appetim⁹ agat nobiſcũ. Quia enim diuina nos bonitas, vt innocẽtes faciat, pręuenit aptè ait Apoſtol⁹, Gratia Dei ſum id quod ſum: & quia eadẽ Ibidem. gratia noſtrum liberũ arbitriũ ſequitur, adiũgit, Et gratia eius in me vacua nõ fuit, ſed abũdantius illis omnibus laboraui: qui dum ſe de ſe nihil eſſe conſpiceret, ait, Non autem ego: & tamen quia ſe eſſe aliquid cum gratia inuenit, adiunxit, Sed gratia Dei mecum. Itaque nunc Deo ait fidelis: Ne auertas faciem tuã à me, ſed da mihi gratiam vt reuertar ad te, per gratiam pręueniẽtem: & maneam in te, per gratiã cooperantẽ & perficientẽ. Sic igitur bona noſtra & Dei ſunt & noſtra: quia ipſe nos pręuenit vt velimus aſpirãdo, qui adiuuando ſubſequitur, ne inaniter velimus, ſed poſſimus implere quod volumus. Pręueniẽte ergo gratia, & bona volũtate ſubſequẽte, hoc quod donũ Dei eſt, fit meritũ noſtrum. Quapropter ſequitur, NE declines in ira à ſeruo tuo, quaſi roget fidelis vt illũ hîc corripiat & proſpiciat Dominus, nõ vt ab eo cũ ira ſine correctione & venia diſcedat Homo carnalis Deum timet, ne peccatis ingrauantibus, aut ſubſtantiã

perdat, aut filios amittat, aut copia auri argentíque minuatur: ſed ſanctus vir hoc apprime metuit, ne à vultu Domini reddatur alienus. Quamobrē ſequitur, Adiutor meus, &c.

Adiutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me, Deus, ſalutaris meus.

Quouſque inſanit humana temeritas, ſibi ex ſe aliquid boni atttribuens? vbi ſunt qui humanis meritis ſine Deo ſpecialiter auxiliante, dicunt aliquid applicandum? En petit Rex & Propheta plenus gratia & benedictione cęleſti, hoc auxilium diuinum ſibi ſemper ad bonum adeſſe: quaſi (teſtante Paulo) non ſimus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſed omnis noſtra ſufficientia ex Deo ſit. Poſtulat ergo Dauid perſeuerātiam in ſtudioſis actibus, Domino dicēs, Sine tuo auxilio, nullum eſt opus bonum: itaque adiutor meus eſto. Et verbum ESTO, hîc tam ad præſens quàm ad futurum (teſtante Hieronymo) accommodari poteſt. Atque verba ſequentia, NE derelinquas, neque deſpicias, &c. non ineptè coaptantur ſtabilimēto regni Dauidis, quod ipſe deſyderabat. Quapropter iſta accipe tāquā ſi Deo ipſe diceret, Tu, Domine, perſeuera, & perfice cœpta tua in me: hactenus enim adiuuerat ipſum Deus, & in ſpi-
2. Reg. 2. ritualibus & temporalibus, ſaluando à Saule, & eleuando in Regē Iuda, ſed adhuc reſtabat vt regnaret ſuper omnes Tri-
1. Reg. 16 bus Iſrael, iuxta diuina promiſſa per Samuelē: & propterea nunc frequenter idipſum rogat, conſtantiam ſuam in orando ſummam eſſe oſtendens, atque ex corde proficiſci. Si autem fidelem modo loqui etiam intelligamus, nec abs re rogat vt Deus eum ſemper adiuuet, & nunquam deſpiciat: Nam Eccleſiaſtæ cap. 7. ſcriptū eſt, Conſidera opera Dei, quòd nemo poſſit corrigere, quem ille deſpexerit. Sed vt paucis enodemus arcanum deſertionis diuinæ in via, annotabis duo eſſe auxilia, quibus hac in valle miſeriæ, ſuæ creaturæ ad bonum aſſiſtit Deus. Vnum ęſt, ad ſufficientiam ſaluationis cuiuſlibet, quo ſemper propè eſt Dominus omni-
Pſal. 144. bus inuocantibus eum: & illud nunquā pro via aufert Deus à ſua creatura: vt in hoc differētia ſit viatorum ab his qui tranſierunt terminum, quia ſemper ſi quod in nobis eſt ad

promerendā

promerendam veniam peccati, hîc fecerimus, parcit Dominus, vt inquit Ezechiel, In quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor. Aliud autem eſt auxilium abundantioris gratiæ, quo non ſolùm Deus hîc creaturam ſuam, vt reſipiſcat, adiuuat, ſed & vt reſipiſcat, abũdanti gratia excitat atque dirigit: & hos, quibus demerito peccatorum tale auxilium ſuum ſubſtrahit Dominus, vere deſpicere dicitur. Nam proinde fit vt eis culpa ſua ſæpe in via adimatur facultas, ſine qua non ſunt conuertẽdi, aut ſine qua non conuertentur: tametſi ſemper conuerti poſſint, quia ſemper ſi pro extremo virium laborando in ſuam ſalutem, ad Deum conuerterentur, & Deus conuerteretur ad eos, vt ipſe inquit per Zachariam, Cõuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. At (pròh dolor) frequẽter mortales dura refugiunt, & à pondere graui humeros ſubſtrahunt: leue autẽ facilius ſubeunt: & idcirco paucos inuenies qui ad extremum virium aliquid faciant. Itaque ſi debeant ad Deum carnalia corda (hoc eſt peccatores) conuerti, opus eſt pluſquam ſufficienti diuina gratia: quin & ipſum cæleſte ſuperabundans auxilium requiritur, quod impoſitum onus magna ex parte alleuiet. Huiuſce rei hæc clara & breuis poteſt accipi analogia: videlicet, ſi quis ſit æger qui pro extremo virium laborãdo, adhuc ſine baculo deambulare poteſt: tamen tam fractoeſt animo, vt ſi baculo careat, nunquã ambulabit, neque ad extremum virium ſuarum enitetur, vt tãdem aliquando ambulet: tunc quiſquis ab eo baculum auferet, cauſa erit quòd nunquam ambulabit, tametſi ſemper ambulare poſſit, neque propterea ei facultas ambulandi penitus ablata ſit: ita ſæpiſſime Dominus Deus hanc gratiam ſuam abundantem ob hominum peccata tanquam indignis ſubſtrahit: vt ſint quaſi vulnerati dormientes in ſepulchris, quorum non eſt memor amplius, quia de manu eius repulſi ſunt, Pſalmo 87. Itaque rectiſſime ſcripſit Eſaias, Quærite Dominum dum inueniri poteſt, inuocate eum dũ prope eſt: nam ſi peccatori pro via præſtat Dominus hoc ſuperabundans auxilium, miſericordiæ eius eſt: ſi deneget, iniuſtitiæ argui non poteſt. Ad Romanos cap. 9, Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat. Veruntamen ita frequen-

Ezech. 18

Zachar. 1.

Eſa. 55.

ter accidit, vt quibus hoc ſuperabundans auxilium denegauerit, hos & deſerat: contrà verò quibus præſtiterit, hos & trahat: quemadmodum iuxta deductioné Ambroſij de Pharaone & Paulo legimus, quorum alter adhuc ſpirans mina-
Act.9. rum & cædis in diſcipulos CHRISTI tractus eſt: alter verò (Exodi cap.5.) quęrés quis eſſet Dominus, vt audiret vocem eius, & dimitteret Iſrael, deſertus & obduratus: nec tamen Deus obdurauit, impartiendo malitiã, ſed non impartiẽdo miſericordiã, quaquidem miſericordia nõ erat dignus ipſe Pharao: & hoc iudicium facit Dominus æquitate occulta, & ab humanis ſenſibus remota, quã nõ aperit Apoſtolus, ſed miratur dicẽs, O altitudo diuitiarũ & ſapiẽtię & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! ad Romanos cap.11. Quid mirum ergo ſi nunc hanc deſertionẽ Dei pertimeſcat fidelis viator, atque propterea Deo dicat, Fruſtra creaſti, & redemiſti, ſi me deſpicis: Nam nullum alium præter te hîc habeo ducem & authorem, voluntatem quidem liberam dediſti, ſed ſine te fruſtra eſt conatus meus: ne igitur vſquam deſeras aut deſpicias, Quoniam pater meus, &c.

Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem aſſumpſit me.

Ad literam 1. Regum cap.16. non eſt præſentatus à patre & matre ipſe Dauid Samueli, quũ ab eo cõſecratus fuit Rex ſuper Iſrael, ſed minimus inter fratres à parentibus cõtemptus, à Deo electus eſt per Samuelem: & propterea hîc Domino dicit, PATER meus & mater mea dereliquerũt me: atq; ſuperaddit, Quoniã omni parẽtũ ſolatio prorſus careo, vt vel amicos meos omnes taceã qui Saulis potẽtiã verẽtur, hoc duntaxat ad ſolamen mihi reſtat, quòd Dominus aſſumpſit me. Licet enim (inquit) omnes me dereliquerint, ipſe tamen Dominus ASSVMPSIT me, protegens ſcilicet atq; eripiens à periculis. Inſuper iam fidelis explicat in quæ
Geñ.3. mala decidit ob præuaricationem primi patris Adæ. De quibus ſcripſit Paulus ad Romanos cap. 7, Occaſione accepta peccatum per mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcen-

cupiſcentiam: ſine lege enim peccatum mortuum erat. Ego autem viuebam ſine lege aliquando: ſed quum veniſſet mā datum, peccatum reuixit. Quæ verba ſatis declarant qualiter culpa primorum protoplaſtorum omnes carnales ſumus Rom. 7. værundati per ipſos ſub peccato. Neque tamen propterea cauſa ſubeſt cur legem ſiue mādatum damnemus: quandoquidem quomodo medicina non eſt cauſa mortis, ſi oſtendat venena mortifera, licet iis mali homines abutantur ad mortem, & vel ſe interficiant vel inſidiētur inimicis: ſic lex data eſt vt peccatorum venena monſtret, & hominem male libertate ſua abutentem, qui prius ferebatur improuidus, & per præcipitia labebatur, fræno legis retineat, & compoſitis doceat incedere greſſibus: ita vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus & non in vetuſtate literæ, id eſt viuamus ſub præcepto, qui prius in modum brutorū animaliū dicebamus, Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Quòd ſi ſubintrante lege (quæ docet quid facere, & prohibet quid non facere debeamus) vitio noſtro & incontinētia feramur cōtra ſcita legalia, videtur lex cauſa eſſe peccati? quæ dū prohibet cōcupiſcētiam quodam modo inflāmare eam cognoſcitur. 1. Cor. 15. Secularis apud Græcos ſententia eſt, Quicquid licet minus, minus deſyderatur: ergo è cōtrario, Quicquid non licet, fomētum accipit deſyderij. Vnde & Tullius de parricidarum ſuppliciis apud Athenienſes Solonem ſcripſiſſe negat, ne non tam prohibere, quàm cōmonere videretur. Sed nūquid propterea exiſtimabimus legem cauſam eſſe peccati? Iſtud abſit à nobis: neque hac occaſione legem damnemus, quæ & tota ſancta, & tota ſpiritalis eſt. At iam aduertamus qualiter fidelis hîc ſe fecit paruulum Deo: ipſum fecit patrem, ipſum fecit matrem: Pater eſt quia cōdidit, quia vocat, quia iubet, quia regit: Mater verò, quia fouet, quia nutrit, quia lactat, quia continet. Itaque ſi à carnalibus parentibus iſte fidelis aliquando derelictus ſit, interim Dominus ſuſcipit eū conſolandum temporalibus, & beatificandum æternis. Hoc ſolum ergo reſtat, ſuſceptus ab illo dicat, Legem pone, &c. 2. Reg. 2. Rom. 7.

Legem pone mihi, Domine, in uia tua, & dirige me in ſemita recta, propter inimicos meos.

Aquila pro LEGEM pone, reddidit, Doce me, hoc eſt, Salutares leges tuas doce me: me, inquã, per ſemitam ſpiritualis legis tuæ incedentem, & quæ ad te tendit. Nolebat enim Dauid malis artibus ad regnum peruenire: nolebat ad cultum domus Domini, niſi via iuſta, pertingere. Quapropter (ait) DIRIGE me, &c. Nihil ſiquidem prodeſt ſcire viam Dei, & non incedere per illam. Itaque dicit, Ad rectam ſalutis ſemitam deduc me, ne ſeducar de via, & in prauas incidam cogitationes, & hoc propter inimicos meos tã viſibiles quàm inuiſibiles. Nempe non ſufficit bene incœpiſſe, quum tales inimici quandiu in hac mortali pugna ſumus, nunquam quieſcant, ſed ſemper aduerſarius noſter circuit, quærens tanquam leo, quem deuoret. Quamobrem nunc etiam fidelis à Deo ſuſceptus, illi dicit, Oſtende quid velis, quid nolis, quid diligas, quid oderis: fieri certe poterit, vt obſequendi voto offendam, ſi qualiter operari debeã, antè non diſcam. Et quia inimici mei nihil aliud moliuntur niſi vt te mihi irato, illi habeant ſuper me poteſtatem, hoc rogo vt dirigas me in via recta propter inimicos meos, atque in via poſito da correctionem quæ non ſinat aberrare, & diſciplina tua nuſquam me deſerat. Sed non auderet talia modo petere, niſi prius dixiſſet, Dominus ſuſcepit me, Dominus adiutor meus. Ergo ſi tu adiuuas (inquit) ſi tu ſuſcipis, Ne tradideris, &c.

1.Pet.5.

Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi.

Matth.26 Hoc de CHRISTO verificatum inuenimus in Euangelio: ſecundum tamen hiſtoriam intelligi poteſt de Saule, illiúſque militibus, qui Dauidem acerrimo odio perſequebantur: de quo 1. Regũ cap. 24. & 26. Atque hic Dauid, IN animas tribulantium, circunloquẽdo dixit, pro In ipſos tribulantes me milites. Ne tradas igitur (ait) me illis in poteſtatem, ne præcipui hoſtes mei, qui illos miſerũt, vt me cõprehenderent, gaudio ac lætitia inde afficiantur. Neque ſalutẽ meam dede poteſtati ac libidini hominum perditorũ,

qui me capite & fortunis acerbiſſimè oppugnant, quales 1.Reg.22.
fuerunt Doech Idumæus & ſocij eius. ANIMA vero hîc (provt ſæpenumero in ſacris Literis) pro deſyderio & cupiditate vſurpatur. Tum demũ cõqueritur Dauid de his qui ipſum proditionis inſimulabant, & criminibus falſis in inuidiam, & vitæ periculum vocabant. Ipſe etenim Saul notã impingere cupiẽs beato Dauid, iniuſtè illud aduerſus eum atteſtabatur, dicens, Scire ſe quòd decreuerat Dauid ipſum 1.Reg.22.
interficere: & propterea nunc ſcribitur, INSVRREXERVNT in me teſtes iniqui. Sed ſuperaddit Propheta; ET mentita eſt iniquitas ſibi: tanquã ſcribat ꝙ ipſa inimicorum atteſtatio ſibi ipſi mentita eſt, hoc eſt inuẽta eſt vera nõ eſſe. Nihil enim (ait Dauid) Saulem læſi, aut iniuria affeci, quinimmo potius adiuui. Sed rurſus ad fidelem reuertendo, dum hic ſibi timet à calumniis & mẽdaciis hominum, etiã pulcherrime talia addit, Mentita eſt iniquitas ſibi, acſi diceret, Semper falſi teſtes, ſi volunt, ſibi mẽtiantur, ſed nuſquam mihi. Sic vniuſcuiuſque vitium in ſuum recurrit authorem: & ſemper mendacij ſui pœnas recipit, qui falſum teſtimonium proferre cõtendit: Teſtes ſiquidem flagitioſi in eo quòd contra alios mentiuntur, ſibi mentiũtur, dum in ſe ſupplicia præparãt, putantes Deum nõ vindicare mendacia. Verũtamen inter omnia hæc pericula ingeminat fidelis, Ego Deo dirigente, Credo videre bona Domini, &c.

Credo uidere bona Domini, in terra uiuentium.

En iam traditur dogma de reſurrectione corporum: neque male ſentire videntur & noſtri, & quidam ex Hebræis explanatoribus, qui TERRAM viuentium, interpretantur cæleſtem illam regionem, quam incolunt animi piorũ, qui vere viuunt, quum è corporum vinculis euolauerunt. Noſtra enim quæ dicitur vita, mors potius eſt. Itaque videtur oratio huius verſiculi hanc continere ſententiam, ſiue in perſona Dauidis, ſiue in perſona vniuſcuiuſque fidelis. Profectò, de vita (vterque ait) iampridem deſperaſſem, quũ tanta vi ab inimicis potentiſſimis vndique oppugnarer, niſi fidem habuiſſem verbis Dei, qui pollicitus eſt poſt exiliũ longum, & grauiſſimas calamitates, ſe mihi & regnum &

vitam placidiſſimã, omniúmque bonorum pleniſſimã conceſſurum. Quaprópter hîc penſitet catholicus quòd eruet eum Dominus à terra morientiũ, qui propter eũ dignatus eſt aſſumere ipſam terram moriẽtium, & mori inter manus morientiũ: iam nuſquam dubitet de immortalitate animæ, quæ & hoc in loco ad vitam perennem inuitatur: quod nõ fieret, niſi anima rationalis poſt temporalẽ hominis mortẽ æterna maneret, quemadmodũ etiam ſcriptũ eſt, Sapientiæ cap. 2, Excæcauit illos malitia eorũ, & neſcierũt ſacramẽta Dei, neque mercedẽ ſperauerunt iuſtitiæ, nec iudicauerunt honorẽ animarũ ſuarũ, quoniã Deus creauit hominẽ inexterminabilem, ad imaginẽ ſimilitudinis ſuæ fecit illũ. Quæ omnia de homine duntaxat quoad animã, non quoad cor-
Matt. 22. pus accipi poſſunt. Et clarius apud Matthæũ idẽ firmat Dominus, Sadducæis reſurrectionem negantibus, dicẽs, Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob: non eſt Deus mortuorũ ſed viuentiũ. Anima ergo rationalis mortuo quantúlibet corpore viuit, nec ſimul cum corpore perit. Sed ad reſurrectionem corporũ, de qua in principio huius verſiculi diſſerere propoſuimus, redeundo: ipſa reſurrectio corporũ ſatis oſtenditur 1. ad Corinth. cap. 15, Vt quemadmodum CHRISTVS in illo corpore quod apud nos in ſancto ſepulchro conditum, reſurrexit: ita & nos in ipſis corporibus, quibus nunc circũdamur, & in quibus nũc
1. Cor. 15. ſepelimur, eadem ratione & viſione ſperemus reſurgere. Quæ enim iuxta Apoſtolum ſeminantur in corruptione, ſurgent in incorruptione: quæ ſeminantur in ignobilitate, ſurgent in gloria. Veruntamen non ſufficit credere futuram corporum reſurrectionem, niſi ſimul etiam crediderimus futuram carnis reſurrectionem, vt nullus amplius ſit locus errori Origenis, qui (teſtãte Hieronymo) de induſtria non nominabat carnis reſurrectionem: ſimulans cum Marcione, & vt ſic rudes carnem eum dicere putarent in corpore, & ſui hæreſiarchæ intelligerent carnem in corpore denegari. Quapropter in Symbolo fidei & ſpei noſtræ (quod eodem Hieronymo aduerſus errores Ioannis Hie-
Iob. 19. roſolymitani, teſte, ab Apoſtolis traditum eſt) præcipitur, credamus carnis reſurrectionem: quam & beatus Iob his

verbis

verbis apertiſſime demonſtrat, Scio quòd Redẽptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei cõſpecturi ſunt & nõ alius: Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. Quid certe hac prophetia manifeſtius? Nullus (vt exiſtimo) tã aperte poſt CHRISTVM quàm iſte ante CHRISTVM de reſurrectione carnis loquitur. Quapropter hoc in loco ſubiungit fidelis loquẽs ad ſe, tanquam ad alium, Quum ſcias, ô anima mea, tibi tanta bona eſſe promiſſa ab illo qui fallere non poteſt, ne dubita: ſed Expecta Dominum, &c.

Expecta Dominum, & uiriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.

Hîc aduerte ſpem præuenire robur, & robur præuenire ſpem, vt intelligas mutuo hæc ſe fulcire, & quod eſt liberi arbitrij, & quod eſt diuinę gratiæ, ſe inuicem iuuare. Verba autem præſentia Dauid ad ſeipſum dirigit, veluti temperans ſeſe, ac ſibi ipſi ſolamen præſtans. Iubet autem nõ decidere à bona ſpe: SVSTINE (inquit) hoc eſt præſtolare auxiliatorem. Expecta vero & ſuſtine, profecto etiam dicitur tyroni Chriſtiano, acſi admoneret Propheta, Dominũ patienter expecta, téque viriliter gere: ille firmabit animũ tuum, confide miſericordiæ eius. Sed additum eſt, EXPECTA Dominũ, qui videlicet promittẽdo non fallit, qui præſtando non improperat: & idcirco vſque in finem ſeculi, quicquid tibi acciderit pro CHRISTO, patienter ſuffer. At forte inquies, Quando iſtud erit? quod nunc obſeruandum prædicatur, arduum eſt mortali, tardũ eſt amanti. Verum ne in via deficiat fidelis, propterea ſtatim ei dicitur, CONFORTETVR cor tuum, ne quaſi laſſus immurmures, & tædio fatigãte deſperes, neque negatum putes quod nondũ accipis, ſed fortiter age, & noli diſſolui ne ſis in eorum albo, quibus Eccleſiaſt. cap. 2, dicitur, Vę iis qui perdiderunt ſuſtinentiam. Itaque Chriſticola ſemper patienter ſufferat, quæ pro lege, & iuſtitia patitur, certo expectans quòd nuſquam ſuo labori deerit merces.

Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem.

Infra. Pſalmus iſte Dauidis eſt, quem ex his verbis, Iunior fui etenim ſenui, conſtat ab eo iam ſene conſcriptum. Eius autem tale eſt argumentum: Nam quum Iudæi adhuc imperfecti, promiſſionibus bonorum & comminatione malorum maxime à vitiis auocarentur, & ad ſtudioſa pergerēt, vt ex
Deut. 28. fine Deuteronomij multis capitulis oſtenditur: inde non-
29. 30. 32. nulli vidētes nequiſſimos ac nihili homines, tum ſeculi ho
33. noribus, tū diuitiis abundare: contrà vero, ſanctos & probos deiici, dicebant nullum eſſe diuinum iudicium, omnia caſibus fieri, & fortuitis motibus ventilari, quaſi Deus curam de actibus hominum nō haberet. Horum errorem refellens Propheta hunc Pſalmum ædidit, oſtendens proſperitatem malorum in hac vita cito perituram, iuſtorum autē tolerantiam ac perſeuerantiam in perpetuum præmiandā. Proinde hortatur iuſtos, ne in aduerſis diffidant de prouidentia diuina, ſui exemplo, quē de manu Saulis, Abſalonis, Achitofel, & omnium quærentium iugulum eius, diuina bonitas liberauit. Quare ſequitur, vt nec indiſcriminatim imitemur inſanos, dum eos forſitan credimus eſſe felices, qui ad tempus licentia peccandi perfruuntur. Dicit ergo, NOLI æmulari in malignātibus. Eſt autem AEMVLATIO ſeu potius iuxta Græcam literam Zelus, appetitus quidam poſſidēdi bonum illud quod quis videt in alio: & propriè quidem ponitur in bonū, ſæpenumero etiam in malum. Vnde hic AEmulari in malignātibus, ſignificat malos actus imitari: quemadmodum hi faciūt qui ſe oleum & operam perdidiſſe exiſtimant, dum tardam ſibi malorum licentiam proueniſſe ſuſpirant, licet interdum hoc verbum
1. Cor. 12. (vt dictum eſt) in bonam partem ſonet. Vt dum Apoſtolus ait, AEmulamini chariſmata meliora. Sequitur, NEQVE zelaueris faciētes iniquitatem: hîc Zelare pro defendere, rectè accipi poteſt, ſcilicet vt nec malos vſquam defenda-
Exod. 32. mus: ſicut nec Moyſes populum in cōflatione vituli aurei idololatrantem

idololatrantẽ zelatus eſt, tametſi pro eo orauerit: vt ſic ſciamus ſemper in homine quãdiu viuit, amandã eſſe naturam, quæ bona eſt, & ad finem æternũ aſſequendũ creata, licet in eo deteſtandum ſit vitium. Vnde quia carnalis homo ita remurmurare poſſet, Si Deus res humanas reſpiceret, non floreret huius iniquitas, & mea innocentia laboraret: ecce, hoc in loco morbus animæ habet ex Scriptura ſuum medicamentum: ſi enim ea quæ videntur, nos mouent, zelabimur malignantes & facientes iniquitatem. Acclamare quidem poſſumus, Ecce ille & ille hæc & hæc ſcelera perpetrãt & florẽt, Noli (inquit) iſta conſiderare: ſed conſidera Quoniam tanquam fœnum velociter areſcent, &c.

Quoniam tãquam fœnum uelociter areſcent, & quemadmodum olera herbarum cito decident.

Fœnum & olus cito deſiccantur, quia parum in terrã radicantur, & propterea parum attrahũt humoris virorem nutrientis & conſeruantis. Recte autẽ hæc carnalis gloria & mundana potentia fœno comparatur: nam iuxta Eſaiam, Omnis caro fœnũ, & omnis gloria eius ſicut flos fœni. Sed hi potentes ſeculi imprimis aſſimilantur fœno vt areſcant: deinde agreſtibus oleribus vt decidãt, ſicut ſcribit Iacobus, Diues in itineribus ſuis marceſcet, ſcilicet tempore iudicij, quando ſplendor ęſtatis arridebit, quum ad conſuetudinem arborũ omnis homo fructus ſuos aperiet. Seculum etenim iſtud, ſimilitudo eſt hyemis, vbi factorum noſtrorum omne germẽ incluſum eſt: nec poteſt de eis iudicari quæ probãtur abſcondita: ſed ſi alta fuerit radix charitatis noſtræ (quemadmodũ multarũ arborũ per hyemẽ tranſit gloria, quæ per æſtatẽ reuiuiſcit) veniet ęſtas noſtra, id eſt iudicij dies, & tũc apparebit noſtra merces noſtráq; gloria: vti de hoc ad Coloſſenſes cap. 3. ſcribitur, Mortui eſtis, ſcilicet quomodo arbores per hyemẽ (vt dictum eſt) mortuę videntur, ſed intus boni viuunt per radicem charitatis: inde dicitur, Et vita veſtra abſcondita eſt cum CHRISTO in Deo. Quando autem erunt ver & æſtas, audi quod ſequitur in Paulo, Quũ CHRISTVS apparuerit vita veſtra, tunc & vos cum ipſo apparebitis in gloria, ſcilicet in finali iudicio dum dicetur,

Eſa. 40.

Iacob. 1.

Coloſſ. 3.

Matt.25. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt à conſtitutione mundi.

Spera in Domino, fac bonitatem, & inhabita terram & paſceris in diuitijs eius.

Tanquã ægro tibi loquitur ſermo diuinus, vt inter preſ-
Rom.5. ſuras huius ſeculi, ſperes in Domino: nam ſpes fidem adiuuat, neque ſpes cõfundit, quoniã charitas Dei diffuſa eſt in cordib⁹ noſtris. Quapropter ſequitur, FAC bonitatẽ, quia
Iaco.2. fides ſine operibus mortua eſt. BONITATEM enim poſuit pro Bono. Noli exemplo peruerſorũ iniquè agere, ſed ſerua mãdata. INHABITA terrã, cũ peccatoribus viuẽdo, eos ſupportãdo, & ad pœnitentiã inuitãdo. ET paſcẽris diuitiis eius, in præmiũ tuæ patientiæ. Sic nonnunquam Deus ob bona moralia, temporalia elargitur, vt Romanis propter actus iuſtitiæ dedit dominari toti orbi: & obſtetricibus AEgyptiorũ filios Hebræarũ ſeruãtibus, domos ædificauit, Exodi cap. 1. Seu ſi mauis inhabita terrã, ſanctã Eccleſiã vel corpus tuũ. Tu dominâre carni, non caro tibi, & paſcẽris in diuitiis eius, quia ſi operatus fueris terrã tuã, ſaturaberis panibus. Offerant oculi fructũ ex amore cæleſti: Aures intentionẽ audiendi verbũ Dei: Os diuinis laudibus occupetur: Manus eleemoſynis: Vẽter ieiuniis, & totũ corpus caſtitati vacet. Tunc delectaberis in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Etiã inhabita terrã, id eſt ſanctam Eccleſiã, quę eſt terra CHRISTI, & cuius ipſe pater eſt, &
Ioan.15. agricola, eã quotidie rigãdo ſacramẽtis donı́ſq; ſpirituali b⁹. Inhabita hãc, quia extra Eccleſiã, id eſt vnitatẽ fidei, nõ eſt ſalus, vti teſtatur Hieronymus ad Damaſum. Quicũque extra hanc domũ agnũ comederit, prophanus eſt. Si quis in
Gen. 7. hac arca Noe nõ fuerit, peribit regnãte diluuio. Qui Chriſti nõ eſt, Antichriſti eſt. Ergo faciẽs bonũ, inhabita terrã, in vnitate Eccleſiæ catholicę permanendo, & concorditer viuendo: & paſcẽris in diuitiis eius: diuitiæ eius Dominus, di
Pſal.15. uitiæ eius Deus. Ille eſt de quo dicitur, Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei. Inde ſaginãtur fideles: Cibus, qui quãtũ ſatiat, tãtũ beatã famẽ ſemper exaggerat. Sed ꝑtin⁹ audi quia diuitiæ terræ huius, ipſe eſt, Vide quid ſequitur,

Delectare

Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.

Quum dicit Delectare in Domino, ſuauem tibi vult eſſe eius recordationẽ, vt ames quem times, vt deſyderes quẽ veręris, vt ambias quærere quẽ paueſcis. DELECTARI quidẽ in Domino, poteſt per etymologiã interpretari, de bonitate eius lętari, quę ſugitur per cognitionem & amorem. Deliciare igitur in Domino, ſcilicet tẽpore & quietis & perturbationis: & in eo ita profuſe affectum tuum apponas, vt Deus ipſe ſemper ſit tibi tuæ deliciæ, ac cantes, prout in alio Pſalmo, Deus cordis mei & pars mea, Deus meus in ſecula. Pſal. 72. Et ecce fructus: DABIT tibi non petitionem vnam, ſed omnes petitiones cordis tui. Reſpice quia CORDIS dixit non Carnis, quod ad ſapiẽtiam ſolet referri. Cor enim ſemper ſapientiam petit: vnde ſicut hæc eſt petitio carnis, velle ſibi pręparari oculos, vtiq; ad videndum iſtam lucem, quæ talib⁹ oculis videri poteſt: ita petitio cordis ad illam lucem pertinet, de qua, Beati mũdo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Matth. 5. Cordis igitur petitio eſt fides, charitas, intellectus Dei, & opera actuum bonorum: & talia conſueuit propitius annuere delectantibus in ſe, quæ ſolet piis prædicationibus admouere: illa eadem & maiora ſuis amatoribus repromittit: quia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcẽdit, quæ præparat Deus diligentibus ſe. 1. Cor. 2. Verũenimuero ſi propter peccatorum multitudinem dubitas ſeparare aut delectari in eo, audi ſalubre cõſilium quod ſequitur,

Reuela Domino uiam tuam, & ſpera in eo, & ipſe faciet.

Quum dicit REVELA Domino, accipe non quòd aliquid neſciat De⁹, cui omnia nuda ſunt & aperta: ſed tu quod habes peccati, reuela Deo per confeſſionem oris. Hebr. 4. ET ſpera in eo, quòd poſſit & velit remittere peccatum, & ipſe faciet. Aut Reuela, id eſt indica Domino oratione deuota, tuum deſyderium explicando quid velis, quid patiaris. Pateris, quia caro cõcupiſcit aduerſus Spiritũ, & Spiritus ad- Galat. 5. Rom. 7.

Rom. 7. uerſus carnē: ingemiſcis, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Spera in eo, omnem ſolicitudinem tuam (vt inquit Petrus) in illū proiiciens, & ab eo directionē tui deſyderij petens, indica ei quid pateris, carnis ſcilicet corruptionem, & quid velis, ſcilicet inde liberari. ET quia ipſe faciet, quū ei ita reuelaueris viam tuā. Vide quid in Paulo ſequitur, Gratia Dei per IESVM CHRISTVM Dominū noſtrū. Nec ſolū hoc faciet, qui omnipotens eſt, & cui cuncta ſeruiunt: Sed educet quaſi lumen, &c.

1. Pet. 5.

Rom. 7.

Et educet quaſi lumen; iuſtitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem: ſubditus eſto Domino, *& ora eum.*

1. Cor. 13. Hîc dicit EDVCET quaſi lumē, iuſtitiam tuam: nā nunc abſcōdita eſt iuſtitia fidei Chriſtiani: in ænigmate res eſt, & nōdum in ſpecie: ſed quum cœperis videre quod credidiſti, tūc educetur in lumine iuſtitia tua, quia iuſtitia tua erat fides tua, ſpe & charitate adiuta, in magno enim finali iudicio, opera tua in lumine & claritate erunt, & iudiciū tuum, quo iudicas nunc ſanctum eſſe ſequi CHRISTVM, & eligis quod nō vides, quod iudicium modo in abſcōdito eſt & tenebroſum, quia in hoc ſeculo quaſi nox quędā eſt, & à malis irridetur, EDVCET Deus TANQVAM meridiē, id eſt clarū lumen, & in pleno ſplendore. Et quia parum erat dicere, Vt lumē: nam nox & crepuſculū etiam lumē habēt, ideo ad oſtēdendū quàm lympidè quámq; lucidè cognoſcetur iuſtitia beatorum, dixit, Tanquā meridiem. Nihil enim

Matth. 5. clarius meridiana luce, tunc omnia palā erunt, tunc Deus approbabit opera bona quæ ſicut lucent coram hominibus,

Matth. 13. ita lucebūnt coram eo ad pręmiū: nam ſunt facta in luce & gratia. Tunc iuſti fulgebunt ſicut ſol, & erunt clara omnia quę nunc abſcondita ſunt. At quum Deus tantum præmium ſeruet iuſtis, & tam magnam mercedē eis accumulet, ideo perſeuerantiā ſuadendo Propheta ſubiūxit, SVBDITVS eſto Domino, & ora eum, id eſt, Dum hîc te tentat Dominus, dum in mundo preſſuram pateris, ſine querula voce omnia ſuſtine, gratias ei agens quaſi erudienti te, ac caſtiganti

ſtiganti: noli interim murmurare, & expecta ipſum Dominum: perſeueret bonum opus, perſeueret & oratio. Oportet enim ſemper orare & nō deficere. Expertus hæc fuerat ipſe Dauid in perſequutione quam paſſus erat à Saule. Tacuit enim, & expectauit confidens in Domino, & tandem iuſtitia eius deducta eſt in lucem, & vindictæ apparuerunt pro Dauide. Ex quo etiam collige iuſtis ſeruari coronam, non tantū æternam, ſed & temporalem, ſi tamen perſeuerent. Luc. 18.

Noli æmulari in eo qui proſperatur in uia ſua, & in homine faciente iniuſtitias.

Redit ad illam commonitionem, vnde Pſalmus fecit exordium, ſcilicet ne inuidia aut indignatione mouearis, ſi videris florere impium: non te terreat iniqui felicitas breuis, NOLI æmulari vt malefacias, nec peccatorē in via ſua criminoſa virētem, fidelis imitetur. Labora, ſed in via Dei: iniuſto enim proſperitas in via eſt, in exitu infelicitas: nam ſi lucrum eſt in arca, damnum eſt in conſcientia: acquirit pecuniam, & amittit iuſtitiam: hāc autem viam ambulet fidelis quam nouit Dominus, quæ quidem anguſta eſt, & per quam pauci ingrediuntur, ſed cuius finis perfecta felicitas. Rectè vero illa anguſta dicitur, quia non contingit benè agere, niſi vno modo, quòd bonum eſt ex integra cauſa. Peccare autem euenit, quaſi infinitis modis, quum malum ſit ex ſingulis defectibus. Vnde contrà lata dicitur via illa quæ ducit ad perditionem. Itaque ne imiteris hanc, neque hominem proſperantem in hoc ſeculo, & faciētem iniuſtitiam. Et ſi in aliquo motus es, ſiue in animo, ſiue in corpore, Emenda illud, & hoc eſt quod ſequitur, Matth. 7. Ibidem.

Deſine ab ira, derelinque furorem, noli æmulari ut maligneris.

Hoc dicitur ei qui adhuc infirmus murmurat, cur non ei, ſicut cęteris, bona proueniunt. Ecce ſanum conſilium: Ceſſare ob id ab ira animi & furore corporis, quia inde iraſci aut indignari, eſt contra Deum murmurare, & prope blaſphemare. An dicturus es Deo quia iniquus eſt, ſi ille felix & ille infelix? deſine ab hac ira animi, derelinque hunc furo-

rem corporis, vt iam reſipiſcēs dicas, Turbatus eſt à furore oculus meus. Quis oculus tuus, niſi tua fides qua in CHRISTVM credidiſti? Reſpice autē quid tibi propterea ſpopōdit CHRISTVS. Si felicitatē ſeculi huius tibi promiſit, murmura aduerſus eū quando vides infidelē felicē. Si præmiū tuorū operum hoc in mundo pollicetur, acclama quādo cum mundo nō triūphas. Quid pollicetur niſi in reſurrectione mortuorum? Quid in hac vita pateris, quod nō ipſe prior pertulerit? nónne ab ipſo audis, Non eſt ſeruus maior Domino ſuo, & non eſt diſcipulus ſuper magiſtrū ſuum? Ille pro te dolores, flagella, opprobria, crucem, mortem paſſus eſt: quid horū innocens promeruerat? Nónne hæc omnia tibi peccatori debebātur? Tene igitur directū oculum tuæ fidei, NOLI æmulari vt maligneris, ne alios prouocādo ad nequitiā, ipſe nequā efficiaris: vel Ne malignè facias, quaſi imitando eū, qui malignè faciendo floret ad tempus.

Matth. 10.

Quoniam qui malignātur, exterminabuntur: ſuſtinentes autē Dominum, ipſi hæreditabunt terram.

Duplex ratio proponitur, timoris ſcilicet & muneris, cur malos non imitemur: impij enim exterminabuntur tanquā non habentes radicem pietatis, ſicut ſcriptum eſt, Tollatur impius, ne videat gloriā Dei. EXTERMINARI quidē, eſt extra terminos proiici, videlicet extra terram viuētium. Aut etiam exterminabuntur, quia frequenter præmatura morte naturali moriuntur, vt alij ferro, alij veneno, alij malo alio fato ſæpiſſime cadunt. Quid igitur homo illos imitari deſyderas, quos ſic perire proſpectas? Solet mater quæ filium diligit, illum admonere, ſemper cum bonis verſetur, ne cum perditis & nebulonibus conuiuendo, aliquando & ipſe pereat. Tu ergo ſimiliter cum bonis ambula: nec inſequaris malignantes, quorū exterminium hîc ore Dei certiſſimum eſt. Nuſquam dicas felicitatem eorum video: crede illi qui dicit, Exterminabuntur, quia melius ille videt quàm tu, cuius oculum ira furórque turbare poſſunt. Sequitur ſpes bonorum. SVSTINENTES autem Dominum, ipſi hæreditabunt terram: Hi videlicet qui perſequutionem patiuntur propter iuſtitiam, qui malis diſplicent, vt Chriſto

Eſaiæ 26. iuxta Septuag.

Matth. 5.

CHRISTO ſeruiant, qui pro nihilo ducunt felicitatē impiorum, nec ſibi volunt munera præſentia cōdonari. Hęreditabunt TERRAM, cæleſtē ſcilicet Hieruſalē, quæ Chriſtiano eſt terra ſuæ repromiſſionis. Quapropter ordinē ſuperni chirographi cōſideremus: pollicita ſuis tēporibus expectemus: nā quod differtur nō aufertur: ſemper interim ſuſtineamus Dominum, mala æquanimiter ſufferēdo, ne dum velimus promiſſa feſtinanter exigere, cauſæ videamur noſtræ ruinæ. Verūtamen vt infirmis animis longum non appareat ſuſtinere, protinus adiungit,

Et adhuc puſillum & nō erit peccator, & quæres locum eius, & non inuenies.

Ne ergo te tędeat qui ſuſtines, citò erit quòd infirmo diuturnum videtur. Inter peccatores gemis, de peccatore triſtaris, puſillum & nō erit. Modicū ſuſtine, ſine fine accipies quod ſuſtines. Modicè expecta, & nō erit peccator, qui tolletur hinc, quia diuina opprimetur vltione iudicandus: & PVSILLVM, dicit tēp9 illud quod reſtat vſq; in hūc diē iudicij, cōparatione æternitatis quę ſequetur poſtea. QVAERES locum proſperitatis eius & nō inuenies, quia momēto trāſibit: Inſuper, quia frequēter mali pro ſuis peccatis nō ſolū deſtruūtur in perſonis ꝓpriis, ſed & loca & poſteritas eorum tota peſſundantur: vti legimus de domo Achab quæ per Iehu deſtructa eſt vſque ad mingentem ad parietem. 4.Reg.9.
Aut per locū impij, intellige effrænatā vim ac malitiā qua contra bonos vtitur. Sępe enim flagellum de malis ſibi facit Deus, quo caſtigat filios, & probat iuſtos: quomodo vſus eſt diabolo ad probandū Iob, quomodo vſus eſt Iuda ad tradēdū CHRISTVM. Iob 1.&2.
Hoc in ſeculo ergo eſt locus eius, quomodo eſt in fornace aurificis, locus paleæ. Ardet palea vt aurū purgetur, ſic hîc ſæuit impius, vt iuſtus probetur: ſtatim autem nō inuenietur is locus eius, ſcilicet malus vſus contra ſanctos: puta poſt finale iudicium, quum tranſierit tempus probationis noſtræ, neque locum quietis accipiet impius, ſed perpetuam gehennam & aſſiduum tormentum poſſidebit.

Manſueti autem hæreditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.

MANSVETOS hîc appellat patientes & mites, qui alienas iniquitates tolerant, nô vt ipſi aliquem grauare præſumant: hi ergo quos nullus turbo furoris exagitat, neque concupiſcentiæ ignis inflammat, HAEREDITABVNT terram, ſcilicet ſupernam Hieruſalem, quę verè terra eſt cęleſti melle & lacte manans, in qua liberabimur de peregrinatione huius ſeculi, & in æternum viuemus cum Deo, & de Deo. Non ergo quicunque ſuſtinentes, ſed manſueti, id eſt qui patienter aduerſa tolerant, hanc terram hęreditabût. Meritò enim cæleſtem illam terram hæreditabunt, poſtquã mundana hac atque eius bonis ob propriam manſuetudinē
Matth. 5. priuati ſunt. Sic beati mites, quoniam tanquam filij Dei heredes illius æternæ patriæ: Sic beati, qui perſequutionem patiuntur propter iuſtitiam: illis etenim iſte felix incolatus
Ibidem. repromittitur, quando dicitur, Quoniam ipſorum eſt regnũ cælorum. ET delectabuntur, id eſt lætabuntur in multitudine pacis, in CHRISTO ſcilicet, quum ei ſuo in regno
Epheſ. 2. coniuncti fuerint, qui eſt pax noſtra. Aut delectabuntur ſuper multitudine pacis, id eſt tranquilli ſtatus. Tûc enim ab-
Apoc. 21. ſterget Deus omnem lachrymam ab oculis ſanctorum: & iã nô erit amplius neq; clamor, ſed nec vllus dolor. Aut etiam ſi velis, id de pace temporali dictum intellige: nam neque mites neque manſueti mouent rixas, propter quas debeant ab aliis inquietari: inde bona pace ſuis in diebus fruuntur. At quoniam ſæpiuſcule hîc iuſti opprimuntur ab iniuſtis, ideo ſubditur, Obſeruabit, &c.

Obſeruabit peccator iuſtum, & ſtridebit ſuper eum dentibus ſuis.

Superius dixerat fideli, non debere impios æmulari: nûc annuntiat peccatores de bono iuſtorum inuidia faciēte torqueri: non enim ceſſant praui de vita bonorum ſollicite rimari, vt qua ex parte tandē poſſint eis nocere: diuerſa quippe voluntas iniuſti, iuſto odium parat: nam quando ſceleratus videt iuſtum ſtudioſis operibus vacare, ille ſe credit præ-

cipue

cipue accuſari. Sic ergo primùm vulpinè hūc iuſtum obſeruat, dolens de eius bono virtutis: atque accepta occaſione lædere deſyderans, intus in mente malitia ac inuidia agitatur. Hoc enim modo, neque mali bonam famam ſtudioſorū ferre poſſunt: & in huiuſce rei typum Heli ſacerdoti ita caligauerunt oculi, vt neque lucernam in templo Dei ardentē videre poſſet. Poſtea impius STRIDET dētibus per motū corporis, ita motum animæ oſtendens, & cum violentia, poteſtate, & furore ſuo ſæuit in ſanctum, fremit animo, & cuius non poteſt mores ſubuertere, vitam ipſam protinus conatur auferre. Quare ſi iuſtus es, vide ne in præſenti mundo meliora perquiras. Non enim ſanctior Paulo eris ſub periculis in mari, periculis in falſis fratribus, in frigore, & nuditate durāti. Hæc tamen leuia ſunt, & cito tranſeunt, vt ſequitur, Dominus autem, &c. 1. Reg. 3. 2. Cor. 11.

Dominus autem irridebit eum, quoniam proſpicit quòd ueniat dies eius.

At inquies, Nunquid Deus aliquē irridet? Abſit, ſed quia impius dignus eſt vt irrideatur, in vindicta Dominus irriſione dignum iudicabit, vel irridendum oſtēdet, quādo fraudatum ſpe ſua æternis tormentis cruciandum tradet. Mirabilis verò nobis forma conſolationis oſtenditur: quis enim debeat delectari eius pompa, cuius perituram nouit audaciam? Irrideamus igitur eum cuius præuidemus occaſum, iudicemus infelicia, quę deprehendimus peritura. Licet enim Deus permittat peccatorem ad tempus affligere iuſtū, tamen non fauet peccatori, immo irridet, quia expectat diē mortis, vt magis puniat eū, qui interim miſericordia & patientia diuina abuſus eſt: & PROSPICIT quòd veniat dies eius, ſcilicet ruinæ impij: vel Dies eius, id eſt dies vltionis iræ Dei: ſemper enim vindicatur in impium: hîc, ſi ſe cōuertat, vt in Paulo ſæuiente, qui in terram cæleſti voce proſtratus eſt: in futuro, ſi in hoc ſeculo non reſipiſcat, vt in Iuda proditore, qui propterea perpetuis gehennæ ignibus deputatus eſt. Tu ergo quum pateris iniquum, per oculos fidei, proſpice cum Deo diem eius: & quum videris in te ſęuientem, dic tibi, Iſte aut correctus, meus erit, aut perſeue- Rom. 2. Act. 9.

rans, mecum non erit. At quia omnes qui perſequuntur iuſtos, maiore damno feriuntur, & grauiore pernicie afflictātur, quum in eis vaſtatur ipſe animus, ſequitur & oſtēdit hoc verſiculus ſequens,

Gladium euaginauerunt peccatores: intenderunt arcum ſuum.

GLADIVS peccatoris, eſt quilibet dolus appetens vindictam. Gladiū autē euaginare, eſt malitiam prius in corde occultā, opere exercere. Ita enim impij frequēter armāt ſe quātū poſſunt ad deſtruēdū iuſtos, vt quod antè erat in cogitatione, tāquā in vagina recōditū, pòſt eductū, reuelatis per uerſo opere cogitationibꝰ, appareat. Sequitur, INTENDERVNT arcum ſuū: Arcū intēdit, qui dolum parat, vnde incautum feriat: maligni enim, quando vident ſe nihil proficere aduerſus ſanctos, apertis odiis ſtatim inſidiantur. Arcum verò tendere, non ſtatim ſagittare eſt, ſed paratum atq; intentum operi fraudulento, deſignat, veluti iniqui faciūt expectantes tempus quando ſimplices decipiant. His duobus generibus perſequutionis impugnant mali bonos. Deinde textus reddidit ſingulis ſingula,

Vt decipiant pauperem & inopem, ut trucident rectos corde.

Nomine PAVPERIS & INOPIS deſignātur ſimplices ſcientiam & facultatem non habentes. Per RECTOS corde, intelligimus perfectos. Iniqui ergo moliuntur ſimplices arcu, id eſt occulte decipere: perfectos autem ſtudent aperte perſequutionis gladio trucidare. Aut per Rectos corde intellige eos, qui bene credunt, & in fidei culmine ſtāt, quos hi peruerſi deiicere ſtudent, dum eis tenebroſum & morti ſimilem errorem infundunt, ſtulta arrogātia vanitate ſuperfluere, & Scripturas ſacras cum omni humilitate tractandas vitioſa interpretatione & pro libito ad ſuum ſenſum corrumpere ſuadent: hæc & maiora audent, ſed ſtatim ſequitur vltio, Gladius, &c.

Gladius

Gladius eorum intret in corda ipſorum, & arcus eorum confringatur.

Ita enim accidit, vt vnde hi maligni iuſtis nocere putant, inde ſibi plus nocent: in corpore occidere volunt, in anima moriũtur: damna in bonis temporalibus afferunt, ipſi iacturam ſibi in mente pariunt. Hoc modo GLADIVS eorum intrat in corda ipſorum, vnde ſcilicet venerat, quia eorum perſequutio (vt dictũ eſt) primùm à mala volũtate & cogitatione oritur: in corpore occidere voluerũt, in anima moriũtur. Quale eſt autẽ ſæuire gladio, nec poſſe occidere niſi corpus inimici, & poſſe occidere animã ſuã? Deſipiũt, contra ſe ſæuiunt, inſaniunt, nec ſe vident, tanquam ſi vellet aliquis per corpus ſuum ferrum traiicere vt concideret tunicam alterius. Conſtat ergo plus eſſe quòd ſe lædunt in anima iniqui, & ſibi nocent, quàm quòd ſibi videntur nocere bonis quos oderunt: hac via itaque gladius intrat in corda ipſorum. Aut etiam id de morte temporali intelligere potes, nam frequẽter diuino iudicio contingit, vt mors quam innocentibus præparãt, veniat ſuper eos, ſicut Aman fuit ſuſpenſus in patibulo quod præparauerat Mardochæo: Similiter & ARCVS eorum confringitur, id eſt inſidiæ eorum fruſtrantur, ne bono noceant, vnde nihil nocet iuſto, quem forte ſic ſpoliant, ſed ſemper habet quod cantet, Heſter 7.

Melius eſt modicum iuſto, ſuper diuitias peccatorum multas.

Pia mater ſacra Scriptura bonos filios quaſi oſculans atque complectens, adhuc in eorum conſolationibus perſeuerat, ſuadẽs, Melius tibi ſit modicum de iuſtitia poſſidere, quàm de iniuſto diuitias peccatorum multas. Metuit enim illud quod Dominus ait in Euangelio, Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Vnde melior eſt iuſti paupertas, quàm prauorum diuitiæ: nam iſte paucis contentus eſt, & abundat. Iſti autem pleni ſitiunt, & egent: ſicut auaro ſemper deeſt tã quod habet quàm quod non habet: iſte in pau- Matth. 16

pertate animam ſaluat, illi in diuitiis & corpus & animam perdunt. Sed dicis, iniqui ſunt potentes, multa faciunt per ſe, vel per amicos, ſuppetit eis agendi celeritas, iuſſio-
Eccl. 4. num obedientia ſequitur. Vide quid ait Salomon, Melior eſt exigua portio cum requie, quam plena manus cum iniquitate. Quapropter iuſtus ne concupiſcat fluxis ac temporalibus ſuperfluere: natura ſiquidem modico contenta eſt. Hîc MODICVM etiam poteſt intelligi humilitas, in qua dum ſe animus cohibet, mundi pretioſa trāſcēdit. Aut ſi ve-
Matth. 13. lis, hîc Modicum eſt fides, quę propterea in Euangelio grano ſinapis comparatur. Nam ſicut granum in quantitate eſt modicū, ſed maximū in virtute: ita fides prima facie humilis eſt, ſed in pectore feruens, vilis amatoribus mūdi, & nullarum virium apparēs, ſed preſſuris trita, quid intus habet, oſtendit. Per hanc iuſtus, dum patitur & eget in hac vita, in patria ſatiari ac ditari expectat: inde fit melius ſit illi modicum, & verè melius, Quoniam, &c.

Quoniam brachia peccatorum conterentur, confirmat autem iuſtos Dominus.

Hic BRACHIA peccatorum vocat diuitias, fortitudinem, robur, potentiam ſecularem, & alia huiuſmodi fluxa, quæ ſunt brachia & vires impiorum, in quibus maxime cōfidunt, dum nulla rationis cōſideratione flectūtur. Sed hæc CONTERENTVR & deſtruentur in vindicta, ne innocentibus noceant, vt patet de Crœſo, Sardanapalo, Dario & cæteris iſtiuſmodi mōſtris, qui nūc verè teſtantur quomodo perpetuum nihil eſt homini, niſi candida virtus. Quare breuis eſt moleſtia tua iuſte, ſed æterna erit beatitudo. Ad modicum doles, ſine fine gaudebis. Inde ſequitur, CONFIRMAT iuſtos Dominus, ſcilicet fortitudinem & robur præſtando, ne ab iniuſtitia vincantur: vt & neque in proſperis, neque in aduerſis à bono virtutis moueantur, & nec mor-
Rom. 8. te, nec vita à charitate Dei ſeparentur, & hoc per ſpem futurorum, per exempla Martyrum, & maxime per exemplū ſuæ crucis, paſſionis & mortis. Si inter moleſtias neſcis pati, incipis labi, conſidera ignominiam & dolorem crucis: vide quid pro te pertulit, qui quare perferret, non habebat.

Quantum-

Quantuncunque patiaris, non peruenies ad illas inſultationes, ad illa flagella, ad illam ignominioſam veſtem, ad illam ſpineam coronam, ad illam poſtremo crucem. Hæc ne iã ſat tibi ſunt, Chriſtiane, vt ſtatim cũ Paulo intones, Quis nos ſeparabit à charitate CHRISTI? Tribulatio, an anguſtia? an fames? an nuditas? an perſequutio? Hæc ne faciant, ocyus in has voces erũpas, Gloriamur in tribulationibus, ſcientes quia tribulatio patientiam operatur, patiẽtia probationem, probatio ſpem, ſpes autem non confundit, quoniam charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris. Quicquid acciderit iuſto, voluntati diuinæ deputet, non poteſtati inimici. Sæuire ille poteſt, ferire ſi ille noluerit, non poteſt: & ſi ille voluerit vt feriat, nouit ſuum Dominus quemadmodum excipiat. Quem enim diligit, corripit, & flagellat omnem filium quem recipit. Quid ergo ſibi plaudit iniquus, quia flagellum de illo ſibi fecit Pater noſter Deus? Illum aſſumit ad miniſterium, ſuos erudit ad patrimonium, quos & confirmat. Et quomodo? Ioan. 19. Rom. 8. Rom. 5. Hebr. 12.

Nouit Dominus dies immaculatorum, & hæreditas eorum in æternum erit.

Hoc in loco per DIES, cõuerſationem iuſtorum, & perfecto corde ambulantium intellige. Nouit ergo Dominus qui ſunt eius, immũdos autem & eos qui eum ignorãt, neſcit. Omnis enim ignorãs, ignorabitur. Seruat bonis neſcio quod dulce ſpectaculũ. Nam quia contẽpſerũt trãſitoria & terrena, habebunt cæleſtia & æterna. Noli igitur, quiſquis iuſtus es, mirari quia hîc in laboribus pararis: ſane ad magnum aliquid pararis. Vnde vox illa iuſti confirmati, Non ſunt condignæ paſſiones huius ſeculi, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Propterea textus habet, HAEREDITAS eorum in æternum erit: quorum hæreditas CHRISTVS eſt, qui in æternum manet, neque in hoc ſeculo iuſti hæreditatem habent, hoſpites ſe eſſe ſcientes ac peregrinos. Per CHRISTVM autem non confundentur in tempore malo. Vel IN æternũ erit, hoc eſt In vita æterna, Matthæi cap. 25, Ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam. Merito autem hæc vita æterna 2. Timo. 2 1. Cor. 14. Rom. 8.

toties bonis repromittitur, vt verè pollicitationis ambiguitas auferatur.

Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur, quia peccatores peribunt.

MALVM tempus, ſignificat diem extremi iudicij, quando omnis caro ſolicita actuum ſuorum, mercedem compenſationémque reformidat, quod tempus diſcuſſionis impiis malum erit. Nam tunc terribilem Dei ſententiam audient,

Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum. In hoc tempore iuſti non confundentur aut fallentur, quia ille in quem ſperauerunt, non fallere poteſt. Impij autem eſurient & ſitient, nudi & quibuſcunque actibus ſtudioſis carẽtes, de quibus dicitur,

Luc. 6. Væ qui ſaturati eſtis, quoniam eſurietis. Nam dies vitæ eorum, illis dies famis ſunt: ſiquidem nihil habent ſpirituale

In epiſtola Iudæ. quod illos intus reficiat: patiuntur famem ſpiritus, arbores autumnales, arbores infructuoſę. Quãdo ablata ſunt externa, nihil habent quod eos conſolari poſſit in conſcientia.

2. Cor. 12. Contrà autem iuſto accidit, cui ſi foris anguſtiæ, in animo habet vnde delectetur & dicat, Lubẽter gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus CHRISTI. Sic

Eſa. 65. in diebus famis ſaturatur, vti dixit Eſaias, Serui mei comedent, & vos eſurietis. SATVRATVR quidẽ in hac vita & per Scripturas ſacras, & per exempla Dominica, & per ſpem ac Dei repromiſſiones, & in futura æterno ſummo indicibilíque bono: quibus epulis ſatiat eum CHRISTVS. PECCATORES vero peribunt: quandoquidem quibus locus nuſquam eſt, quomodo nõ peribunt? Non erit impio in iudicio conſolatio in ſuis externis, quia iam conſumpta erunt: neque ſolatium habebit à ſuis interioribus & animæ bonis, quia nulla apparebunt. Sic ergo quomodo non torquebitur cui nullibi bene eſſe poteſt? ſibi ipſi tormentũ erit: ipſe enim erit gehenna ſua, quẽ torquebit conſcientia propria. Fugiat ab inimico quò potuerit, à ſe quo fugiet? Inde

Eſa. 66. Eſaias, Ignis eorum non extinguetur, & vermis nõ morietur. His igitur modis peccatores peribunt. Iſtud clariſſime oſtendit verſiculus ſequens,

Inimi-

Inimici uero Domini mox ut honorificati fuerint & exaltati, deficiētes, quēadmodū fumus deficiēt.

Ex ipſa ſimilitudine, rem quam inſinuauit, agnoſce. Fumus à loco ignis erumpens, in altum extollitur, ſublimatus in globum, intumeſcit: & quāto fuerit globus ille grādior, tanto fit vanior, ac citius in auras dilabitur, ita vt videas ei obeſſe illam magnitudinē. Sic inimici Domini mox vt honorificati fuerint poteſtate terrena, & exaltati in vana gloria, quanto maiora in hac mortali vita habuerint, tanto magis ac magis deprimentur in futura, ſicuti ſcribitur in Apocalypſi, Quantum glorificauit ſe in deliciis, tantum date illi tormentū & luctum. Apoc. 18. Sæpéque fit vt quanto gradus hîc altior, tanto etiā ſit hîc caſus grauior & breuior, ac in futurū ruina maior. vti teſtatur Suetonij hiſtoria de Vitis Cæſarū, quorū alius neque ſexaginta dies imperauerit, alius vix ſeptē, alius vix octo mēſes expleuerit, hoc modo inimici Domini cito cōſumuntur, & euaneſcūt in fumo vanæ gloriæ, ac quaſi vmbræ trāſitus, vita eorū, & nomē illorū obliuionē accipit, & finis eorū eſt cōfuſio. Sæpiſſime enim (vti cōqueritur Deus per Oſeā, ipſi regnauerūt, ſed nō ex Deo: nā via Oſeæ 8. per quā aſſequuti ſunt huiuſmodi ſua dominia, fuit aut tyrānis, aut dolus, aut decipula alia quædā, vti (referēte Ioāne Annio) ſcribit Philo de Herode, qui de anno quo Chriſtus ortus eſt, credens filiū propriū ad regnandū natū, illū interfecit, ſimiliter & Salomē ſororē ſuā, ac virū eius de tribu Iuda, & Zanedrin de domo Dauid deleuit: neq; deſtitit inſidiis & fraudibus Iudæos perſequi, donec feſſi Hebræi vltro ipſi ac eius poſteris eo anno regnū obtulerūt, iurātes in fide ipſius ac poſterorū ſeſe permāſuros: quo tēpore tūc ſolū Gen. 49. verè fuit ablatū ſceptrū de Iuda. Sed nūquid his homicidiis ac tot facinoribus inſignis, dignus erat cito deficeret? quod & accidit: nā poſtea vix ſex annos cōpleuit. Addidit Propheta TANQVAM fum*, vt nulla pars actuū eorū reſidua, eſſe noſcatur. Inſuper quia aduenīete morte, omnis gloriā malorum, tanquā fumus aut nebula perit (nam cito omnia tranſeunt, & dementia eorum manifeſta fit omnibus:) ideo autem iſtud malis accidit, Quia mutuabitur peccator, &c.

Mutuabitur peccator, & non ſoluet: iuſtus autem miſeretur, & tribuet.

MVTVO accipit à Deo peccator & corpus & animam, ac bona tum animæ, tum naturæ, tũ fortunæ: ET non reddit, quia pro acceptis nõ habet gratiam vt debet, atque interdum his abutitur: ſicuti auarus qui temporalia, quæ mutuo à Deo recipit, vt illa cambiat pro æternis, & reddat cũ vſura & fœnore, dum ſibi ſuperfluè reſeruat, hoc modo abſcondit talentum Domini ſui in terra, & propterea aufertur ab eo præmium illius talenti, & datur iuſto: vt patet Matthæi cap. 25. Vel mutuatur, quando verbum Dei audit, neque tamen ſoluit: quia non reddit operibus, quod auditu percipit, & non habet in receſſu, quod fronte promittit: veluti plurimi faciunt ſubtiliter ſapientes & ſeruiliter viuentes. Contrà autem, iuſtus MISERETVR affectu, & TRIBVET effectu. Videte egeſtatem, videte diuitias: ille accipit, & non ſoluit: iſte miſeretur, & tribuet. Iuſtus ſi non habet ſemper copiam temporalium vnde eroget, ſemper tamen habet bonam voluntatem, quæ charitas dicitur, per quam nunquam ſibi deficit vnde miſericordiã præſtet.
Prouer. 23 Plus autem à te Deus non exigit quàm quod tibi intus dedit: Fili prebe mihi cor tuum. Vides cæcũ duci à vidẽte, quia nummos non habuit quos daret pauper videns, cõmodauit oculos non habẽti. Sic bona voluntas, dat auxilium foris ſi poteſt: ſi id præſtare non poteſt, ſaltem dat conſiliũ, aut voto adiuuat, vel orat pro contribulato. Hæc bona voluntas theſaurus eſt pauperum, in quo vera ſecuritas: quem nec latro demolitur, nec fures auferunt: ſed ſic ſeruat tu-
Matt. 6. tò ſecum pauper quod intus habet: nudus euadit, & ſemper plenus eſt. Ideo autẽ iuſtus miſeretur, & dat: ſcit enim Quia Benedicentes, &c.

Quia benedicentes ei, hæreditabunt terram: maledicentes autem ei, diſperibunt.

Hic peccatorum & iuſtorum præmia mercedémque ſegregat. Nam qui ſemper Deum laudãt, & in omnibus gratias agentes, & eius præcepta ac monita ſequentes, & iſtam

terram ſolent poſſidere, & poſtea terram illam viuentium hæreditabunt, de qua alius Pſalmus, Portio mea in terra viuentium. Sic CHRISTVS ſuis diuitias magnas attulit, quibus faceret diuites quos hîc pauperes inuenit: ita fecit diuité piſcatorem, dimittendo retia ſua, quod habebat, contemnentem, & quod nõ habebat, accipienté. Infirma enim mundi elegit vt confunderet fortia: & non de oratore piſcatoré, ſed de piſcatore lucratus eſt oratoré: de piſcatore fecit hominũ paſtorem, de piſcatore fecit animarum meſſorem. Hæc ſunt ſtipendia bonorum. MALEDICENTES autẽ Dominum, quales ſunt impii, ingrati de acceptis à Deo beneficiis, & donis ac talentis ſibi creditis abutentes, ſuccidentur de hac terra viuentium, & diſperibunt: non quia ipſi non erunt quos inferni ignis torquebit, ſed DISPERIBVNT tam ſcilicet in corpore quàm in anima, quia in vtroque æterna perditione morientur, & ita duplici contritione conterentur, promittente Domino, Inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te: & vt ſciat quiſque quò tendat ne ſimul pereat, ſequitur in textu, Apud Dominum greſſus, & cætera.

Pſal. 141.
Matt. 4.
1. Cor. 1.
Ioan. 21.
Hiere. 17.
Exod. 23.

Apud Dominum greſſus hominis dirigetur, & uiam eius uolet.

GRESSVS hominis, ſunt ſenſus vel affectus & opera vniuſcuiuſque, vt ait Salomon, Hominis eſt præparare viã ſuam, ſed Deus diriget greſſus ſuos. Ad Dominũ ergo greſſus iuſti dirigũtur, quia ipſum ſemper, ſicut ſagittarij ſagittare volẽtes, ſignum habet, & omnia in eius gloriam facit. Aut quia ipſe homo, vt velit viam Domini, petit ab eo greſſus ſuos dirigi. Nam ab initio flexuoſi & praui ſunt, quando in iniquitatibus cõcepti, & in delictis progeniti ſumus: ſiquidem in Adam omnes accepimus in intellectu ignorantiam, in voluntate malitiam, & in concupiſcibili infirmitatem, his de cauſis ingemiſcimus, & egemus gratia Dei liberari. Quærimus CHRISTVM medentem, qui dirigat viam noſtram, ne inter huius ſeculi vepres, à recto deuiemus. Quapropter & tu, ſi apponas animũ vt tranſeas à morte ad vitam, non pedum greſſibus, ſed animi & fidei virtute

Prouer. 16
Pſal. 50.

cõſide, ſi verè Chriſtianus es, debes per viam CHRISTI ſequi. dura videtur, ſed tuta eſt: iam dũ ſequeris viã CHRISTI, nõ tibi mundi blanditias promittas: patieris ad tempus, ſed tãdem in æternum gaudebis. Quum autem perpẽderis quid ſis accepturus, nihili erũt omnia quæ ſuſtinebis, & miraberis tantum præmium dari pro tam paruo labore. ET viam eius voles, mandata ſcilicet diuina ſemper implere deſyderando: nec deerit qui te ſeruet & cuſtodiat. Nam ſequitur,'

Quum ceciderit, nõ collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam.

Ecce quid eſt velle viam CHRISTI. Contingat iuſto vt aliquam tribulationem patiatur, aliquam exhonorationem, aliquam contumeliam, & cætera quæcũque mala, quibus abundat iſte mundus, proponat ſibi Dominũ ſuum egẽtem, anguſtiatum, afflictum, & non collidetur, nec turbari poteſt captus, qui aduerſa ſeculi huius ſubire decreuit intrepidus. Neque deiicietur ictus & afflictus à malignis, ſed Dominus ſupponit manum ſuam, eum liberando de poteſtate impiorum, vti Athanaſio, Hilario, & Euſebio poſt mortem Arrij accidit, quos tandem ab exilio & inueteratis odiis Arrianorum liberauit. Quare ſi recorderis, ab initio videbis ſemper iuſtum probatum potius quàm derelictum.
Prou. 24. Aut iuſtus, quum ceciderit propter infirmitatem carnis; (quia ſepties in die cadit iuſtus: & qui dicit ſe peccatum, id eſt deordinationem non habere, mendax eſt) NON collidetur, quaſi frangatur, dona & gratiam Dei perdẽdo, nunquã poſthac recuperaturus. Sed Dominus SVPPONIT manum ſuam. Metaphorica hæc eſt loquutio, ad ſimilitudinem præuenictis ad ſuſtinendum eum qui ceſpitat. Dominus vero ſupponit manum, peccatorem auxilio ſuæ gratiæ
2 Reg. 12. & miſericordiæ ſubleuando. Sic agenti pœnitẽtiam, ſtatim
Math. 26. miſeretur, veluti Dauid & Petrus cognitum lachrymis lauerunt delictum. Sic nonnunquam etiam per ſynderesin ad oſtium noſtræ cõſcientiæ pulſat, vt tandem reſipiſcamus.
2. Cor. 12. Sic aliquãdo ſuperbum cadere permittit, vt qualiter infirmetur, agnoſcat, vti teſtatur de ſe Paulus, dicẽs, Ne magnitudo

tudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ qui me colaphiſet.

Iunior fui, etenim ſenui, & non uidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.

Hic patet quòd Dauid ædidit præſentem Pſalmum in ſenectute ſua, vt dictum eſt in principio. Nos vero nunc hoc in verſiculo non quæremus ſenſum grammaticalem: nam ſi Scripturas conſideremus, inueniemus iuſtum Abraham famen paſſum, & ob id regionem ſuam mutaſſe. Similiter & huiuſce famis cauſa filiũ eius Iſaac ad alias terras peragraſſe, & Patriarcham Iacob cum filiis ſuis in AEgyptum deſcendiſſe. Adde quòd Paulus (vt patet in epiſtola 2. ad Corinthios,) in fame & ſiti, in frigore & nuditate vixit. Quare ſupereſt vt hunc locũ de Eccleſia militante (quæ eſt corpus CHRISTI) intelligamus, quaſi nobiſcum vnus homo loquatur. Eccleſia autem IVNIOR fuit, & poſtea ſenuit: nam fuit puer in Abel, vt ſcribitur Ezechiæ cap. 16, In die qua nata es, vidi te cõculcari in ſanguine tuo, & dixi, in ſanguine nata es, in ſanguine viue: is enim primus & virgo & martyr: poſtea adoleſcẽs in Patriarchis & Prophetis: deinde iuuenis in Apoſtolis, quãdo pro patrib⁹ nati ſunt ei filij: Vir in martyrib⁹, quo toto tẽpore maxime in ſanguine vixit: nã quãto magis oppreſſa eſt & à tyrãnis & ab hereticis, tanto plus creuit: ſicut in alio Pſalmo ſuper hoc exultãs, ait, Sepe expugnauerũt me à iuuentute mea, etenim non potuerũt mihi. Poſthac ſenuit ſenecta vberi, in Virginibus ſcilicet & Confeſſoribus: ac dum per vniuerſum orbem dilatata eſt, datæ ſunt mulieri huic alæ duæ quibus volaret, & ad ſolitudinem, id eſt ad Gẽtes & in deſertum locum, hoc eſt ad inſulares. Tunc (vt tradit Ezechiel) grandis facta eſt, ornata auro & argento, profecit in regnum: emundauit enim CHRISTVS ſanguinem ex ea. Nunc vero in fine ſeculi iam eſt quaſi in decrepita ætate, ſiquidem flos ſuæ primæ iuuentæ prope marceſcit. Nam (teſte eodem Ezechiele) fiduciam habens in pulchritudine ſua, hoc eſt in tẽporalium abũdantia, & ſeculari potentia, fornicata eſt,

Geñ. 12. & Geñ. 26. Geñ. 46. Cor. 10.

Pſal. 44.

Pſal. 128.

Ezech. 16

Ibidem.

& poſt omnes abominationes, non eſt recordata dierum adoleſcentiæ ſuæ, neque tamen propterea derelinquetur: ſed (vt in eodē Ezechiele ſcribitur) Scelus & ignominiam ſuā vbi portauerit, recordabitur Dominus pacti ſui, quod pepigit cū ea in diebus adoleſcentiæ eius. Hanc etenim CHRISTVS ſibi deſponſauit in æternū, cuius & ipſe ſemper caput. Nā veluti ante Euāgeliū remiſſio peccatorū fuit in fide CHRISTI vēturi, & paſſuri: ita nūc reuelato Euāgelio liberamur in fide CHRISTI mortui & paſſi, vt & ipſe ſit caput totius ciuitatis Hieruſalē, omnib⁹ cōnumeratis fidelib⁹ ab initio vſq; ad finem, & vt fiat vna ciuitas ſub vno rege, & vna quædam prouincia ſub vno imperatore. In cuius rei typum CHRISTO ingrediente Hieroſolymam, turbæ quæ

Matth. 21. præibant & quæ ſequebantur, clamabant, O ſanna filio Dauid. Benedictus qui venit in nomine Domini: quaſi nunquā

Act. 4. fuerit aliud nomen ſub cælo datū hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Ait ergo Eccleſia, IVNIOR fui primis tēporibus, & ecce ſenui ſeneſcente mundo, NVNQVAM vidi iuſtum derelictum, vt finaliter periret, nec ſemen eius quærens panem. PANIS eſt verbum Dei quod nunquam

Pſal. 1. ab ore iuſti diſcedit: ſed in lege Domini meditatur die ac nocte: quando legit, aut quando audit, aut cogitat, vel ru-

Prou. 21. minat Sacra, manducat hunc panem. Proinde ait Salomon, Theſaurus deſyderabilis requieſcit in ore ſapientis, & cogitatio ſancta ſeruabit te. Et ecce, ſi ſeruat te panis huius, ſancta meditatio, nunquam vidiſti iuſtum derelictum, nec ſemen eius querens panē. Aut SEMEN, opera vniuſcuiuſq;

Galat. 6. hominis eſſe dicamus, vti ſcripſit Paulus, Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet. Quæ opera ſi bona fuerint, nuſquā irremunerata manent: & ideo de iuſto ſequitur,

Tota die miſeretur & commodat, & ſemen illius in benedictione erit.

DIES eſt, quum vnuſquiſque bonum opus exercet: iſte ergo tota die, id eſt toto tempore vitæ ſuæ, miſeretur & commodat, dando eleemoſynam, ſiue ſpiritualem, ſiue corporalem · vbi miſericordia imprimis tangit animum & poſtea aperit manum. Igitur iuſtus, dum temporalia commodat, pauperi

dat pauperi, fœnus facit Domino. Nam ſicut fœnerator minus vult dare & plus accipere, ita (teſte Scriptura) fœneratur Domino, qui miſeretur pauperis. Commodas plane vnde animo diues es, das terram, accipis cælum, & quod porrigis inopi, commodas Domino. Nam quum non habeat pauper quod tibi retribuat, & tamen ipſe vult retribuere, ſola in illo remanet beneuolentia orandi pro te: quum autem orat, tãquam Deo dicit, Domine mutuum accepi, fideiube pro me: proinde etſi nõ tenes pauperẽ redditorẽ, idoneum habes fideiuſſorem. In Euangelio fideiubet Dominus pro paupere, cui beneficus fueris: nam Matthæi cap. 25. ait, Eſuriui, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, &c. Et quum diuites interrogarent, Domine, quando te vidimus eſurientẽ & pauimus? &c. vt oſtenderet ſe pauperum fideiuſſorem, & mẽbrorum ſuorum ſponſorẽ, reſpondit, Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Ipſe enim illorum ſicut omniũ caput eſt, & quum membra accipiunt, caput accipit. Iuſtus igitur ſemper fœneratur Domini ſui pecuniã, nõ ad lucra mũdana, ſed ad cęleſtia cõquirẽda: & de mãmona iniquitatis facit ſibi pauperes amicos, vt quum defecerit (ſcilicet poſt hãc vitam) eũ ſuis meritis & precibus admitti faciãt in æterna tabernacula. Et ideo SEMEN illi⁹ in benedictione erit. Vide in Apoſtolo Eleemoſynã expreſſius Semẽ nominatã, quũ ait, Qui parcè ſeminat, parcè & metet: & qui ſeminat in benedictione, de benedictionib⁹ & metet. In hac mortali vita inter ærũnas, tẽtationes, dolores, gemit⁹, mittimus eleemoſynã, ſemẽ: in alia vita nullus erit nudus, quẽ veſtias: nullus eſuriens, quẽ paſcas: nullus peregrinus, quem ſuſcipias. Vnde alius Pſalmus de nobis hîc peregrinis, Euntes ibant & flebant mittentes ſemina ſua. Sed attende quia ſemen in benedictione erit. Sequitur, Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos ſuos. Itaq; (vt ait Apoſtolus) dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes. Hoc eſt ſemẽ noſtrũ quod in benedictione erit. Aut per Semen iuſti, opera quæcunque eius bona intellige, quæ à Deo, cæleſti gratia (velut frumentale ſemen) imbre aſperguntur. Nam Semen opera noſtra eſſe intellexit Apoſtolus, quum dixit, Qui ſeminat in carne, de carne metet corru-

Prou. 19.
Lucæ 16.
2. Cor. 9.
Pſal. 125.
Galat. 6.
Ibidem.

ptionem. Et qui ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam. Semen etiam ad Chriſtianum referri poteſt populum, qui in Eccleſia aſſidua benedictione ditatur. Tu ergo quicunque es, noli eſſe piger, ſed Declina à malo & fac bonum, & cæt.

Declina à malo & fac bonum, inhabita in ſeculum ſeculi.

Duobus modis vitam noſtram pia mater ſacra Scriptura inſtituit, DECLINEMVS mala, quæ noſtra ſunt: FACIAMVS bona, quæ CHRISTI ſunt. vel, Declina à malo, obſeruando præcepta decalogi negatiua: Fac bonum, implendo etiam affirmatiua. Noli putare tibi ſufficere ſi non expoliaſti veſtitum, declinaſti enim à malo: ſed noli areſcere & ſterilis eſſe, fac bonum, veſtias nudum. Vel ſi mauis, Declina à malo, ſcilicet Dei timore, ac metu gehennæ: vti dixit Eſaias, A timore tuo, Domine, parturiimus ſpiritum: Nõ quòd gehennam pluſquam Deum reformides, ſed ipſa te retardet ac reuocet à peccato. Sicut ſpes futuri præmij, ad bonum nonnunquam te ſanctè allicit & prouocat, quemadmodum ita CHRISTVS multos gratia curationum ac aliis beneficiis, ad ſuum diſcipulatum inuitauit, Fac bonum, exercẽdo te in omni opere ſtudioſo. Hæc eſt altera pars iuſtitiæ noſtræ quam aſſequimur, & per Dei

Rom. 13. & per proximi amorem: nam (teſte Paulo) qui proximum diligit, legẽ impleuit. Verũ hæc præcepta quid ſequitur? INHABITA in ſeculum ſeculi. Ecce repetitã mercedẽ, vt tali promiſſione cõfiſus, futura prǽmia ſpe certiſſima iam poſſidere videaris: hîc enim SECVLVM ſeculi ſignificat regnum æternũ, quod nulla ſucceſſione mutabitur. Aut, Inhabita in ſeculum ſeculi, id eſt in Eccleſia, in vnitate fidei eſto cum CHRISTO perpetuus. Adeſt merces:

Quia Dominus amat iudicium, & non derelinquet ſanctos ſuos, in æternum conſeruabuntur.

Audiens hoc verbum, ama & tu iudicium: fac iuſtitiam, vt iuuante Domino recta voluntate viuas, & bonis tuis ipſe congaudeas.

congaudeas. Quoniam tamen patiuntur ſancti, noli putare quia non iudicat Deus, aut quia peruerſe iudicat: AMAT enim ille iudicium rectum, quo iuſtos impióſque diſcernit, & ille qui author eſt iuſtitiæ, nō poteſt eos derelinquere, qui eius eligunt pręcepta cōplere: ſed vnicuiq; pro meritis reddere diſponit. Quare ſequitur, NON derelinquet ſanctos ſuos, quos interdum hîc flagellat, vel ad probationē, vt iuſtū Iob: vel ad peccantis correctionem, vti quotidie accidit: Iob. 1. & 2. vel ad ſuam gloriam oſtendendam, ſicuti fuit de cæco nato, qui neque peccauerat, neque parentes eius, ſed tantum vt Ioan. 9. glorificaretur Filius hominis. Quos tamen ſic caſtigat, non deſerit, gratia & protectione ſua deſtituendo, ſed ſe ſemper fidelem adiutorem præbet, in quem etiam totam ſpem locauerunt. Id exemplo patuit in tribus pueris in camino ignis apud Babylonios non ardentibus: teſtes enim huiuſce rei ſunt plurimi alij Martyres. Verum quia nihil magnum acciperent, ſi non inde perpetuo manerent, ideo litera habet, IN æternum conſeruabuntur, hoc eſt In perpetuum, ſicut & æterna concupierunt, Et dum ad tempus eos hîc pati permittit Dominus, neque tamen deſerit, ſed illos æterno & cæleſti horreo interim præmiandos (vt dictum eſt) reſeruat. Contrà autem malis accidit, nam, Iniuſti punientur, &c.

Iniuſti punientur, & ſemen impiorum peribit.

Frequenter iſte ſenſus repetitur, vt amplius quæ ſunt ventura credātur. Diuina ſiquidem miſeratio, dum nos mauult gehennę pœnas euadere, dignatur ſuper his ſæpius ſuos admonere. Quomodo ergo ſemen iuſti in benedictione erit, ſic INIVSTI punientur in vindicta, ET ſemen, hoc eſt opus eorum malum, peribit. Ad tempus florent, poſtea quęrent & nō inuenient fructum bonum. Vox eorum illa erit, Quid nobis profuit ſuperbia, aut quid diuitiarum iactatio contulit? tranſierunt omnia illa tanquam vmbra. Sic ergo ſemen impiorum peribit. Aut per Semen (ſi velis) intellige prolem & parentelam impij, quæ nonnunquam hîc demerito ſui parentis temporaliter affligitur, vti clamat Dominus per Prophetam, Ego Deus zelotes, vlciſcens peccata

parentum in filios, vſque in tertiam & quartam generationem. Nam quum filius partim accipiat corpus à patre, & proinde fit aliquid patris, quid mirum ſi ipſe tanquam pars & membrum corporis ſui patris impij, etiam in corpore puniatur. Semẽ impij etiam potes appellare imitatores eius, qui & diſpergentur: Hac ratione filius, portat iniquitatẽ patris dum paternarum abominationum æmulator eſt.

Iſti autem hæreditabunt terram, & inhabitabũt in ſeculum ſeculi ſuper eam.

Sicut aſſiduè increpat vt corrigat, ita frequenter munera pollicetur vt alliciat. Hoc ordine malos vindicta, bonos promiſſa præmia ſubſequuntur. Iuſti igitur cohæredes terræ viuentium, & hoc, quia terram mortuorum cum ſuis deliciis ſpreuerunt. Tu ergo noli iſtam terrenam habitationẽ diligere, in qua non potes diu manere: paruifacienda ſunt cuncta quæ cito tranſeunt, illa maxime appetenda, quæ perire non poſſunt. Qualis vita æterna, talis & ipſa terra. Ideo autem dicuntur iuſti habitaturi ſuper eam, & nõ in ea, quia ſpirituali corpori non erit neceſſe terram graui calcare veſtigio. Hoc in loco autẽ, vertit interpres In ſeculum ſeculi, ad explicandam perpetuitatem durationis huius terrę. Hebræi enim (teſte Burgẽſi in ſuo Scrutinio ſcripturarum) habent duas dictiones quæ perpetuitatem abſolutam ſignificãt. Prima eſt (Tela) vnde in alio Pſalmo legimus, In ſecula
Pſal. 83. ſeculorum laudabũt te: Altera eſt (Vecah) vt in hoc Pſalmo, Viuet adhuc in æternum: habent & tertiam dictionem, quã (Helam) appellãt, & hæc tantum ſignificat aliquid multum & valde durabile, ſeu durationem rei cui coniungitur, congruentem, quomodo Seculum ita apud nos repręſentat, vti Deuteronomij cap. 15, de ſeruo emptitio ſcribitur, Et accipies ſubulam, & dabis eam in aure eius, & in portam, & erit tibi ſeruus helam, id eſt in ſeculum. Hoc modo etiã pro veteri lege, circunciſio, ſabbatum, & paſcha dicuntur duratura in helam. Hic igitur accipe durationem noſtræ ſupernæ terræ in ſeculum ſeculi, quòd durabit ſine fine, & à quaſemper procul erunt omnis dolor omniſque gemitus. Et meri-
Apo. 21. tò hæc ſuccedent bono, Quia os iuſti, &c.

Os iuſti meditabitur ſapientiam, & lingua eius loquetur iudicium.

Narratio hæc tempus beatæ reſurrectionis oſtendit. Non enim dicit Meditatur, ſed Meditabitur de futuro: quod in regno Dei intelligitur agendum, in quo non vino luxuriæ, neque cibis voluptuoſis, ſed ſapientia Dei iuſtorum ora replebuntur. Aut ſi pro via dictum putas, iſtud accipe, quaſi te ad vitam contemplatiuam, poſt actiuã inuitet: atque iuge ſtudium Literarum ſacrarum ac legis diuinæ ſuadeat. Quapropter ait, iuſtum loqui ſapientiã ex meditatione cordis profluentem, vt ex abũdantia cordis, os loquatur, & bonus homo de bono theſauro cordis ſui proferat bona verba. Vel omnia ad animum referendo, per os mẽtem intellige, quia ſicut ore homini, ita corde Deo loquimur. Itaque iuſtus meditatur ac ruminat ſapientiam, quæ de Deo eſt ac diuinis, iſtiuſmodique ſcripturam. Nam (vt ait Paulus) omnis Scriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia: & Quæcũque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus. vnde iuſtus dicit, Lucerna pedibus meis verbũ tuũ, & lumẽ ſemitis meis: & ſicut ars oculo corporali miniſtrat ocularia, iuxta ætates diuerſas varia, ita in hoc ſpeculo ſacratę Literę, ſemper habent iuuenis & ſenex, vir & decrepitus, quod aſſidue diſcant, & in quo ſeipſos ſemper & videãt & componant. Proſpiciunt in illo ſuas deformitates abſque verecundia aut pudore cuiuſquam inſpicientis, vel culpantis: poſſunt pro diuerſitate palati nunc iſtis nunc illis refici ſaporibus. Ita lautiſſima eſt ſapientiæ diuinæ menſa, multáque ferculorum varietate referta. Hic codex cũctis ſemper patet, in quo ſumit quiſque quid & quantum ſatis erit, & vſque ad ſobriam ebrietatem ſpiritus. In eo legebat Auguſtinus, quando coniectis in hunc locum oculis, Induimini Dominum IESVM CHRISTVM, mox depulſæ ſunt ab eo omnes trepidationis tenebræ, luce ſecuritatis infuſa: reuoluit hũc codicem Paulus dum in terram deiectus, intellexit durum illi eſſe contra ſtimulum recalcitrare, ra-

Matth. 12.
2. Tim. 3.
Rom. 15.
Pſal. 118.
Rom. 13.
Act. 9.

ptúſque vſque ad tertium cælum, audiuit arcana, quæ non licet homini loqui: neque tamen otioſum fuit in eo quod tunc accepit donum ſapientiæ & Spiritus: ſed vti teſtatur ad Galatas, Complacuit ei, qui illum ſegregauerat ex vtero matris ſuæ Synagogę, & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret Filium ſuum in eo, vt euãgelizaret illum in Gentibus: continuo non acquieuit carni & ſanguini, neque venit Hierosolymam ad anteceſſores ſuos Apoſtolos, ſed abiit in Arabiam, Græcis ac Barbaris, ſapientibus & inſipientibus, omniũ debitor factus eſt. Hoc modo lingua iuſti loquitur iudicium, quia omnia ponderate & non fraudulenter, neq; cũ ira, ſed iuſto iudicio quę de Deo ſentit, enarrat. In quo enim abundat gratia ſpiritualis, omnia perſcrutatur, etiã alta Dei. Et ideo ſequitur, Lex Dei, &c.

Lex Dei eius in corde ipſius, & non ſupplantabuntur greſſus eius.

Eſa.29. DEI eius, ſignificat Redemptorem, qui eum de mundi iſtius clade liberauit: hoc enim pronomen, gratiam indicat Saluatoris: nam quum ſit omnium Deus, ipſius proprie dicitur quem liberare dignatur. Non ſolum ergo in ore ac lingua, ſed etiam in alto cordis, iuſti fructificabunt per legem Dei, opera ſanctitatis: ne forte putares eum in ore habere quod in corde non habet: aut ne eum in illorum albo aſcriberes, de quibus dictum eſt, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. LEX igitur, id eſt obſeruatio præceptorum Dei, eſt in corde ipſius per aſſiduã cõgitationem, vt cor reſpondeat linguæ. Et ideo non ſupplantabuntur à diabolo vel peccato greſſus eius, quibus ad Deum venire nititur. Siue per GRESSVS, ſenſus hominis, ſiue illius facta intelligas, liberat à laqueo verbum Dei in corde, liberat à via praua verbum Dei in corde, liberat à lapſu verbum Dei in corde. Tecum eſt, cuius verbum à te non recedit. Cuſtodem hunc ponis in vinea animæ tuæ, &
Pſal. 120. contra fures ſecurus es: Non enim dormit neque dormitabit qui cuſtodit Iſrael. Ecce fructum diuinæ Scripturæ, ecce quàm vtilis eſt Chriſtiano Lectio ſacra, in qua bona di-

ſcimus, non vt ſciamus tantũ, ſed & vt agamus. Taliq; præſidio iuſtus fultus viuat ſecurus. Sed vide quid ſequitur, Cõſiderat peccator, &c.

Conſiderat peccator iuſtum, & quærit mortificare eum.

Dicit quod in libro Sapientiæ de reprobis dictũ eſt, Grauis eſt nobis ad videndum, quoniam diſſimilis eſt aliis vita ipſius: peccator enim, inuidia faciente, callidè annotat vias iuſti, ei inſidias parando, quærens ipſum decipere & ſupplã tare, illiúſque greſſus detorquere, ſi poteſt: vſque adeo ægris oculis odioſa eſt lux, & palato non ſano omnia ſunt amara: Furatur nomen bonum detrahendo, amicitias ſoluit ſuſurrando, rixas mouet contumeliis ac conuitiis in virum probum dictis: quibus tribus venenis maxime fraternum amorem ac pacem ciuilem rumpit. Adde quòd impij (quemadmodum oculus noſter) ſeipſos ignorantes, aliena facile, ſua facta nunquam vel raro diiudicant. Vident feſtucam in oculo fratris, & trabem in ſuo neſciunt, ita miſeri nunquam ſe agnoſcunt, & acta aliena portant mantica anteriori, ſua autem à tergo tantum. Sed veluti qui in nocte ambulat vias lubricas, & ſibi nõ cauet, facile in foueam vel puteũ incidit: ita infelices malitia ſua excæcati, ſtatim in hoc profundum peccatorum labuntur, vt gratis odio habeãt iuſtum, & quærant mortificare eum. Id tamen fruſtra moliuntur, nam quęrunt mortificare aut morti tradere, quem Dominus cuſtodit, qui cum illo habitat, qui de ore ipſius, qui de corde non recedit: ecce quomodo inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum, Per hanc occiſus eſt Abel à Cain, Iacob anguſtiatus ab Eſau, Ioſeph venditus à fratribus, Dauid perſequutionem paſſus à Saule, CHRISTVS traditus à Iudæis: & ſi iuſto nullos inimicos fecit iniuria, multos tamen fecit inuidia: nam ſicut quod homini vita eſt, puta ſaliua, ſerpenti mors fit: ita vita ſtudioſi, mors eſt inuido. At quando vir probus accurate, vigilat, ac ſollicite his tẽtationibus reſiſtit, adeſt paratum auxilium:

Sap. 2. Matth. 7. Sap. 2. Geñ. 4. Geñ. 32. Geñ. 37. 1. Reg. 19 21. &c.

Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius, nec damnabit eum, quum iudicabitur illi.

Dices: Quare ergo dereliquit Martyres in manibus tyrãnorũ? quare fecerũt illis quęcũq; voluerũt: alios gladio percuſſerũt, alios crucifixerũt, alios beſtiis tradiderũt, alios igni bus cremauerũt, alios in cathena ducẽtes tabe diuturna cõfecerũt: poſtremò Filium ſuũ tradidit in manibus Iudæorũ. Nũquid hi omnes derelicti? Abſit. Sed attẽde quid dicat alia
Iob. 9. ſcriptura, Terra tradita eſt in manibus impij. Quid autem ſignificat, Terra tradita eſt in manibus impij, niſi quòd caro facta eſt in poteſtate perſequentium? Neque tamen pro-
Sap. 3. pterea dereliquit iuſtum ſuum Deus: de carne capta educit animam inuictam. Et, vt inquit Sapientia, Etſi coram homi nibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt, in paucis vexati (in illis ſcilicet quę ſunt communia ho-
Rom. 8. mini & brutis) in multis bene diſponentur: neque enim ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriã, quę propterea reuelabitur in eis: ſuper pauca fideles, ſupra mul
Matth. 25. ta conſtituentur. Dimitteret autem Dominus iuſtum ſuum in manibus impij, ſi illum feciſſet conſentire impio. At quãdo capta terra ſpiritus euadit, ſpiritu verò euadente & terra reſurget, ſpiritus migrabit ad Dominũ: terra ibit in cælũ:
Pſal. 144. ſic ſemper prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum, nec aliquid de ipſa terra perit, licet ad tẽpus tradatur in ma-
Matth. 10 nibus impij: quia Euangelio teſtante, Capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt. Sequitur, NEC damnabit eũ quũ iudicabitur illi. Hoc dictum eſt, quũ iudicium fiet ante tribunal CHRISTI de impio ad illius vindictam, vbi iuſtũ beatitudo ſuſcipiet, iniuſtum debita pœna torquebit. Quare non exiſtimet Sanctus, hoc in ſeculo ſuam accipere coronam, hic tempus eſt laboris, tempus ſeminis, tempus frigoris. Et quanuis inter ventos tribulationum & pluuias anguſtiarum hîc ſeminas, noli tamẽ eſſe piger. AEſtas tua veniet quę te lætificet, in qua te gaudeas ſeminaſſe. Aut ſi vis etiã, omnia in hoc verſiculo ad iuſtos pro hac via referre potes, quos ſæpe non permittit prorſus extingui, licet ad tempus
Geñ. 41. patiantur: vti, Ioſeph innocentem, de carcere AEgyptiaco liberauit:

liberauit. Danielem iuſtum de lacu leonum eripuit, Suſannam falſò accuſatam inſontem ac innoxiam tandem oſtendit, & quia ita propitius ſemper eſt bono Deus, ergo nunc Expecta Dominum, &c. Dan. 6. & 14. Gen. 13.

Expecta Dominum & cuſtodi uiam eius, & exaltabit te ut hæreditate capias terrã, quum perierint peccatores uidebis.

Redit ad iuſtum cõſolans eum, & dicẽs, Tu qui iam credidiſti ad quæ bona euehi poſſis, confidenter age, expecta Dominum tametſi diu patiaris: nec otioſo dicitur expecta, ſed laborãti: qui vias Domini, hoc eſt ſacratiſſima eius præcepta cuſtodit: nam fiducia in Domino integratur ex ſpe in Deo, & cura viæ eius. Hoc ordine, per ſpem firmam & indeficientem mãdatorum cuſtodiã, expectatur Deus, & ideo non debes cõfundi in diuerſis mundi tentationibus. Quicquid tibi accidat in proſperis, & in aduerſis patienter expecta, id eſt ſuſtine. Serua legem & viam CHRISTI: & ecce merces, EXALTABIT te de virtute in virtutem, de terrenis ad cæleſtia, vt pro hæreditate ex hac valle miſeriæ capias terram illam, vtique æternæ beatitudinis tellurem, in qua iuſti poſt terminatos labores exaltabuntur. Sed quid de illis, aiunt Sãcti, qui nos anguſtiauerũt, inter quos gemuimus, quorum ſcandala portauimus, pro quibus ſęuientibus fruſtra orauimus. Sequitur, QVVM perierint peccatores, videbis. Tũc bonus erit ad dexteram impius ad ſiniſtram. Matt. 25. Pſal. 57.
Tunc lætabitur iuſtus quum viderit vindictam: non quòd tanquã crudelis delectetur iniquorũ tormẽtis, quia eis nocent, ſed vidẽs hæc Deo iuſto iudicãte ſtatui, manus ſuas lauat in ſanguine peccatoris. Interim Altiſſimo gratias agit, qui de tantis miſeriis liberũ fecit, tantóq; ardentiori amore illi coniungitur, quanto illius gratuito dono & promeritã non ſentit gehennam, & immeritam percipit gloriam. Cõtra autem impij tunc apud ſe præ anguſtia Spiritus gementes de iuſtis hæc dicent, Hi ſunt quos habuimus aliquando in deriſum & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorũ æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine Sapien. 2.

Q.

honore. Ecce computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. En cernis quàm bonus eſt Deus, qui nouit etiam ex malo peccantium, bonum elicere. Sic beati ſimul vident iuſtitiam Dei & præmiantem & punientem. Sequitur, Vidi impium, &c.

Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatū ſicut cedros libani, Tranſiui & ecce non erat, quæſiui eum, & non eſt inuentus locus eius.

Iſtud de diabolo poteſt accipi, cui religato, locus nocendi eſt ablatus: vti in Apoca. ſcribitur, Angelus deſcendens de cælo habens clauem abyſſi, & cathenam in manu ſua, tenuit draconem illum ſerpentem antiquum, qui cognominatus eſt diabolus & Sathanas, & alligauit eum mille annis: hoc eſt eius poteſtatem ab eis ſeducendis ac poſſidendis, qui ſunt liberandi, cohibuit, atque frænauit: Inde fit vt vno tempore iuſti magis fluctuent procellis impiorū quàm alio, prout ſcilicet Deo volente plus aut minus ſoluitur iſte Sathanas. Hi autē mille anni de quibus ſuprà, duobus modis poſſunt exponi: Aut quia in vltimis annis mille, iſta res agetur, id eſt ſexto annorum milliario tanquam ſexto die, ſequuturo deinde Sabbatho, requie ſcilicet ſanctorum, quę non habet finem: vt huius milliarij tanquam diei nouiſſimam partem quę remanebit vſque ad terminum ſeculi, mille annos appellauerit, eo loquendi modò quo pars ſignificatur à toto. Aut certè Mille annos pro annis omnibus huius ſeculi poſuit, vt perfecto numero notaretur ipſa temporis plenitudo. Inſuper iuſti quum tranſierint mundi huius procellas, tunc videbunt non eſſe diabolum qui eos amplius infeſtet, & locum, id eſt poteſtatem eius nequaquam apparere, ſicuti ſcripſit Iohel, Eum qui ab aquilone eſt, effugabo à vobis, & eiiciam in terra ſitienti & deſerta & exterminabo faciem eius. Aut ſi pro regno ipſius Saul, Pharaonis, Nabuchodonoſor, Sennacherib, & cuiuſcūque alterius impij, iſtud ſcriptum accipere velis: hoc modo ridet fortuna impium, quomodo, teſte Philoſopho, ipſa fecerat Priamum tam excelſum, vt eum poſtea grauiori lapſu mūdo miſe-

Apoc. 20.

Iohel. 2.

do miſerabiliorem oſtenderet. Sic(velut flos iuuentæ)cito abit mundus,quemadmodum his verſibus luſit Tragœdus Seneca, Quem dies vidit veniens ſuperbum,

Hunc dies vidit fugiens iacentem:

Res Deus noſtras celeri citatas Turbine verſat.

Altis celſior es,cogita hæc breui momẽto peritura:Creſcis ita vt proceris cacuminibus promineas, penſita,hæc velut vmbella cito citius euaneſcent: Tranſibunt iſta tanquam veſtigiũ nubis,& ſicut nebula quæ fugata eſt à radiis ſolis & à calore eius aggrauata,diſſoluentur. Cura igitur ſit homini mortali nihil hîc de caducis extolli: ſed tranſit iuſtus de hoc mundo ſcilicet,tanquam ex hoſpitio ad vitam,de vitiis ad virtutes,de fluctu ad portum. Si adhuc carnaliter cogitas,& iſta terrena felicitas vera felicitas tibi videtur,nõdum tranſiſti. Exeundũ eſt de Sodomis & de omni regione circa:ſcilicet nedum tentationes,ſed & obiecta tentationum fugiamus. Tranſibimus qui nõ attendimus ad præſentia,ſed ad nouiſſima & æterna. Quæremus locum peccatoris,& non inueniemus. Locus peccatoris iſte mundus eſt, in quo & ſcelera perficit, & peritura felicitate fruitur. Nos vero,hunc nõ inueniemus, quibus iampridem mundus iſte perierit. Cedris autẽ impium comparauit Dauid, eo quòd altæ ſunt & infructuoſæ,& ſucco amaro. Sapien. 2.

Custodi innocentiam, & uide æquitatem, quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico.

Quomodo,quum auarus eſſes,ſacculum cuſtodiebas,ne tibi clam ſurriperetur,ſic cuſtodi innocentiam,ne tibi extorqueatur à diabolo:ſit illa certum patrimonium tuum erga Deum & teipſum,ſanctè viuendo : nil enim prodeſt lucrum auri, & damnum innocentiæ:nulli noceas:omnibus etiam inimicis,ſi potes,ſemper proſis:cum nullo litigioſus ſis. Quando inimicis præbebis beneficia,malitiam eorum tua bonitate ſuperabis: duritiam,iratúmque animũ ad mollitiem & beneuolentiam flectes: atque ita congregabis carbones ſuper capita eorum. Vinces in bono malum,videbis Rom. 12. æquitatem,imitaberíſque Patrem noſtrum,qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos,& pluit ſuper iuſtos & in- Matth. 5.

iuſtos. Dum autem præcipit nos cuſtodire hæc duo, innocentiam ſcilicet & æquitatem, admonet aſſidui circa hæc inuigilemus, quaſi iſta ſemper cogitemus, ſemper loqua-
Ad Tit. 2. mur, ſemper tractemus: vnde Apoſtolus, Sobriè & iuſtè & piè viuamus in hoc ſeculo. INNOCENTIA ad ſobriebrietatem & pietatē ſpectat. AEQVITAS ad iuſtitiam. Qui hîc ita vixerit, huius RELIQVIAE, hoc eſt corpus
1. Cor. 15. mortale reſeruatur ad gloriam reſurrectionis, iuxta illud Pauli, Oportet mortale hoc induere immortalitatem. Seu ſi mauis, Reliquię hominis pacifici, ſunt opera eius ſtudio-
Apoc. 14. ſa, tum innocentiæ, tum æquitatis. Quæ opera, teſte Ioanne Apoſtolo, ſequuntur illos. Hoc modo iuſtus poſt mortem, quum mortuus fuerit, viuit. Quapropter bene admonebat Plato, in hoc ſeculo recte agere propter animam quam immortalem aſſerebat: hoc enim tantum poſt hanc vitam animæ reliquum eſt ſuis factis premietur.

Iniuſti autem diſperibunt, ſimul reliquiæ impiorum interibunt.

Sententiæ dantur aptæ diſparibus. Nam ſicuti iuſti poſt hanc vitam maxima felicitate fruuntur, ita iniuſti finita hac luce diſpereunt, vndique ſcilicet & vbique, quia & in corpore & in anima punientur. Nec reſeruantur eorum reliquiæ ex ſuperbia, vt inæternum viuāt, ſed vt in pœnam gehennæ ignis intereant. Siue (vt quidam volunt) RELIQVIAE ſignificant memoriam, quæ nulla erit de impiis poſt eorum obitum. Putantes enim ſibi facere nomen honoris, ſibi fecerunt nomen confuſionis, & ſcripſerunt nomina ſua in cineribus, hoc eſt, in vanis hominum memo-
Eccleſ. 17 riis qui ſunt cinis, & terra, quos ocyus ventus mortalita-
Pſal. 9. tis rapit. Propterea in alio Pſalmo dicitur, Nomen eorum deleſti in æternum, & in ſeculum ſeculi. Aut per Reliquias eorum, filios ac prolem intellige, qui nonnunquam & temporaliter intereunt. Nam, teſte Hieronymo, ſæpe peccata patrum in tertiam & quartam generationem reſtituit Dominus, dum non vult ſtatim punire peccantes, ſed ignoſcens primis, poſtrema condemnat. Alioquin ſi protinus

ſcelerum

ſcelerum vltor exiſteret & multos alios, & certè Paulum Apoſtolum Eccleſia non haberet.

Salus autem iuſtorum à Domino, & protector eorum in tempore tribulationis.

Sacra litera redit ad ſolitas conſolationes, ne credatur dura, ſi & bonæ promiſſionis gaudia non haberet. Pollicitatio hæc firma eſt, SALVS iuſtorum à Domino: ipſe quidem eſt noſtra ſalus, per quem & præſentem vitam capimus, & adipiſci præſtolamur æternam. Tolerent ergo modo iuſti peccatores, tolerent frumenta zizania, toleret triticum paleam, quia veniet tempus ſelectionis. Purgabit aream ſuam Dominus. Frumentum in horreum, paleas ac zizania in ignem mittet. Propterea autem dicitur PROTECTOR iuſtorum in tempore tribulationis, quia & in morte non deeſt, nec in via à malo eos ſuperari permittit: vnde huiuſmodi tribulationes eos potius mordent quàm deuorent. Quare dicebat Ezechiel, Manus Domini erat mecum confortans me: & per Eſaiam repromittit Dominus, ſi mater oblita fuerit vt non miſereatur filio vteri ſui, ego tamen non obliuiſcar tui, ecce in manibus meis deſcripſi te. Ipſe enim eſt medicus noſter qui & præbibit calicem tribulationis, quo nonnunquam noſtris vitiis medetur, & per dura ac aſpera ſic à peccatis nos retrahit: veluti & cauterio quandoque opus habet infirmus quem ſanare vult chirurgus. Itaque ſemper omnia patienter ſufferamus. Nam vt in alio Pſalmo ſcribitur, hunc humiliat, & hũc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri, plenus mixto.

Matth. 3.
Ezech. 3.
Eſa. 10.
Pſal. 74.

Et adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos, & eruet eos à peccatoribus, & ſaluabit eos quia ſperauerunt in eo.

De fidelibus ſeruis CHRISTI dicit, quos in hoc mundo ADIVVAT, quia eos firmat contra tentationes, eis cooperatur ad bonum, & vt in hoc perſeuerent, efficit. LIBERAT, dum finem ipſorum non finit praua ſuaſione

peruerti, quos & ad pfectionẽ purę mẽtis adducit. ERVIT à peccatoribus & ſaluat, vtiq; dum à mundi iſtius cõtrarietate ſeruat illæſos. Propterea autẽ ad eum venire merẽtur, quia in omnibus anguſtiis in eum ſpem locauerunt, qui di-
Deute.32. xit, Ego ſum Deus, & abſq; me non eſt alius. Ego occidam
Pſal. 102. & viuere faciã: percutiã, & ego ſanabo. QVI ſanet omnes infirmitates mentium noſtrarum, nobiſq; præſtet toto corde erigere ſpem noſtram, & in ſe tribuat collocari vt à peccatis liberati, mereamur ipſo diſtribuente, etiam æternitatis præmium adipiſci.

LECTORI.

Nulla in parte diligẽtiæ & attẽtioni (quãtũ in nobis fuit) defuimus, Lector, ſed propter manu ſcripti exẽplaris difficultatẽ, hæc nobis vel maximè cauentibus, exciderunt: quæ tu, ſi lubet, ſic emendabis.

PAGINA	VERSVS	
18		Zanedrim
61	8. Idolum	non ens conuertuntur.
123	iuſtus	puniendo
127	in titulo	126
126	in titulo	127
128	in margine	1. Reg. 18.
180	crepationẽ	Quid timidi
198	fuerat	Inde Marcionis
199	nimium	propriæ
236	Quem	tamen
264	Cicerone	noſtra
284	in titulo	284
286	ter ab ipſo	vocantur
291	teſt adhuc	longe
308	cap.	26
348	Dees	Deus
380	& ponent	à terra
388	ſucceſſiue	vniuerſalem
437	in titulo	XX.
441	in titulo	XX.
451	quo	Mar. 14.
510	loco	Bethel
608	Iſti	Iuſti

Index

INDEX COPIOSVS INSIgniorum huius operis ſententiarum accurate ſelectarum, ſecundum ordinem literarum.

A

Aaron ſacrilegium, fraternæ correxere amaritudines. 102.

Abraham non eſt mẽtitus, vadẽs ad filium immolãdum. 265. nec dicens Saram eſſe ſororem. 266

abraham ſegregatus eſt à populo inchoãte idololatriã. 256.

Abſalon patrem perſequẽs, Iudam figurabat Chriſtum perſequentem. 41. 42. qui etiam ad patris ingreſſus eſt concubinas. 42.

abſalon cunctis parcebat famulis, ſi Dauid patrem occiderent. 42.

abſalonis voluntas mala erga patrem. 5.

Acceſſus dignus ad Euchariſtiam tria requirit. 488. & 489

Accuſare alium, & non teipſum potius, eſt ridiculum. 268

accuſatio qualiter facienda. ibidem

Achab pœnitens ſuper morte Naboth acceptus eſt à Deo. 102

Achitophel cõſilium aduerſus Dauid dominum ſuum 42. qui auunculus erat Berſabeę. 44

achitophel odium in Dauid propter neptem ſuam Berſabeam ortum eſt. 44. qui tandem laqueo vitam finiuit. 52

Actus meritorij vnde primã ſortiuntur bonitatem. 75. 76

actus exterior non addit bonitatem interiori. 510

Adam ſuum peccatum excuſare, & alteri impingere ſtuduit. 6

adam primam ſtolam perdidit. 6

adam dominio originali cæteris creatis dominabatur. 142

adã apud Hebręos idẽ ſonat quod homo apud nos. 140

adam multis ſimul peccauit peccatis. 527

adę peccatum quomodo neceſſarium fuit. 452

adiutorium eſt dulciſſimum quod in neceſſitate præſtatur. 160
adorare Deũ in imagine, & ſanctos. 285.
adorationem duplicem Deo offerimus. 204.205.
aduentus Meſſiæ dicitur Dies. 75.
aduentus Chriſti duo ſunt. 146
aduentus primus Chriſti Gẽtibus profuit cum cæcitate Iudæorum. 147
aduentus Chriſti in humilitate & non faſtu fuit. 256. 257. Ideo dicitur inopis conſilium. ibidem
aduentus Chriſti primus humilis fuit, ſecũdus ſublimis erit. 440
aduerſitas bonorum non eſt reprobatio, ſed virtutis approbatio. 521
adulator, blandus eſt inimicus. 181
aduocatus non eſt Chriſtus, niſi eum vocantibus. 425
AEgyptiæ literę emanarunt à Chaldæis. 237. & præcipue ab Abraham. ibidem
ægyptij beſtias adorabant. 240
AErius hęreticus dicebat ſacerdotes pares eſſe epiſcopis. 203
ætas ſeptima, dicitur ſeptimꝰ menſis mundi. 130
ætates quinque varios hominum mores induerunt. 210
Affectus id proprium habet, vt in quo d ipſe inſanit, alios furere putet. 183
affectus in duas ſecatur partes. 270
afflictiones tã bonis, quàm malis à Deo immittuntur. 161. 162. ſed non æqualiter recipiuntur. 162
Alexander credidit ſe filium Iouis fuiſſe. 61
alma, ſecretã virginem deſignat. 462
altaria duo templi Salomonis, duas ſignabant adorationes. 205
Aman in conuiuio Heſter, quod ſibi ad honorem putabat, hoc ad ſuſpendium præparatum inuenit. 182
Amaſa, nepos Dauid, ipſum perſequebatur. 42. eiuſdẽ genealogia. ibidem
Ambroſius clero in Eccleſia cantum tradidit. 482
amici ficti errores non manifeſtant. 181
amicitiæ ad Deum & ad proximum differentia. 358
amore dominandi nemo caret. 6. quem tamen Chriſtus recuſauit. ibidem
amor Dei rũpere debet blãdimenta ſeculi. 371
amor ſan-

amor ſanctus impatientiam non habet. 386
amor Dei feruens tranſmutat amantem in amatum. 502
Angelus motor primi cæli ſubiectus eſt diuinę voluntati. 344
angeli mali faciũt homines ruere de peccato in peccatum. 106
angeli cuſtodes æterni ſunt, quia cuſtodia æterna eſt. 515
angeli in cælo non omnino perceperũt myſterium incarnationis. 516
angeli deputantur ad regimen orbium cæleſtium. 390
angelorũ debemus ſemper deſyderare patrocinium, & timere odium. 108
anima Chriſti XL. horis in inferno fuit, quãtum corpus in ſepulchro. 52
anima Adæ, Dei ſimilitudinem in ſe per peccatũ corruperat. 98. quæ facta eſt anima rationalis, cupiditate corrupta. ibidem
anima malis aſſueta, quaſi quibuſdam vinculis ligatur. 100
anima peccatoris fit cib⁹ ſerpentis. 114
anima non poteſt eſſe ſtudioſa, ſi deſit patientia. 175
anima erat in CHRISTO voluntas naturalis, & voluntas libera. 299. in quo fuit attentiſſima cõtemplatio diuinorum. ibidem
anima, pro deſyderio & cupiditate vſurpatur. 581
anima CHRISTI tandiu remanſit in inferno, quandiu corpus in ſepulchro. 304
animæ ſanctæ interdum dicũtur Cælum. 242
animam ſuam peccator ad pœnam deſtinat æternam. 207
animæ immortalitas non eſt dubitanda. 582
animæ anguſtiæ in iudicio. 341
animalia ſuæ ſpeciei non inuident. 140
animalia ante Adæ peccatum concorditer viuebant. 242
animalia cuncta præter hominem, ſuam ſentiũt naturam. 140
animi rectitudo magna eſt cordis lętitia. 406
Anna dicitur fuiſſe de tribu Iuda. 243
Antichriſtus credet Deũ hęc inferiora non curare. 191. nec vllam in eo eſſe præſcientiam. ibidem
antichriſtus quantum durabit. 176. ſed quãdo veniet

neſcitur. ibidem
antichriſtus fertur in Corozaim naſciturus, educandus in Bethſaida, & in Capharnaum regnaturus. 178
antichriſtus veniet ex tribu Dan, vnde venit Iudas Iſchariotis. 179
antichriſtus veniẽs Hieroſolymam, circuncidet, dicẽs ſe eſſe Chriſtũ Iudæis promiſſum. 181
antichriſt⁹ occidetur in mõte Olіueti. 180
antichriſtus in fauorẽ Chriſtianorũ, diem dominicũ, & Iudęorum, ſabbatum cuſtodiri faciet. 181
antichriſtus ad ſcelera pronior erit, quum nullum ſibi poſſe reſiſtere credet. 184
antichriſtus ab infantia à cacodæmone erit poſſeſſus. 184
antichriſtus arte dæmonum ſe futurum Deum credet. 185
antichriſtus virtute dæmonis faciet miracula, vel potius mirabilia. 188
antichriſtus deceptis dabit gloriam & honorem. 189. 190, & ſuis fictis operibus humiliabit incautos. 190
antichriſtus tandem in Apaduo iuxta Emaus, figet tabernaculum. 190
antichriſti peccata in ore & lingua. 186. 187. in opere. ibidem
antichriſtum iam veniſſe in membris, compertum habemus. 177. A Nerone ad præſentia vſque tempora. ibidem
antichriſtum Iudæi recipiẽt. 178
Antipodes an verè ſint ponendi. 400.401
Apoſtaſia ex ſuperbia facta eſt. 414
Apoſtoli in primitiua Eccleſia præcepta ore ad os dabant. 121
apoſtoli & diſcipuli CHRISTI non à ſe loquuti. 137. qui fuerunt Eccleſiæ exordium. ibidem
apoſtoli, opera digitorũ Dei nominantur. 138. 139
apoſtoli ſpiritu ſancto repleti cum fiducia prædicarunt. 153
apoſtoli duabus primis vocationib⁹ nõ perfectè Chriſto adheſerunt. 286. in tertia vocatione omnia reliquerunt. ibidem
apoſtoli ſine chriſto nihil poterant. 319
Aqua in terra recumbit. 507
aquæ, tribulationes ſignificant. 352

Area Dei quàm ſancta fuerit 568.569
arcus dei iuſtitia eius vindicatiua eſt.125. qui in furore eius tenditur, 127
Ariſtoteles ad cognitionem vnius primæ cauſæ deuenit 236
Arma diaboli quæ ſunt. 154 & quando defecerunt. 157
Arrius hæreticus pacata ſub Conſtantino Eccleſia, mox exurrexit. 165.166
Arriani mortuo Arrio multo plura in Eccleſiā molliti ſunt, 166
Arrogātia quàm difficile vincatur. 115
Aſpidis cautela ne ab incantore capiatur. 250
aſpidum peſſimum traditur eſſe venenum. 249.250
aſſertoriū iuramētum quid. 276
aſtrologia Abrahę à Deo reuelata. 394
aſtrologiæ olim dediti. 393, 394
aſtrorum ſcientia quantum olim recepta erat. 393
Athanaſium triumphatorem AEgyptus recepit. 168
Auar⁹ temporalia commutat pro æternis. 600
auarorum improbitas inſatiabilis eſt. 69
auaritia munerum, mater eſt calumniæ. 279. & tandem Eccleſiam peſſundabit. ibidem
Auerſio faciei Dei ab aliquo 227
aures dei quibus verba noſtra audit, ſunt poteſtas & miſericordia. 72
Aurora media eſt inter tenebras & lucem. 50
Auro & argēto facilius quàm arrogantia caremus. 115
Auxiliū iuſtum eſt, quod iam iuſto tribuitur. 122
auxilium Dei in omnib⁹ expetendum eſt. 224
auxilia duo ſunt quibus De⁹ ſuæ aſſiſtit creaturæ. 576 577

B

Babylonij primi inuenerūt idololatriam. 240
baptizandus confitetur coram ſacerdote, quod martyr coram perſecutore. 562 563
baptiſmus in primitiua Eccleſia fiebat in nomine Ieſu. 133
baptiſmus ante Chriſti paſſionem fuit ſolùm de conſilio. 289. ſed in die Pēteco ſtes incœpit eſſe de præcepto. ibidem
baptiſmus aqua eſt refectio-

nis, quæ omnem labem emundat. 494. 495
baptiſmi tempora duo, ſicut circunciſionis, 289
baptiſmi lauacrũ mutat nos de filiis hominum in filios Dei. 291
baptiſmi effectus. 406. 407
Baſilius cum ſuis ciuibus orauit pro vrbis ſalute contra Iulianum. 171. Et vidit dormiens Iuliani occiſionem. ibidem.
baſilius magnus tres panes hordeaceos Iuliano Apoſtatę obtulit. 170
Beatitudo diuerſa ſicut meritum diuerſum. 92
beatitudo, quam iuſti percipiunt, vna eſt, ſed diſpar retributionis qualitas. 92
beati ſunt qui per pœnitentiam lugent. 107
bellum animæ & ſpiritus nullum eſſet, ſi natura humana in rectitudine ſua perſtitiſſet. 384
benedictio Abrahæ promiſſa. 512. Iſaac, & Iacob. ibidem. quæ non eſt in copia temporalium, ibidem. ſed in illuminatione mẽtis. 513
benedictio Dei abundantiã & temporalium & ſpiritualiũ ſignificat. 55. ſed & pacẽ & diuina beneficia. ibi.
benedictio Meſſiæ nullo fine concluditur. 437. à qua omnes benedictiones noſtræ pendent. ibidem.
benedictiones omnes Eccleſiæ in nomine benedictionis Chriſti fiunt. 437
benedicens Domino lingua non factis, non vere benedicit. 559
beneficij magni indicium eſt vltionis remedium ſtatim poſt peccatũ adhibere. 96
beneficia Dei nullis poſſunt voluminibus explicari. 93
beneficia Dei magis in quibuſdam locis, quàm in aliis relucent. 285
beneficiis ſuis Deus omnem creaturam præuenit. 359
benedictio multipliciter dicitur. 437
bethula, virginẽ propriè ſignificat. 462
Bethleem Eccleſiam Dei gratia ſacramentorum vndiq; fœcundam ſignificat. 492
Blandientes nobis etiam mẽtiri ſolitos libenter audim⁹. 181
blaſphemauerunt Iudæi in Deũm & Chriſtum. 298
Bonitas Dei copioſa eſt. 123
bonos in hac vita ſæpius nõ declarat. 121
bonum non ſolum intelligẽdum eſt, ſed faciendum. 311
bonum amare non poſſumus niſi oderimus malum. 375
bona terrena non ſunt per ſe

mala, ſed maioris boni impeditiua. 160
bona noſtra, Dei ſunt & noſtra. 575
bonorum ſtipendia. 601
bonis Eccleſiæ quomodo ſibi & ſuis ſubuenire licet. 254. quæ ſi prodigè diſſipētur, reſtituēda ſunt. ibid.
Brachmanę apud Indos aſtrologiæ dediti. 393.394

C.

Cæcitas mētis qualis ſit. 104 105
cæcitas quanta ſit Deum ante oculos non habere. 182
calamitates in Scripturis ſacris ſæpius dicuntur tenebræ. 361
calidus quis dicatur. 408
cantare ad vitam cōtemplatiuam, pſallere ad vitā actiuam. 235
cantare bene, & male viuere cauendum eſt. 280
cantus in Eccleſia laudabilis eſt. 482. qui militantē Eccleſiam triumphanti aſſimilat. Ibidem
canis natura & conditiones. 471
caro noſtra credenda eſt reſurgere. 301.302
caro omnis corpus eſt non contrá. 302
caro Chriſti interiorem hominē plus cæteris cibis reficit. 490
carnis & ſanguinis Chriſti manducatio non ſolumſpiritualis eſt 484
carmina poetarum animum capiunt, ſed nil niſi inanem ſonum tribuunt. 222
caſtitas ignorat pollutionē, ſicut verbum Dei cum ſorde mixtionem. 223
Centurio, regulus appellatur. 19
centurio traditus eſt imbuēdus Petro. 86
ceremoniæ Iudæorum dicit Paulus infirma elementa. 21
ceremoniæ Eccleſiæ iam irridentur. 177
ceremoniæ in rebus diuinis ſunt laudabiles. 481.482
Charitas quanto magis concupiſcitur, tanto magis ampliatur. 341
charitas, ignis eſt virtutum progreſſionis creſcens. 341
charitatis latitudo intus eſt dum exterius eſt anguſtia doloris. 373
charitas tā lata eſt quòd per ardua abducit hominem. 496
charitas eſt veſtis nuptialis 553. quæ ſola diuidit inter filios regni & perditionis. Ibidem.
Cherinth⁹ carnis deliciasin promiſſa felicitate ſperabat. 202
CHRISTVS paſſiones ex

reliquiis peccati Adę proflu entes abſq; illecebra peccati portauit. 6.7.8
chriſtus cur dicatur vir. 6
chriſtus multiplicē fecit fructum. 9.11
chriſtus quomodo dictus ſit rex. 26
chriſtus Eccleſiam ſuam maximo decore honeſtauit. 27
chriſtus, vt homo, gentiū hęreditatem ex patre poſtulat & accipit. 31
chriſtus Iudæ pacem oſculo dedit, quam ille non obſeruauit. 42
chriſtus humanitatem nunquam etiam in morte dimiſit. 46
chriſtus nondum incarnatus per os Dauid propheticè cōquerebatur. 43. qui prius loquebatur in prophetis, poſtea in carne aſſumpta loquutus. ibidem
chriſtus quomodo tribus diebus, & trib⁹ noctibus mortuus fuerit. 49
chriſtus in quo fuit ſimilis ſerpenti in deſerto, ſuſpenſo à Moyſe. 49
chriſtus reſurrexit clauſo ſepulchro, ſicut natus eſt clauſo vtero. 51
chriſtus, cur primogenitus dicatur in multis fratribus. 50
chriſtus reſurgendo nobis meruit reſurrectionem. 51
chriſtus in aurora dici dominicæ reſurrexit. 50
chriſtus in prophetis & doctoribus loqui dicitur. 52
chriſtus è cælo deſcendit vt cælum pateſaceret. 66
chriſtus multifariam nos ſanat. 54.55
chriſtus pro ſua reſurrectione & ſuis membris orauit, 57
chriſtus non opere Adæ cōceptus, & ſuper naturā natus. 62
chriſtus cur dicitur caput Eccleſiæ. 74. & hoc ſecundum naturam humanam. ibidem
chriſtus tres mortuos ſuſcitauit. 79
chriſtus non vult habitare cū iracundia noſtra. 65
chriſtus nunc non eſt omnia in omnibus. 92. qualis poſt reſurrectionem futurus eſt. ibidem
chriſtus nec creatus eſt, nec peccato obnoxius. 112. qui ſolus potuit pro peccatoribus ſatiſfacere. ibidem
chriſtus quæcunque per ſe facit, patri attribuit. 116. quia quicquid habet, à Patre habet. ibidem.
chriſtus fuit gladius in Iudæos miſſus. 125
chriſtus ſuæ Eccleſiæ eſt ſol. 139

chriſtus proceſſit ex duabus filiabus Loth. 151. vt non tam ex Iudæis quàm ex gẽtibus procederet. 152
chriſtus in iudicio contra peccatores vulnera ſua allegabit. 165 & alia quampluri-ma improperabit. ibidem
chriſtus ante ſuam glorificationem non dedit Spiritum Sanctum. 119
chriſtus ſuo aduentu de miſeriis infidelitatis, Idololatriæ, & Gentilitatis mundum liberauit. 220
chriſtus quare ſe tentandum præbuerit. 221
chriſtus propter ſimilitudinem carnis peccati, dictus eſt peccatum. ibidem
chriſtus & maior & minor eſt angelis. 141.142
chriſtus inquãtum Deus, habet dominiũ ſpiritale vniuerſorum. 143. cuius poteſtatem exercendi accepit per humanitatem. ibidem
chriſtus ſimul diues eſt & pauper. 258
chriſtus in humilitate iudicatus in maieſtate iudicabit. 159
chriſtus ſatis per ſigna & prophetias Iudæis manifeſtatus eſt. 243.244
chriſtus vtramque paupertatem approbauit. 260. 261
chriſt⁹ in primo aduẽtu cum humilitate venit, in ſecũdo cum carne glorioſa. 172
chriſtus mũdi monarchiam in principio ſuæ incarnationis habuit. 281. 282. quam ipſe ſibi meruit. ibid. ac immortalitatem & iudiciariam poteſtatem. ibid.
chriſtus dicitur & redẽptor & mediator. 228. à multis antea deſyderatus. 229.230
chriſtus quomodo ſpem habuerit. 282
chriſtus quomodo multos vocauit quos mirificauit. 284.
chriſtus à patre eſt magnificatus. 285
chriſtus ſua oblatione legem nõ ſoluit ſed adimpleuit. 288
chriſtus dignitate præcellit omnes prophetas & patriarchas. 292
chriſtus dicitur caput Eccleſiæ. 293. & ſolus eſſe caput illius. ibidem
chriſtus recipit quoſcunque aduocauerit Pater. 295
chriſtus natus eſt patri ad laudem, & hominibus ad ſalutem. 296
chriſt⁹ omnes vocauit. 297. ſed cur non compulit illos intrare ſicut Paulum. ibidem
chriſt⁹ in cõceptione habuit

plenitudinē ſcientiæ & ſapiētiæ. 296. & tamē in his natus proficiebat. ibi. 297
chriſto nō dominabātur paſſiones, aut rebellio. 299
chriſtus eduxit patres à limbo. 304
chriſtus reſurrexit corpore integro. ibidem
chriſtus aſcenſu ſuo in cælum aperuit nobis cælos. 305
chriſtus in die aſcēſionis adauxit nobis ſpem, fidem, & charitatem. ibidem
chriſtus in dextera patris ſedens, omnē habet poteſtatem. 306
charitas per Chriſti aſcēſum ſtabilitur. 305. 306
chriſtus ſolus coram Deo de iuſtitia gloriari poteſt. 307
chriſtus non præ timore, ſed pro miſericordia orauit. 308
chriſtus non ſecundum deitatem, ſed ſecundum humanitatem orauit. 309
quòd Chriſtus orat, non eſt diminutio deitatis, ſed veritas carnis. ibidem
chriſtus in iudicio nil iudicabit niſi quod velle Patrē nouerit. 310. 311
chriſtus in paſſione mirandę patientiæ documenta mōſtrauit. 312
chriſtus totus in holocauſtū in cruce oblatus eſt. 426
chriſtus eſt Rex, & ſacerdos & hoſtia. ibidem
chriſtus non indiguit angelorum cuſtodia, qui labi nō potuit. 419
chriſtus cur voluit relinquere terras. 437
chriſtus propria virtute aſcēdit in cælum. 344
chriſt⁹ eſt Dei virtus, & Dei ſapientia. 391
chriſtus nec immerito gigāti comparatur. 399. & ſoli merito comparatur orienti. ibidem
chriſtus propter humanitatem nō eſt diminutus diuinitate. 401
chriſti varia in paſſione tormenta. 431
chriſtus nō eſt cum Leui decimatus in lumbis Abrahę. 433
chriſtus in omnibus benedictionibus Patriarcharū & prophetarum fuit benedictus. 433. Et quomodo ſit benedictus. 434
chriſtus non aſſumpſit carnē peccati. 433
chriſtus mortuus cur voluit ſepeliri. 435. & tertia die reſurgere. ibidem
chriſtus eſt ſpeculum voluntarium, oſtendens in ſe quæ vult, cætera occultans. 438
chriſt⁹ quomodo ſedet à dex

tris

tris Dei Patris. 436
christus ſecundum hominẽ confidit in Domino. 439
christus an melius potuerit redimere genus humanum. 431.432
christus quomodo veniet ad iudiciũ. 441. 442. qui nũc placari poteſt, tunc nõ poterit. ibidem
christus orat patrem, non vt ignorans futura. 447
christus non fuit ita turbatus in anima, vt timore vel triſtia caderet. 450
christus delicta noſtra fecit ſua, vt iuſtitiam ſuam faceret noſtram. 451
christus cur orans non exauditus eſt. 458
christus in ſua paſſione multis modis irriſus eſt. 460
christus egreſſus eſt ex virgineo vtero, ſaluo clauſtro virgineo. 462
christus eſt carne paſſus, nõ deus. 464
christus quomodo dicitur fremuiſſe, & quomodo turbatus. 469. & quomodo timuit. ibidem
christus ab Herode reputatus eſt tanquam impoſtor & fatuus. 470
christus cur tam acerbam ſuſtinuit paſſionem. 472
christus cur ſe ſolũ dicit miſſum ad domum Iſrael. 486
christus poſtquam in crucẽ aſcendit, eccleſiam ſuam roborauit. 470
christus quomodo pauper erat. 480
christus vias anguſtas aperuit, & eas ingreſſus eſt. 497
christus vitam influit in mẽbra per Euchariſtiæ ſumptionem. 500
christus cur dominus virtutum nominatur. 518
christus quũ Deus eſſet mori voluit, vt nos à morte liberaret. 554
christus cur dictus eſt petra. 571.
christus pater eſt & agricola eccleſiæ. 586
christus diuites facit quos hîc pauperes inuenit. 601
chriſti tormẽta à Iudæis inflicta, & à gentibus. 17
chriſti morti conſentientes. 19.20
chriſti viam teneat, qui vult illius gloriam tenere. 93
chriſti iuſtitia non potuit dirigi, niſi Iudæorum iniquitas prius impleretur. 120
chriſti maximũ ſignum fuit eiicere vendentes de templo. 143.144
chriſti infirmitas in paſſione, Chriſtiano magna eſt fortitudo. 149
chriſti in paſſione varia tor-

R.

mentorum genera. 312. in quibus nõ eſt in illo inuẽta iniquitas impatiẽtiæ. ibidẽ
chriſto naſcẽte commota eſt vniuerſa terra. 63
chriſtum ſatis probauerunt opera eius. 25
à Chriſto omnis gratia & omnia ſacramenta in eccleſiam fluunt. 74. Vide infra Filius Dei. Ieſus. Meſſias. Redemptor. Saluator.
chriſtianum perſecutionem non pati quiſquis putat, errat. 370
chriſtiano conſultiſſimũ eſt Deum ſemper habere pro patre. 182. & ſpem totam in eum figere. ibidem
chriſtiani animi diligentia circa dæmonis aſtutias. 111
chriſtiani animi eſt patienter ferre quicquid decreuit Altiſſimus. 310
chriſtiani primo apud Antiochiam dicti ſunt diſcipuli. 292
chriſtiani à Chriſto dicimur 424.
Circuncifio quomodo ceſſauit. 289
circuncifio ab Abraham ad Chriſtum fuit Iudæis neceſſaria & vtilis. 289
circuncifio erat gentibus & mortua & mortifera. 290
circuncifio conferebat gratiam. 406
cithara tria habet ad ſonum reddendum. 228
ciuitas ſuperna conſtabit ex his quos nunc parit eccleſia. 83
Clamãt multi in tribulatione, & non exaudiũtur, clamant ad ſalutem, & exaudiuntur. 452
clamãs ritè ad Dominũ ſæpe exauditur ad ſuam vtilitatem. 458
clamor interdum dicitur affectus magnitudo. 47
clamor Chriſti in cruce. 47
clamor feruorẽ affectus deſignat. 73
clamor interdum dicitur mala cõſuetudo peccandi. 79
clamor pauperũ eſt deprecatio iuſtorũ aduerſus peccatores. 165
clamores ſaluare nequeunt, eos qui ſalutis authorem contemnunt. 378
Cœlum triplex, Sydereum, criſtallinũ, empyreum. 389
cœlum criſtallinũ eſt cauſa conſeruationis rerum. 390
cœlum cur appelletur ſanctum. 425
cœli agunt in hæc inferiora, motu, lumine, & influẽtia. 389
cœlis corruptis corrumperentur hæc inferiora. 389
cœnobitarum omnia bona ſunt communia. 260
cogitationẽs

cogitationes prauæ ſunt in prauo corde, & bonæ in bono. 122
cognitio Dei in hominibus naturalis eſt. 486
commercium iungere cum impiis non licet. 360
compunctio quàm mirabilis ſit. 77
conceptioni natiuitas Chriſti congruit. 462
conciliũ Braccarenſe de ſufficientia ſacerdotum. 263
concupiſcentia ſemper rationi ſubdenda. 375
confeſſio cur in inferno nõ proſit. 101
confidere de Deo iam præmium eſt. 40
cõfirmationis effectus. 407
confitebantur priſci Domino, vt auerterẽt iram eius. 540
conſcientia bona ſemper habenda. 40
conſcientia ſua cuique teſtis eſt boni & mali. 68
conſciẽtia mundis corde eſt requies. 103. ſed immundis tormentum. ibidem
conſcientia pœnitẽtis à peccatis libera, ſancta eſt. 107
conſcientia virtutũ frui non prodeſt, niſi populum ſuũ inſtruere ſciat. 509
conſciẽtiæ in iudicio vel accuſabunt vel excuſabunt. 159
conſcientiæ ſingulorũ in iudicio ſingulis patebũt. 173
conſilium contemnens, conſulentem contemnit. 272
conſilia ſunt addita præceptis, vt meli⁹ præcepta ſeruẽtur. 497. propterea nec ſunt contemnenda. ibidem
conſiliorum effectus. 497
conſuetudo mala peccandi, nox eſt peccatorum. 79
cõſuetudini inueteratæ peccandi difficile reſiſtitur. 79
continentes plerique à diabolo tandem ſuperati. 115
conuerſio mundi ad fidem quàm ſit admirabilis. 137
conuerſio Gentium, fuit reprobatio Iudæorum. 486
conuerſio mundi tribus actibus facta eſt. 487
conuerſio manducantis Euchariſtiam in Chriſtum mirabilis. 500
cor noſtrũ inſtabile per infinita diſtrahitur. 341. nec ſiſtitur niſi per pœnarum inferni recordationẽ. ibidem.
cor ſemper ſapientiam petit. 587
cordis petitio quid ſit. 587
corde Deo loquimur, ſicut ore homini. 609
cordium occulta in iudicio manifeſta erunt. 147
corona victoriæ multiplex. 94

corpus in cælo erit omnino ſpiritui ſubditum. 303
corpus Chriſti mãſit per integrũ diem in ſepulchro, quum anima eſſet in inferno. 303.304
corpus Chriſti in ſepulchro fuit materia ſine forma ſubſtantiali, ſemper tamẽ vnita verbo. 305
corpus idem Chriſti, quod mortuum fuit in cruce, & quod reuixit & aſcendit in cælum. 437
corpus Chriſti ex pane fit, 489.
corpus Chriſti verum adorandum eſt ſub ſpeciebus panis & vini. 490. ſed & latria venerandum. ibidem
corpus mortuũ eſt propter peccatum. 570
corpus Chriſti nil nouit niſi peccata lauare. 467. quod eſt eccleſia. 468
corporis Chriſti holocauſtũ in cruce, & oblatio in miſſa. 421.
corpora damnatorum, ignis inferni affliget. 441. neq; vrente igne conſumentur. ibidem.
correctio Dei nos docet viã quò direxit. 372
Creator non eſt ſub mẽſura creaturarum. 226
creator ex creaturis cognoſci poteſt. 236
creator facile videri poteſt à magnitudine ſpeciei, & creaturæ. 390
creatura omnis agens ſubeſt dei imperio. 350
creaturæ deũ veniſſe in carnem cognouerunt. 244
credere Dei veritatẽ ſemper fuit homini præceptũ. 237
crux Chriſti quomodo baiulanda. 539
Cunctatio omni deſyderãti moleſta eſt. 227
cupido vana initiũ fuit omnis hæreſis. 203
cupiditatis natura infinita eſt. 69

D

Dæmon de aliquo vitio victus, non tentat de illo vitio. 106
dæmon leoni comparatur, 110.111. qui fidelium mẽtes à via veritatis auertit. 111. ſed & ſenſus exteriores illudit. ibidem
dæmon Adæ ſurripuit hæreditatem, quam Chriſtus ei reſtituit. 294
dęmonis teſtimoniũ de Chriſto. 43.44. trepidãs ne per mortem eius mortis amitteret imperium. 44
dæmones abhorrent ab hominibus ſuperari. 106
dæmones in Chriſti aduentu credebant ſe fore ſtatim iudicandos. 149
dæmonibus

dæmonibus corporales creaturæ obediũt ad nutũ. 188
dæmones quãuis mali naturã ſuam non amiſerũt. ibid.
dæmones reliquiæ Dei dicũtur. 446
dęmonibus maxima eſt fallendi cupiditas. 232
Damnatorum etiam miſeretur Deus. 532
damnum eſt in cõſcientia, ſi lucrum eſt in arca. 589
Dauid cur vir ſanguinum dictus ſit 41. à cuius domo nunquã poſtea receſſit gladius. ibidem
dauid poſt fugã ſuã honorificè reductus eſt Hieruſalẽ. 45. poſtquã de filio & aliis coniuratis hoſtibus triumphauit. ibidem
dauid profugus quaſi in extaſi ſoporatus, Chriſti paſſionem præuidit. 48
dauid patiẽtiſſimus nunquã voluit hoſti Sauli nocere. 58. exiſtimans iniquũ occidere regem. ibidem
dauid ante mortẽ Saulis non fuit verùs rex. 58. ſed mortuo Saule acceptus à populo. 19
dauid primò ſuper tribũ Iuda in Hebrõ, & inde ſuper cęteras tribus in Hieruſalem. 59
dauidis oratio ad Saulem. 60. 61
dauidis ſuper fratres eminẽtiæ, ob quas cæteris præfectus eſt. 62
dauid cur ſe ſanctum dicat. 62
dauid mortuo Saule in Hebrõ ſuper Iudam regnauit. 84
dauid legitur quater afflict⁹. 95
dauid an per ignorantiã cauſa fuerit mortis Achimelech. 109
dauid quantum abſtinuit ab interfectione Saulis. 113
dauid quantum eſſet innocens quũ illũ perſequeretur Saul. 307
dauid quum iam pace frueretur, cantica & hymnos cõpoſuit & cantare fecit. 331
dauid à Saule præuentus. 354. ab Achitophel, à Siba. 355
dauid impenſas ad constructionem tẽpli præparauit. 554
dauidis peccata ob quę templũ Domino ædificare prohibitus eſt. 261
dauid à Deo electus eſt per Samuelem, non à patre vel matre præſentatus. 578
dauid ter inunct⁹ fuit. 560
Delictum maximũ quid ſit. 414
deſpicere, eſt diſſimulare nõ videre. 178

detractio contra famam pugnat. 82. cuius tria ſunt mala. ibidem
detractio quàm mala ſit. 268. 269. 270
detrahentes audire, de amiciſſimis inimicos facit. 270
Deus vtriuſque teſtamẽti author eſt. 8
deus omnium paſſionum & demutationum expers. 24
deus genuit verbum de ſeipſo. 30
deus heri & cras non habet, ſed ſemper eſt. 30
deus quomodo colitur. 37. quomodo pater, & quomodo dominus. ibidem
deus ex ira interdum non ſanos doctores deprauato mittit populo. 39
deus quare dicitur non volens iniquitatem, ſed non dicitur nolens. 77. 78
deus pœnitentiam peccatorum maximè expectat. 78. qui ſicut miſericors eſt tolerando, ita iuſtus eſt puniendo. ibidem
deus ſæpe pœnas infert vt nos à peccato deterreat. 96.
deus ab ira, furore, & omni paſſione liber eſt. 96
deus eſt oblatus, qui per peccatum prius fuerat ablatus. 113
deus quieſcens à punitione malorum, non exiſtimatur excelſus. 117
deus cur iuſtus & fortis & patiens dicatur. 122. 123
deus putatur res humanas non curare, & peccata indulgere, quia iudicium differt. 123
deus nullus colendus eſt ab hominibus, niſi qui poteſt homines facere felices. 150
in Deum peccantes dæmones ex quolibet angelorũ ordine ceciderunt. 158
deus quædã peccata hîc punit, quędam relinquit in futurum punienda. 161
deus in eccleſia ſua in ſuis ſanctis laudandus. 163
deus tentauit Iob, Abrahã, martyres. 169
dei præſcientia non neceſſitat, ſed concomitatur noſtram voluntatem. 191
deus cuncta ſcit antequam fiant, & nihil relinquit inordinatum. 191
deus ſcit hominem peccaturum, ſi homo velit peccare, & non peccaturũ ſi nolit. 192
deus peccatorũ tenebris nõ offenditur. 206
deus qui eſt ipſa iuſtitia, neſcit amare niſi eos qui norunt amare iuſtitiam. 208
deus potuit redimere genus humanum

humanũ alinnde quàm de genere Adæ. 233
de⁹ illi⁹ voluit eſſe redẽptor, cuius fuerat creator. 234
deus multipliciter cognoſci poteſt. 236
dei veri cultores ſemper fuerunt. 238
deus magis quàm proximus diligendus. 266
deus nec decipit nec decipitur, nec fallit, nec fallitur. 271
de⁹ vnũ locũ ſuo cultui aptũ elegit, non alium. 285
de⁹ quos vult ad ſe trahit. 297
deus eſt nomen naturæ. 332. & pertinet ad maieſtatem & dignitatem. ibidem
deus pater audiuit orationẽ patriarcharũ & prophetarum. 338
deus mediãtibus cauſis ſecũdis agit ex intentione. 339
deus cognoſcit vniuerſa antequam fiant. ibidem
deus præſidet cælo & motori illius. 344
deus omniũ effectuũ author eſt, vt agens à ꝓpoſito. 350
deus intus emendat quos foris caſtigat. 352
deus aliquando ſuos propter inimicos eripit. 359
deus præbet prius miſericordiam, quam habeamus bonam voluntatem. 356
deus eligitur ab eo quem eligit. 363
deus omniũ rerũ cõditor eſt. 368. & omniũ ſcientiarũ, & artium inuentor. ibidem
deus in Euãgeliſtis tanquam in cælis habitat. 390
deus omnia verbo ſuo, & nõ manibus ſuis fecit. 391
de⁹ factus eſt humilis vt ſupprimeret ſuperbiam. 414
deus authoritate, Chriſtus poteſtate excellentiæ, & ſacerdos miniſterio peccata dimittit. 424
deus dupliciter negatur. 445
deus nullius obliuiſcitur, & nihil ignorat. 525
deus nos tentat vt faciat nobis pecatum noſtrũ noſcere. 547
deus charitatem ſuã in Chriſto nobis oſtendit. 566
deus eſt nobis pater & mater. 579
deus ob bona mortalia, temporalia ſæpe elargitur. 586
deus caſtigat ſæpe filios ſuos per malos. 591
deus peccatorẽ permittit ad tẽpus affligere iuſtum. 593
deus à nobis non plus exigit quàm nobis intus dederit. 600
de⁹ ſuos multipliciter in ſuũ bonum flagellat. 607
deus expectatur per ſpẽ firmã, & indeficiẽtem mandatorũ cuſtodiam. 613

dei ſeueritas in Iudæos, & bonitas in Gentes. 32
dei nomen tribus deſcribitur literis. 131.132
dei inuocatio perficitur fide, ſpe, & charitate. 334.
dei arcana poſſunt ad quatuor iudicia referri. 359
deum nemo latere poteſt. 38
deum quare regem noſtrum & Deum noſtrum appellamus. 73.74
deũ ſemper acie mẽtis intueri quantum prodeſt. 298
dij Gentiũ nullius erant virtutis qua ſuos poſſent liberare cultores. 154
deorũ nomina diſſeminato verbo Dei euanuerunt. 153
dij Gentilium erant immundiſſimi dæmones. 244
dij Gẽtium in omni loco ficti 287
dij paganorũ nõ poterãt efficere quod figurabant. 368
deorum nomina non miſceantur ſacris. 223
deorum tria genera Scæuola aſſeruit. 232
Dextra Dei Patris quid ſit. 306
dextra opus miſericordiæ dicitur 320
Diabolus animam perſequitur ſuggerendo. 114
diabolus vltor dicitur, quia diuinæ iuſtitiæ executor. 137
diabolus ante Chriſti aduentũ dux itineris mortis fuit. 149. ſed in eius aduentu fuit eius poteſtas ligata. ibidem
diabolus per annos mille ligandus eſt. 195. quibus elapſis ſoluetur. ibidem
diabolus malos bonis imperare facit. 220
diabolus poſt Chriſti paſſionem non potuit Gentium impedire cõuerſionẽ. 220
diabolus ante Chriſti aduẽtũ huius mundi princeps, in eius morte ligatus eſt. 220
diabolo religato, nocẽdi ablatus eſt locus. 613
diabolum ſequens, ſeipſum perſequitur. 207
Dies iudicij hyemis aſſimilatur rigoribus. 360
dies iudicij qualis ſit futurus. 442
dies malorum eſt vita præſens. 570
Differentia quędam inter oues & boues & pecora. 144 145
Diligere inimicos, cumulus eſt perfectionis. 113
dilectio Dei in quibus conſtet & perficiatur. 403
dilectio proximi ad eundem finem tendat. 403
dilectio mixta cum pauore timor Domini eſt. 408
dilectione Dei & proximi

Eccleſia

Eccleſia decora eſt. 556
diſcimus nõ tantum vt ſciamus, ſed vt agamus. 611
diſcipulum tepidum non amat Chriſtus. 73
diſciplina Chriſti ſunt flagella & aduerſa. 372
diuitis confeſſio in inferno non profuit. 101
diuitis epulonis peccatum. 322
diuitiæ cum labore acquirũtur, cũ cupiditate poſſidentur, & cum dolore perduntur. 161
diuitiæ datę ſunt Eccleſiæ ad ſubſtentationem pauperũ. 253
diuitias non dat Deus omnibus petentibus. 161
diuinum attractiuũ in Chriſto fuit. 286
diuinarum rerum nulla ſatietas eſt. 573
diuinitas in ſupremo iudicio apparebit. 172
diuiſio orbis per quinque cingula vel zonas. 400. 401
Doctor non ſanus quantæ ſit peſtilentiæ idiotis. 7
doctor peruerſus vento ſuperbiæ agitatur. 13
doctoris fructus in plantatione doctrinæ. 10.11
doctorum potiſſima cura eſt Eccleſiæ fidem pacémque tueri. 27
doctrinæ efficaciſſimum genus eſt inuitare proſperis, & terrere aduerſis. 12
dolus quãdoque bonus eſt. 266
Dominus malos ignorare dicitur. 15
dominus iuſtis præmia, peccatoribus tribuit pœnas. 209
dominus ſemper aderit vtẽtibus recta ratione. 237. 238
dominus multis nominatur nominibus. 332
dominus eſt nomen officij. 332. & pertinet ad poteſtatem & dominium. ibidem
dominus quoſdam ad damnationem exaudit. 453
dominus eſt diuitiæ pauperum. 485
dominus quare dulcis dicitur. 529. & quare rectus. ibidem. & 530
dominicus dies quàm celebris ſit. 505
Dona diuini amoris tãta ſũt, vt comprehendi nequeãt. 411
Dormitio interdũ pro morte naturali ſumitur. 48
dorſum ponere, eſt fugere & terga dare. 446
dotes corporis glorificati Chriſtus ante ſuã paſſionẽ multipliciter oſtendit. 439
Durationẽ tribus dictionib⁹

Hebræi exprimunt. 608
durus ad pœnitendum quis dicitur. 103

E.

Eccleſia ſuper Siō prius fundata eſt. 26. quæ nunc rectè mons appellatur. ibid.
eccleſia vniuerſalis in Chriſtum creditura eſt in cōſummatione ſeculi. 71
eccleſia dicitur corpus myſticum. 74. quæ formata eſt ex latere Chriſti moriētis. ibidem
eccleſia pręſens multo maioris eſt gloriæ quàm priſca. 138
eccleſia multas patitur varietates. 139
eccleſia ex gentibus venit, reprobatis Iudæis. 151
eccleſia ſub Conſtantino parum reſpirare cœpit. 167
eccleſia diu vexata ab his hęreſibus, petit à Deo humilitatem ſuam cōſiderari. 167
eccleſia ſub Antichriſto maximam perſecutionem patietur. 176
eccleſia Antichriſti tempore prope deſolabitur. 179
eccleſia in ſacris frequenter templum appellatur. 204
eccleſia tota floret, ſi ſacerdotium fuerit integrum. 263
eccleſia maximè errat circa munera pro iudicio faciendo. 279
eccleſia quo pacto dicitur regnum Chriſti. 293
eccleſia dicitur ſancta, immaculata, & præclara. 295
eccleſia partita eſt in præclaris viris. ibidem
eccleſia eſt ſponſa CHRISTI. 352. quæ eſt illi ter ſigno ſenſibili deſponſata. ib.
eccleſia collecta eſt de multitudine populorum. 354
eccleſia creſcere meruit quādo eam hoſtis afflixit. 354
eccleſia periclitatur in mūdo. 355. ſed Dominus ſemper eſt protector eius. ibid.
eccleſia quanto pluribꝰ perſecutionibus cōſtringitur, tanto amplius dilatatur. 356
eccleſia mundo altior facta eſt. 369
eccleſia bona docet, & mala dedocet. 386
eccleſia in loco paſcuæ collocatur. 420
eccleſia quantum ſit ex virtute Chriſti roborata. 470
eccleſia in hymnis & cāticis reſonat coram ſponſo. 482
eccleſia vixit in Euchariſtiæ ſacramenti fide. 490
eccleſia quotidiano angelorū paſcitur alimento. 490
eccleſia ex Chriſti reſurgentis corpore & vulnere fulſit. 492

ecclesia multa habet bona. 492. 493
ecclesia hîc quasi in tabernaculo cõsistit. 504. de quo transfertur ad vitam æternam. ibidem
ecclesia formatur ex sacramentis, quæ profluxerunt ex latere Christi dormientis. 504
ecclesia est totus orbis. 506. quæ super flumina fundata est. 508
ecclesia malignantium qualis sit. 551
ecclesia militans per tabernaculum designatur. 568
ecclesia primò fuit puer, deinde adolescés, inde iuuenis, & postea vir. 603. sed postea senuit, & tãdem decrepita erit. ibidem
ecclesię inimici multiplices. 82
ecclesiæ virtus improbitate persequentium clarior facta est. 385
ecclesiæ vnitas nunquã dissoluenda est. 474
ecclesiæ vniuersalis post Christi resurrectionem institutio. 481
ecclesiæ præficiendus qualis esse debeat. 262
ecclesiæ regnum, nõ est hominis, sed Dei. 487
ecclesiam Dei ingredi & egredi. 83
ecclesiam persequi volentes, eandem pœnam passi sunt quam nitebantur inferre. 170
intra Ecclesiam quærendum est si quid inuenire cupis quod ad veram fidem pertineat. 201
extra Ecclesiam catholicam non est locus veri sacrificij. 204
ecclesiæ nostræ deputatæ sũt ad orandum, impetrãdum, & docendum. 84. ad offerenda sacrificia & suscipiẽda sacramenta. ibidem
ecclesiæ opibus abutentes quàm graui pœna digni sunt. 253. 254
ecclesiæ subduntur qui liberi probantur à vitiis. 385
ecclesiarum status successiue augebatur. 155. sed malis morib⁹ inde minutus est. ibidem
ecclesiarum persecutiones, per Romanos imperatores. 156
Eclipsisquę in passione Christi apparuit, fuit vniuersalis. 473
Electio Dei qualiter fit erga prædestinandos. 283
electi fruentur Christi diuinitate & humanitate. 92
electi per oues designantur. 144

electorum iudicia & ſigna. 488
eleemoſyna quem fructum affert. 605
elegantia eſt ſermonis orationiſque cultus. 217
elegantia ſermonis eſt velut ciborum cõdimentum. 217
elegantia hæreticum ad fallendum potentiorem reddet. 217
elegantia eſt bonis maximũ ornamentũ ad virtutũ perſuaſionem. ibidem
elegantia ſermonis catholicis & hæreticis cõmunis. ibidem.
elementa Chriſtum incarnatũ agnouerunt. 244. 245
elementa in ſeinuicem conuertuntur. 302
elemẽtorum regimen poëtæ diis tribuunt. 212
Eli domus propter duorum filiorum iniquitates radicitus euulſa eſt. 110
eloquia diuina aquis cõparantur. 11
eloquia diuina plus habent in receſſu quàm in fronte promittant. 206
eloquia Dei Iudæis amara ſunt. 250
eloquentes theologi apud Græcos, & apud Latinos. 217
Empyreum dicitur cælum beatorum. 389
Enoch & Elias detegẽt Antichriſti mendacium. 178. 179
Epicurus vno ſimul tẽpore gulam ſuaſit & fugit. 323
epiſcopi miſſi in exiliũ propter Arrianos reuocantur ad propria. 168
epiſcopi conditiones ex Paulo. 509
Error Apollinariſtarũ aſſerentium Chriſtum animam rationalẽ nõ habuiſſe. 304
errores Ebionis, Cerinthi, & Iudæorum ſuper diuinitate Chriſti. 399
error Ebionitarum dicentiũ legem ſimul cum Euangelio neceſſariam. 288
error Iouiniani circa matrimonium. 322
error Origenis & Marcionis ſuper carnis reſurrectione. 582
error Pelagiani circa immaculatam Verbi incarnationem. 433
error negantiũ immortalitatem futuram arguitur. 66
error non contingit niſi de ſcripturis nõ intellectis. 89
error aſſerentium Chriſtum in paſſione nil mali pertuliſſe. 472
error contra diuinam prouidentiam. 584. tribuẽs omnia fato & caſibus. ibidem

errores in fidem ex multis philoſophis eruperũt. 198 199. Vide infra Hæreſis.
eruditio, & diſciplina quæ putatur eſſe correptio. 373
Eſdras pſalmos ordinaſſe dicitur. 5
Eſſentia diuina eſt ſpeculum liberum. 297
Eſſeni apud Iudęos Aſtrologiæ dediti. 393
Euangelium quanto ſtudio ſit prædicandum. 163. 164
euãgelium opertum eſt perfidis Iudæis. 364
euangelium hiſtoria eſt non prophetia. 396
euangelica via nil immundum proponit. 367
euangeliſtæ Trinitatem in perſonis, & vnitatem in eſſentia teſtati ſunt. 29
euangeliſtarum & prophetarum conſonantia. 351
Euchariſtia non eſt ſacrificiũ vt cætera ſacrificia. 293
euchariſtia commemoratio paſſionis Chriſti. 422. & eius effectus. ibidem
euchariſtia non niſi in charitate Eccleſiaſticæ vnitatis ſumenda eſt. 422
euchariſtia eſt pacificum ſacramentum. 423
euchariſtia ad ſalutem eſſe neceſſaria monſtratur. 483 & quid ad eius manducationẽ requiratur. ibidem.
ad quam nec tenentur pueri ibidem
euchariſtia ſub altera tãtum ſpecie danda eſt laicis 484. ſicut dedit Chriſtus duobus diſcipulis euntibus in Emaus. ibidem
euchariſtia nos facit in eſſe diuinum conuerti 500
euchariſtiæ effectus. 407
euchariſtiæ ſacrificiũ maximè eſt Eccleſiæ neceſſariũ. 420.
euchariſtię ſacramentum inſtitutũ eſt à Chriſto in cœna. 421
euchariſtiæ ſacramentũ cur ſit inſtitutum ſub ſpecie panis & vini. 422
euchariſtiæ ſacramentũ cur Chriſtus inſtituit. 482. 483 cuius multæ figurę præceſſerunt. ibidem
euchariſtiæ inſtitutio. 489. 490
euchariſtiam ſub ſpecie panis tantũ laicus ſumit. 485
euchariſtiam ad ſalutem mãducant pauperes ſpiritu & diuites pietate. 488
euchariſtiam dignè ſumens iam non vita ſua ſed Chriſti viuit. 500
Exclamatio in ſciſmaticum. 396
Excommunicandi authoritas à Chriſto data eſt Eccleſiæ. 143

Exercemur à Deo, à proximo, ab aduerſario. 312
Extremæ vnctionis effectus 407

F

Fabrica mundi Deum manifeſtat. 236
facere cõtra verba Legis, & non cõtra animum præcipientis, malum non eſt. 278
facies Dei potentia eius eſt qua nos aſpicit, cuſtodit, ac beneficiis donat. 227
facies patris, Filius. 514
fames excidij Hieroſolymitani. 34
fata omnium rerum à ſolo Chriſto ſunt petenda. 214
Feſta tria Iudæorũ menſe ſeptimo celebrabantur. 130. quorũ myſteria in hac ſeptima ætate cõplentur. ibidẽ
feſta Sanctorum celebrata iandudum cœperunt. 162
Fides Chriſti crucifixi liberat à morte. 49.
fides exigit captiuemus intellectum. 199
fides primò miraculis nutrienda & firmanda fuit. 133
fides noſtra in Chriſto debet ſemper firma eſſe. 180. quo iubente trãquilla ſunt omnia. ibidem
fides Mediatoris ſemper fuit poſt lapſum neceſſaria. 238
fides proteſtata ſigno ſenſibili ſufficiebat apud veteres ad delendum originale. 238
fides ſine ſpe eſſe non poteſt. 334
fides virtutum teſtimonio rationabilis probatur. 373 374.
fidei noſtræ rationem humana verba aſſerere non valent. 373
fidei noſtræ veritas peregrinatur in terris. 374
fidem & charitatẽ Deus gratis præſtat. 357
fideles ad certam regulam in diuinis loqui oportet. 134
fideles dicebãtur in primitiua Eccleſia qui nũc dicũtur Chriſtiani. 291
fideles receſſerunt à Iudæa ante euerſionem Hieruſalem. 351
fideles ſeruos ſuos Chriſtus fideliter adiuuat. 617. & à peccatoribus liberat. ibidem. quia ſpem ſuam in eum collocauerũt. ibidem
fiducia noſtra ad Chriſtum quomodo eſſe debet. 66
fiducia martyrum & tribulatorum. 564.565
fiducia in Domino integratur ex ſpe in Deo, & cura vitæ eius. 613
Filius Dei eiuſdem eſt cum
Patre

Patre ſubſtantiæ. 28. nec tamen eſt Pater. ibidem
filius Dei quare dicitur verbum Patris. 30. virtus & ſapientia Patris. ibidem
filius non poſterior, nec minor Patre. 30
filius Dei occulte habitauit in Virgine. 242
filius Dei eſt vita, & ſanctorũ gloria. 329. Vide ſuprà Chriſtus. Infrà Ieſus. Meſſias Redemptor, Saluator.
filius & ſeruus differunt. 333
à Filio gloriam, & à ſeruo timorem Deus expetit. ibid.
filij Dei dicuntur & angeli & ſancti, non tamen à Deo geniti. 16
filiæ Loth intendebant futurum Meſſiam ex ſemine ſuo. 151. 152
filij ſæpius temporaliter pro ſuis parentibus affligũtur. 607. 608
filiorum Leui diſtinctio, & officia. 553.
fines terræ ſunt cæleſtia & inferna. 33
firmamentum duobus mouetur motibus. 389. quod eſt cauſa generationis rerũ 390
Fœlicitas nõ eſt dea, ſed donum Dei. 150
fœlicitas beatorum ſpirituũ 303
fœlicitas tribus potiſſimum clauditur. 306
fœminis Iudæis durante circuncisione ſufficiebat lex proteſtata ad deletionem originalis. 289
fœnerari Deo & hominibus differunt. 505
Fortitudo noſtra ex Deo, & non ex nobis eſt. 225. quæ cito deperit, ſi à Deo deſeratur. ibidem
fortitudo tam in pugna corporali quàm ſpirituali quæritur. 374. 375
forti⁹ nihil eſt eo qui vincit diabolum. 371
fortuna quo pacto rideat impium. 614
Framea quid ſit. 154
framea Romanos milites ſignat. 476
franciſcanorũ bonorum dominium apud ſedem Apoſtolicam reſidet. 260
fratres Chriſti aliquando apoſtoli, aliquando conſobrini dicuntur. 478
Frigidus quis dicatur. 408
Fructus eſt in Deo gloriari. 92
Futura in prophetia ſunt æquè certa ac præterita. 16

G

Gabaonitæ an erant occidendi. 278
gaudere in Domino ſemper oportet. 148
gaudia vana in quibus non

eſt lętandum, quæ ſint. 148
Gemitus dicitur geminatus luctus. 102
gemitus Chriſtianis quæren dus. 102
Genealogiæ apud Iudæos à viris, non à mulieribus deſcribuntur. 243
generatio iuſtorum vnde or tum habeat. 256
gentes cur vocatæ, & Iudæi eiecti. 32
gẽtes quomodo mũdatę ſunt 34
gentes fruſtra ſuos timebant deos. 255
gentes populum ſuum Dominus vocat. 491.492.
gentium laus magnum vituperium eſt Iudæorum 381
gentium vocatio & conuerſio. 486
gentibus credita ſunt eloquia ſacra. 364
gentiles Chriſtus ſuas oues vocauit. 152
gentilium libros docet Auguſtinus caute legendos. 218
Geraſeni horrebãt miracula Chriſti. 349. quia ſuos porcos interfecerat. 350
Gladius peccatoris, eſt quilibet dolus appetens vindictam. 594
Gloria vana ſubrepens quãtum ſit vitanda. 115
gloria ſuperborum in puluerem deducitur. 115
gloria eſt vbicunque habitat Dominus. 555
gloria carnalis fœno comparatur. 585
Gog & Magog quid ſignificent 196
gog ſubrepet ad perſequendum iuſtos. 195. poſt cuius interitum Chriſtus veniet ad iudicium. 196
Græci, Gentiles primi fuerunt qui in Chriſtum crediderunt. 491
Gratia Dei pro omnibus guſtauit mortem. 450
gratia prima nuſquam cadit ſub merito. 54
gratia infunditur diſcedentibus peccatorum tenebris 76
gratia perficit naturam. 365
gratia perficit naturam ſicut lex particularis naturalem 405
gratia præcedit omnia merita. 526
gratia dicitur vita fidelium. 562
gratia quædam eſt præueniens, quædam cooperans, & quædam perficiens. 575
gratia ſola cæleſtis morbum animæ ſanat. 575
gratiam ſuam Deus hominibus ſubſtrahit. 577
Gymnoſophiſtæ in AEthiopia aſtrologiæ dediti. 394
Habitare

H

Habitare eccleſiam quis dicatur. 506
habitus ſemel acquiſiti diffi cile deperduntur. 315
Hæreditas eccleſiæ à Chriſto data eſt. 72
hæreditas æterna quæ ſit. 92
hæreditas paterna iure naturali debetur filio. 281
hæreditas regni cælorũ ex paſſione Chriſti debetur. 292
hæreditas Chriſti mundus futurus. 294
hæreditas hominis multipliciter dicitur. 294
hæreditatem olim funibus Ioſue diuiſit. ibidem
Hæreſis Arriana quanta mala Eccleſiæ intulerit. 166. 168
hæreſis Pelagiana circa bona opera. 357
hæreſes vnde exortæ ſunt. 90
hæreſes vnde ortæ ſunt. 367
hæreticus tot occidit homines, quot ad errorem inducit. 81
hæreticus vir ſanguinum dicitur, quòd quotidie ſanguinem fundat. 82
hæretici in cathedra peſtilentiæ ſedere dicuntur. 7. qui & peſtiferi & irriſores vocantur. ibidem
hæretici ſepulchra patentia dicũtur. 88. qui multos variè ſeducunt. ibidem
hæretici quotidie immutant dogmata ſua. 89. & ſacros libros negare non verentur. ibidem. Vnde ab hæreditate Dei expelluntur. 90
hæretici verſantur iter Chriſtianos, veluti Iebuſęi olim inter Iudæos. 198
hæretici ſemper oppugnant eccleſiam, quam nunquam expugnare valent. 198
hæretici contra eccleſiam tetenderunt arcum. 200
hæretici ſacram Scripturam radunt, violant & torquẽt. 200
hæretici incautos & imperitos decipiunt, fortiores & prudentiores non poſſunt. 201
hæretici extra Eccleſiã manentes, non poſſunt cum filiis hæreditare. 201
hęretici, quotquot præceſſerunt philoſophi, poetæ, & doctores, putãt vicere. 215
hæreticorũ mores. 126. qui per vaſa mortis intelliguntur. ibidem
hæreticorum error Chriſtianam veritatem clariorem reddidit. 169
hæreticorum perſecutio eſt portæ mortis. 167. quæ tyrãnorum crudelitaté prope ſuperauit. ibidem

S.

hæreticorum virus difficile curatur. 198
hæreticorum conſuetudo ad ſubuertendam veritatem. 320. qui eccleſiam quotidie perturbant. 321
Hely iniquitas expiari non potuit. 90
Helizabet fuit de tribu Leui. 242. 243. quæ & cognata Mariæ virginis. ibidem
Herodes primus vſurpauit regnum Iudæorum, ſecundus diuiſit. 18
herodes omne ſemen regiũ, & omnem regiam genealogiam deſtruxit. 245
herodes annis x x x i tyrannicè regnauerat in Iudæa, & ſex annis iure. 246
herodis crudelitas in ſuos. 599
Hierarchas prīceps Brachmanarum aſtrologiæ deditus. 394
Hieremias ſanctus & iuſtus ex terra promiſſionis defecit. 280
Hieroſolyma 8. die Septēbris capta eſt. 251. quæ in die azymorum fuerat obſeſſa. ibidem
Hilarius ad propria ſedato tumultu eſt reuerſus. 168
Holocauſtum quid ſit. 420
homo vaſi luteo rectè comparatur. 35
homo totus à ſuo plaſmatore pendet. 46
homo peccando imaginem Dei corrupit, nō tamē deperdidit. 67
homo exterior mundo, carni, & diabolo ſeruit. 68
homo exterior homini interiori refragatur. 99
homo ſolus nudus, cæteræ creaturæ veſtitæ. 140. q nihil ſcit ſine doctrina. ibidē
homo moribus peruerſus, ratione placari nō poteſt. 183
homo non ideo peccat, quia Deus ſciuit illum peccaturum. 191. quia ſi nolit, omnino non peccat. 192
homo tribus conſtat, ſpiritu, anima, & corpore. 300
homo naturæ eſt, peccator voluntatis. 412
homo à Chriſto aſſumptus nunquam potuit vel paſſione vel morte vel ſepultura à Deo ſeparari. 439
homo medius eſt inter angelum & brutum. 524. 525
homo, creatus eſt erecta facie, vt ſcopū tendat ad quē creatus eſt. 524
hominis perfectio nō ex natura, ſed ex gratia eſt. 356
hominis greſſus, ſunt affectus & opera. 601
hominem veterem deponere, & nouum induere. 66
hominem peccātem impunitum

ſitum Deus non eſſe permiſit. 193. nec ſine miſericordia dereliquit. ibidem.
homines carnales per pecora deſignantur. 145
homines quidam omnibus bonis & corporis & fortunę abundant, quorum finis malus. 146.147
homines plerunque apertè plerũque occultè luunt pro ſuis factis pœnas. 174
homines dupliciter inclinãt malum ſuper Deum. 445
hominum nefandorum conſuetudo eſt, mala vota ſua tegere. 325
honor teſtimonium eſt virtutis. 270
hoſtia quid ſit. 572
hoſtes noſtri continuo contra nos pugnant. 413
Humanitas vnita verbo, erat inſtrumentũ diuinitati coniunctum. 139
humilitas nutrix eſt pauperis ſpiritu. 160
humilitas patientis perpenditur faſtu inimici. 167
humanitas Chriſti diuinitati coniuncta, habet vim iuſtificandi. 293
humilitas exaltauit Chriſtũ ſuper cœlos. 459
humilitatis altera pars magnificat, honorat, & glorificat. 271
humilitatis excellentia. 363
humiles ſpecialiter elegit Dominus. 363
humilior quis tanto eſſe debet, quãto eſt Deo debitor. 503
Hypocriſis quomodo peccatum ſit. 81
hypocriſis creuit creſcente nomine Chriſti. 121

I

Iacob dicens patri, Ego ſum Eſau, nõ eſt mentitus. 266
ianua cœlorum per Chriſtum aperta eſt. 49
ianua cœli ante Chriſti paſſionem, peccato Adæ ſemper clauſa fuit. 228
Idololatria ante Chriſti aduentum totum mundum labefactabat. 232
idololatria vanitas dicitur. 61. & mendacium. ibidem
idololatria Chriſti aduentu deſtructa eſt. 118
idololatria quomodo introducta. 240
idololatriæ ortus. 232
idola colebat vniuerſus orbis præter Iudęos, ante apoſtolorũ prædicationẽ. 150 poſtea vero omnis idololatria corruit. ibidem
idolis fidere ſumma inſania erat. 153
idola poſt fidem promulgatam deleta ſunt. 153.154
idola cur prohibentur adorari. 241

Ieiunia prorſus tanquã nullius valoris reiicit Arrianorum hæreſis. 203
Ieſus ipſi Meſſię attribuitur. 132. quo nomine tres alij vocati fuerant. 133. & eiuſdẽ nominis efficacia. ibidem.
Ieſus nomen inuocatum aliquando clypeus eſt. 371. & eius præconia pulchra. ibidem & 372.
Ieſus, nomen Dei multoties inuocatum. 427. nomen gratiæ & benignitatis. ibidem. Cuius effectus & virtus multiplex. ibidem
Ieſus nomẽ homini, nõ Deo Deus pater dedit. 431
Ieſum neceſſe eſt vbique coli, qui eſt rerum dominus. 487. Vide ſuprà, Chriſtus. Filius Dei. infrà, Meſſias. Redemptor Saluator.
Ignis de cœlo ſolitus eſt mitti ad ſacrificium deuorandum. 65
ignis inferni corporeus eſt, & elementari ſimilis. 440. Seruatur apud inferos incorruptibilis. ibid. & 441.
ignis inferni parum luminis habet, vt pœnas ſuas videant damnati. 441
ignorantia humana verbis inſtruenda eſt. 314
ignoti Dei cultus vnde ortũ habuit. 368
Immaculati ſumus intus & innocui exterius. 361
imago Dei quomodo reſultat in anima. 67. quæ dicitur lumẽ vultus Dei. ibidẽ
imago eſt idiotis quod ſcriptura doctis. 241
imaginẽ Dei habet rex, ſicut epiſcopus Chriſti. 59
imagines quomodo ſint adorandæ. 241
imagines Chriſti & ſanctorum religioſè in templis & viis publicis eriguntur. 241
imagines quomodo venerari oportet. 285
imperator optimus eſt qui ſibi imperat. 37
imperatores poſtquam perſecuti ſunt eccleſiam, miſerrime finierunt. 156
impius pulueri comparatur. 12
impius hic ſæuit vt iuſtus probetur. 591
impij affectu vel opere contrarij ſunt cœleſti Patri vel patriæ. 13
impij ad tempus florent, ſed fructum non dant in tempore ſuo. 607
impij nunquam poſſunt ad rectam regulam peruenire. 226
impiorũ manifeſta ſunt vitia, quorũ deberet eos pudere. 226
impiorum

impiorũ miſeriæ in fine vitæ. 598.601
impiis non erit cõſolatio in ſuis externis ĩ iudicio. 598
impios Deus ſæpe permittit in hac vita florere. 121
Incarnationis Chriſti myſteria. 140
incarnationem Chriſti nuſquam quis mortaliũ meruit. 54
incipere & finire à Deo eſt. 316
infernus interdum ſepulchrum, interdũ locus pœnarum. 101
infernus Dei cognouit incarnationem. 245
infernus de Chriſto præſtitit fidem. 304
infernus, canis appellatur. 476
infidelium verba quàm cautè cauenda. 249
infirmitas iurandi pœnę eſt, non culpæ. 277
infirmitatis confeſſio medici miſericordiã mouet. 98
infirmiores à maioribus debent fidei altiora accipere. 343
infelices ſunt à quibus auertitur deus. 206
ingrati vbi ſentiunt Deum iraſcentẽ, quieſcunt ab impietatibus. 117
inimicitia maior non eſt q̃ amicitias neceſſitate ſociare. 533
inimicitiæ ſigna. 574
inimicus familiaris quauis peſte periculoſior. 542
inimicus eccleſiæ ſuis niſibus deſtruitur. 354
inimicus multa nobis poteſt inferre. 564
inimici noſtri quãdiu in hac mortali pugna ſumus non quieſcunt. 580
inimicis qualiter benefaciẽdum ſit. 267
inimicis benefacias quũ poſſis. 615
iniquus quo ordine currit ad mortem. 128
iniuria propulſanda eſt, ne lædatur iuſtitia. 314
iniuſtum eſt relinquere ſeculorum conditorem, & diligere ſeculum. 256
iniuſto nulla fit hîc requies. 185
iniuſti finita hac luce & anima & corpore punientur. 616
innocentia Dauid in perſecutione Saulis. 112
innocẽtia cuſtodiẽda ne ſurripiatur à diabolo. 615. quę ad ſobrietatem & pietatem ſpectat. ibidem
innocentia vera quæ ſit. 546
innocentes aliquando pro nocentibus puniuntur. 361
inops is eſt qui à ſtatu ſuo decidit. 219

inſenſibilitas humana quid ſit. 115
inſurgentes in Chriſtum. 43
inuidus multa molitur in iuſtos. 611
inuidia multis intẽtauit ruinam. ibidem
inuiſibilia per viſibilia homini nota ſunt. 406
inuocare Deum in tribulationibus ſummum remedium eſt. 338
Iob à Satana vexari permiſſus eſt. 169
iob inter gentiles iuſtus fuit ac timens Deum. 238
Ionas figura fuit dormitiõis & reſurrectiõis Chriſti. 49
Ioſaphat reprehenſus eſt à Deo, quia Achab præbuerat auxilium. 361
Ioſeph incarceratus cuſtodis gratiam inuenit. 225
Ioſephus de Chriſto ſcribẽs neque virum nominare ipſum auſus eſt. 25
Iouinianus matrimoniũ æquans virginitati, ciborum delectum damnat. 203
iouiniani hæretici mutationes. 87
Ira per zelum non eſt peccatũ. 64. quæ vero quærit vindictã, peccatũ eſt. ibid.
ira quũ inueterauerit, odiũ fit. 65
ira Dei lento gradu procedit ad vindictam. 78
ira Dei magna dignoſcitur quando in malis deeſt correptio. 181. 182
iram ſuam Deus per miniſtros exercet. 123
iracundia hoc ſibi peculiare habet, quòd nolit regi. 187
Iſrael ter peccauit, vnde ter captiuus eſt factus, ſed reſtitutus. 22. 23. Quarto vero exul factus, nunquam reſtituendus. 23
iſrael ex AEgypto non Moyſi ſed Dei virtute liberatus. 225
Iubilus quid ſit. 572
Iudas per Abſalonem præfiguratus. 42. & per Achitophel. 53
Iudæi Chriſtum per crucem triumphare fecerũt, quem per crucem perdere tentauerunt. 17
iudæi calamitate preſſi in excidio Hieroſolymitano vẽditi ſunt. 17. etſi pauci inuenirentur emptores. 18
iudæi, quomodo irrideantur à Deo. 22
iudæi excuſationem nõ habent ſuæ infidelitatis. 25
iudæi regnum Chriſti negauerunt. 33
iudæi Chriſtũ occidẽtes, nõ aduertebant ſuam futuram ob illum miſeriam. 43
iudæi peccant in Patrẽ, quia negant Filium eius. 57
iudæi

iudæi falſò Chriſtũ accuſabant contra Cæſarem coniuraſſe. 110
iudæi Chriſtum natum non cognoſcunt, quem diutius ante naſciturum cognouerunt. 245
iudæi cur repudiati, & Gentes electæ ignoramus. 146
iudęi Patrẽ & Filium negãtes, Patri & Filio dati ſũt exterminandi. 251
iudæi ea menſura qua Chriſtum menſi ſunt, poſtea ſunt remenſi. 251
iudæi Romanos magis timebãt quàm Chriſtũ. 255. 256
iudæi Chriſti aduentum cõtempſerunt, quia in humilitate, & non in faſtu venerat. 256. 257
iudæi cur incarnationis myſteriũ non crediderint. 257
iudæi Chriſtum crucifigentes ſuam ſuorúmque perpetuam diſperſionem meruerunt. 256
iudæi quare pro tot miraculis non crediderũt in Chriſtum. 318
iudęi impij dicũtur qui Chriſtum crucifixerunt. 321
iudæi poſt prophetas occiderunt Stephanum, & vtrunquẽ Iacobum. 326
iudæi claudicãt, quia Patrem credũt, & Filiũ negant. 383
iudęi ſequẽdo legẽ iuſtitię nõ apprehẽderũt iuſtitiã. 418
iudæi nũc dicũtur vituli. 465
iudæi dicuntur tauri. 471. & canes. ibidem
iudæi leo dicuntur. 476. & vnicornes. ibidem. 477
iudæi crudelitatibus Herodis feſſi, regnum illi obtulerunt. 599
iudæorũ odium in Chriſtũ, 17. ſed eorum cogitatio inanis. ibidem
iudæorum peccata in primo ſanctuario. 23
iudæorum punitio duplex. 24.
iudæorum delicto ſalus fuit gentibus. 31
iudæorum infidelitas erga CHRISTI aduentum. 42. 43. & eorum excæcatio. ibidem
iudæorũ ob ſanguinẽ Chriſti fuſum, pœnę & exilium. 53
iudęorum Chriſtum negantium quàm graue ſit peccatum. 65
iudæorum completa eſt nequitia quando Chriſtus crucifixus eſt. 121
iudæorum in Chriſtum iniuſtitia. 127
iudæorum inſipientia & duritia arguitur. 236
iudæorum pertinaciam etiã creaturæ inſenſibiles cõuincunt. 244. 245

iudæorum ſententia de loco natiuitatis Chriſti teſtimonium damnationis ſuæ eſt. 245
iudæorum blaſphemiæ in Chriſtum. 250
iudæorum obſtinatio aſpidi comparatur. 250
iudæorum occiſio in Hieroſolymorum excidio. 252
iudæorum delictū ſalus eſt gentium. 308
iudæorum tituli quibus ad virtutem animari debuerunt. 328
iudæorum reprobatio. 379. 380
iudæorū magna, & pluſquā leonum crudelitas. 467
iudæis conceſſum eſt immolare Deo, quod prius idolis immolabat. 288
iudæos non mouerunt mirabilia in morte CHRISTI. 323. 324
iudex Chriſtus in ictu oculi ſuam oſtendet ſentētiam. 444
iudicis præſentia contremiſcere facit peccatores. 340
iudices excutiāt manus ſuas à munere. 279
iudicium Dei quoad ſtatus hominum, valde occultum eſt. 146
iudicium ſanguinis quomodo ablatum fuerat Iudæis. 147
iudicium diſcuſſionis & diſcretionis Chriſti. 147
iudicium futurum terribile fiet iniuſtis, ſed iuſtis iucūdum. 148
iudicium poſtremū quàm generale erit, & quales eius conditiones. 440
iudicia Dei inſatiabilia. 410
iugum Chriſti abiiciētes. 22
iugum Domini ſuaue eſt dūtaxat charitate feruētibus. 496
Iulianus minatus eſt Cæſareę ciuitati ſubuerſionē. 171
iuliani mors horribilis. 171. 172
iulianus apoſtata pro panibus hordeaceis fœnū Baſilio reddidit. 170
iurare, ad latriam ſpectat. 271
iurare, eſt Deum in teſtē aſſumere. 271
iurare per Deum Iudæis cōceſſum, per creaturam verò prohibitum. 272
iurare per creaturam idololatrare eſt, ideo prohibitū. ibidem
iurare per creaturam quomodo licet. ibidem
iurare cōtra Dei præceptum non licet. 278
iurandi conſuetudo & pronitas præſertim prohibetur. 277. quæ extinctu difficilis. ibidem
iurando

iurando per Deum, fatemur Deū nobis ſuperiorē. 271
iurando Deo per aliquid no ſtrum, illud Deo oppigne-ramus. 277
iurās doloſē, Deum falſi te-ſtem facit. ibidem
iuramētum, appellatur con-firmatio ſermonis. 271
iuramentum fieri debet in veritate, iudicio, & iuſtitia. ibidem
iuramētum eſſe debet in iu-dicio diſcretionis. 272
iuramētum quomodo Deus prohibuit. 272.277
iuramentum execratoriū eſt grauiſſimum. 277
iuramentum incautum vitā-dum. 278
iuramentū aſſertoriū, & pro miſſorium, recipiūtur. 277
iuramentum Ioſue factū Ga baonitis an fuerit licitum. 278
iuramenti comites quæ ſint. 271.272
iuramento non debet ineſſe vinculum iniquitatis. 272
iurare per dolum quis dica-tur. 511
iuſtitia cuncta Chriſtiani de Deo eſt. 56
iuſtitia & miſericordia ſi-mul erunt in fine ſeculi. 192. vtriuſque officium. ibidem
iuſtitia legali remota, quid ſunt regna, niſi latrocinia? 264
iuſtitia videtur nunc tantum picta coloribus, & non vi-ua moribus. ibidem
iuſtitia legalis mater omniū virtutum. 264. & eius pro-prietates. ibidem
iuſtitia requiritur in iuramē to. 271
iuſtitia non eſt propter ti-morem inopiæ deſerenda. 261
iuſtitia patris dictus eſt Chri ſtus. 491
iuſtitia ſine miſericordia, eſt crudelitas. 530
iuſtitia Dei in multis olim apparuit. 530. & eadem re-manet immutata. ibidem
iuſtitia fidei Chriſtiani nūc abſcondita eſt. 588
iuſtitiæ originalis effectus. 97. ex quibus error & do-lor prodeunt. 98
iuſtitiā Domini ſemper pœ-nitens refugit. 99
iuſtitiæ noſtræ quomodo va leant apud Dominum. 57
iuſtitiæ domini ad finē ſu-pernaturalem dirigunt ho-minem. 405
iuſtus per mortem tempora-lem dormit in Chriſto. 70
iuſtus gloriatur in tribula-tionibus. 373
iuſtus in paupertate animā ſaluat, iniuſti & corpus &

animam perdunt. 596
iuſtus tribulatione à Deo ꝓbatur, ſed non derelinquitur. 602
iuſtus tēporalia pauperi cōmodás, fœnus facit Domino. 605. ſed non ad lucra mundana. ibidem
iuſtus quomodo lætetur vin dictam peccatorum videns. 633
iuſtus tranſit ex hoc mundo tanquam ex hoſpitio ad vitam. 614
iuſti ſecuritas leoni comparatur. 255
iuſti vitam iſtam plerunque amaram ſentiunt. 175. & quare cum malis flagellantur. ibidem
iuſti in hoc ſeculo nō habēt hæreditatem. 597
iuſti vno tempore magis fluctuant impiorum procellis quàm alio. 614
iuſti peccatores tolerare debent vſque ad meſſem. 616
iuſtorum interdum non miſeretur De⁹ propter malos. 259
iuſtorū in fine felicitas. 598
quorū in hac vita varia eſt ſaturitas. ibidem
iuſtorum & iniuſtorum finis diuerſus. 612
iuſtos à malis in via ſuperari permittit: in morte tamē non deeſt. 616

L.

Lachrymæ vtiles quæ ex cōpunctione cordis naſcuntur. 73
lachrymarū vtilitates. 77
lætaniæ olim in multis conciliis ab Eccleſia decantādæ decretæ ſunt. 162. 163
lætitia primū quærenda eſt in interiore homine. 68
lapis præciſus de monte, omnem idololatriam diminuit. 287
latria ſeruitus Deo debitus. 244
latro cum Chriſto ad infernum deſcendit. 304
laudare Deū perfectè, quid ſit. 386
laudandi Deum vtilitas. 334
laudanda in nobis quæ ſunt. 355
laus perfecta non eſt, fugere vituperanda, niſi ſequamur laudanda. 8
laudes humanas etiā immeritas quilibet affectat. 181
Lectus Dauidis quis dicatur. 103
lectio ſacra quàm vtilis ſit Chriſtiano. 610
legalia abrogata ſunt in euerſione Hieruſalem. 290
legalia ceſſare debuerunt in aduentu Chriſti. 288. ſed non ſtatim. 289
leo in ſenecta hominem appetit. 189

leō & catulus leonis differūt 324
Leuitę morti Chriſti nō cōſenſerunt. 19. 20. quorum erant decimæ, ſicut primitiæ. ibidem
leuitarum, Sacerdotum', & ſummi Sacerdotis differentia. 19
leuitarum officia. 553
Lex noua per diem, vetus verò per noctem intelligi poteſt. 8
lex naturæ qualis ſit 68
lex vetus appellatur nox. 75
lex noua & libri noui virtute Trinitatis ſunt perfecti. 139
lex CHRISTI quomodo ſepties fuerit purgata. 223. 224
lex diuina argentum dici poteſt. 223. quæ expreſſa eſt à ceremoniis, à iudiciis, & dictis Prophetarū. ibidem
lex Salica apud Hebræos ſeruabatur quæ nunc apud Gallos. 248
lex vetus omnibus neruis vocabat CHRISTVM. 331
lex Domini perfecta eſt, & eius obſeruatio cum mercede deeſt. 388
lex naturæ ante decalogum obfuſcata erat. 388
lex idololatriæ & Synagogæ quoad animalia ſacrificanda per CHRISTVM ablata eſt. 288
lex vetus aliquando fuit ſancta, ideo non debuit ſtatim damnari. 289. 290
lex diuina an poſſit inuincibiliter ignorari. 396
lex æterna menſura eſt & directrix omnium aliarum. 404
lex naturalis quæ ſit. 404. quæ apud omnes immobilis eſt. 405.
lex diuina poſitiua eſt præter legem naturalem. 406
lex eſſe non poteſt quæ ſacerdotio careat. 421
lex non eſt cauſa peccati. 579
legis Dei perfectio. 402
legis obſeruatio in operatione nō in loquutione cognoſcitur. 411
legem perfectiorem Meſſias in ſuo aduentu dare, & ſeruari voluit. 135
legem Chriſti ſeruantibus vita æterna repromiſſa eſt. 257. quę non comminatione eſt tradita, ſicut vetus. 258
leges humanę plumbeę ſunt & flexiles. 405
leges plurimum valent quātum Deus eas eſſe valituras præſciuit. 191
Libanius ſophiſta quęſtor Iu

liani vidit in viſione mortẽ Domini ſui. 171
libri Gẽtilium in multis nos iuuare poſſũt. 217. ex quorum ignorantia multi circa ſcripturas ſacras errarunt. 218
liberum arbitrium non impedit dei præſcientia. 191
liberum arbitrium & diuina gratia ſeinuicem iuuãt. 583
liberales diſciplinæ multa vtilia continent. 218
liberatio ſæpius ex ſpe prouenit. 456
libertas Chriſtiana non carnis, ſed ſpiritus eſt. 21
linea Salomonis trãſlata eſt ad lineam Nathã poſt mortem Ochoſiæ. 248
lingua ſequitnr mentis arbitrium. 87
linguæ vnitæ ſunt per Spiritum Sanctum in die Pentecoſtes, quæ diuiſæ fuerant in turri Babel. 394
linguas omnium Gentium loqui & intelligere Spiritus Sanctus docuit apoſtolos. 394
literæ tres diuini nominis, tres in trinitate perſonas ſignificant. 132
literæ AEgyptiæ peruetuſtæ. 237
literæ ſacræ iuxta ætates hominibus reſpondent. 609
Locus peccatoris iſte mundus eſt. 615
loca multa prælegit Deus ad ſuum cultum. 285
locutiones, multę metaphoricæ Chriſto attribuuntur. 10
logícus & Metaphiſicus dat nobis rerum diffinitiones, & diuiſiones 218
loqui aliter nõ poſſũt quàm corporaliter qui in corpore ſunt. 97
loqui verum parum eſt, niſi in corde ita ſit. 265
loquaces putant per famam in æternum viuere. 216
loquaces creaturas laudare contendunt, at illarũ creatorem negligunt. 217
Lucerna corporis oculus, lucerna animæ eſt mens. 365
lucerna Euangelica quantum prodeſt Eccleſiæ. ibid.
lucifer à CHRISTO victus, in inferno religat⁹ eſt. 106
lucullus deę Fœlicitati templum conſtituit. 150
lumen vultus Dei in nobis duplex eſt. 68
lumen gratiæ additum lumini naturæ ampliorẽ reddit lucernam. 365
luna certas coniunctiones, oppoſitiones ac eclipſes habet. 391
luxuriatur qui præter decẽtem neceſſitatem Dei patrimo-

trimonium conſumit. 254

M

Macchabęi de tribu Leui fuerunt. 247. & an duces Iſrael fuerunt. 248
magnificentia Meſſiæ quanta ſit. 134. quę præcipue in quatuor conſiſtit. ibi, 135
maledictionis multiplex genus. 250
maledictionem diuinam incurrimus, ſi Dei medicina ægrotamus. 96
maledicus qui dicitur. 313
malefici ope dæmonum nouas rerum ſpecies producere poſſunt. 188
malitiæ perfectio quæ habet omnia requiſita. 127
mali, ſunt occaſio directionis bonorum. 121
mali & corporaliter & ſpiritualiter occidunt. 251
mali, ſunt in Eccleſia ſicut mali humores in corpore. 295
mali pro ſuis peccatis nõ ſolum puniuntur, ſed & ſua, & poſteritas tota deſtruitur 591
mali bonam famam ſtudioſorum ferre non poſſunt. 593
mali quo plus nocere intendunt, eò plus afficiuntur. 595
malis bonos ſæpe flagellat Deus. 591
malis vtitur Deus ad flagellum iuſtorum. 591. 597
malorum ſolatium eſt bonos carpere. 386
malos per iuſtos arguit Deus 242
malum pro malo reddere, iuſtitia hominibus videtur. 85
mala quę Adę peccatum cõſequuntur. 6. & ſibi & ſuis commutauit. ibidem
mala quæ nos hîc premunt ad Deum ire compellunt. 96
mala quæ nobis ex peccato primi parentis veniunt. 97
mala nobis ex primo parente Adam congenita. 601
Manaſſes captiuus ob pœnitiam regnum recepit. 102
mane cur exaudire dicitur Dominus. 75
mandatum diuinum etiã obligat ad opus exterius. 510
mandata Dei, iudicia appellantur. 408
mandatorum Dei obſeruatio eſt, vbi eſt Dei timor. 37
Manichæus errorẽ ſuũ circa electos ex Platone deſumpſit. 198
manichæorum error omne iuramentum damnat. 272
manſueti qui dicuntur. 530
manſueti, ſunt qui patienter

aduerſa tolerant. 592. inde ſuis diebus bona pace fruuntur. ibidem
manus opera noſtra ſignificant. 357
manus Dei, diuina potentia eſt. 439
manus in Sacris vtplurimũ opera deſignant. 552
mare Pamphylicũ olim ſub Alexandro diuiſum fertur. 318.
maris rubri diuiſio fuit miraculoſa. 318
Maria Virgo ex Nathan proceſſit. 151
maria Virgo an CHRISTI incarnationem meruerit. 54.
maria Virgo quomodo meruit portare Chriſtum. 230
maria Virgo illuminat Eccleſiam, ſicut Sol mundum 398
maria & angelis & hominibus venerãda, & cũctis fœminis præferenda. 434
martyres non dereliquit Dominus in tormentis. 607
martyrum patientiã ex perſecutione tyrannorum Dominus tentauit. 169
martyrium baptiſmi ſacramentum ſupplet. 562
mathematico ſufficiat effectus pendentes à rebus naturalibus prædicere 214
Matthias ſorte ad apoſtolatũ aſſumptus eſt. 197
matrimonij forma nondum præciſa eſt. 238
matrimonij effectus. 407
Mediator pro nobis ſubiectꝰ eſt, vt nos Patri ſubiectos eſſe faceret. 91
mediator mortuos viuificare potuit, quum in ſe vitam haberet. 503
Melchiſedech erat ſacerdos Dei altiſſimi. 421
medicinæ duo ſũt officia. 122
membra noſtra ſequẽtur caput noſtrũ Chriſtum, ſi ipſum imitentur. 303
mendaciũ quid ſit. 80. & cur peccatum ſit. ibidẽ. & quot genera eius ſunt. ibidem
mendacium operans infelicior eſt, quàm operans iniquitatem. 81
mendaciũ aliquando in geſtu, ſicuti in verbis eſt. 81
mendacium lites, detractiones, dolos ac fraudes quotidie parit. 82
mendacium quid ſit. 265
mendacium, Abrahę non eſt facile impingendum. 265
mendacium quoduis peccatum eſt. 266
mendacio nunquam vtendũ eſt ad ſalutem proximi vel ſuam. 266
mendicus quis dicatur. 480
mens oleo cæleſti perfuſa nitet. 501
mensa

menſa ſacramentum Euchariſtiæ deſignat. 500. per quam Chriſto incorporamur. ibidem
mentiri perfectis non conuenit. 80. quanuis liceat interdum verum tacere. ibidem. ſed non ſemper. ibidem.
mentiri, eſt loqui contra illud quod animo ſentimus. 265
Mercurius quidam ſanctus exurgens, fertur occidiſſe Iulianum. 171
meritum de condigno non habet peccator. 122
meritum ex gratia, & non gratia ex meritis. 526
meritum noſtrum fit ex gratia Dei prȩueniente, & bona voluntate ſubſequente. 575.
merita noſtra non præcedunt primam gratiam. 93
pro Meritorum qualitate diuina maieſtas ſe beatis communicat. 92
merita vniuſcuiuſque ſine confuſione diſcernere, eſt iudicia vera facere. 173
meritorum retributio reſtat quum hȩc vita trãſierit. 101
Meſſias eſt Patris ſapientia. 135
meſſias in Eccleſia ſua nil inſtituit niſi quæ Dei ſunt. 286
meſſias peccatores ad pœnitentiam conturbatione miraculorum inuitauit. 350
meſſias eſt gloria & facies populi Iſrael. 514. qui appellatur rex. 515
meſſiæ aduentus non ſaluat omnes. 225
meſſiæ officium ad ſimilitudinem argentarij. 223
meſſiam veniſſe ſatis monſtrat Prophetia Iacob. 245
Vide Suprà Chriſtus. Ieſus. Filius Dei. Infrà Redemptor. Saluator.
Milites huius temporis ſunt ſupra omnes leges. 313
militem delicatum non amat Chriſtus. 371
miniſtri Eccleſiæ quales ſint præficiendi. 263
mirabilia Dei perpendere quantæ ſit vtilitatis. 147 148
miraculum eſt ſignum omnem vim naturæ excedens 188.
miracula in incarnatione & natiuitate Chriſti. 62. 63
miracula vera nunquam fiũt à malis. 189
miracula ſunt ſigna cum quibus noſtra fides radicata eſt. ibidem
miracula vel ad confirmationem doctrinȩ, vel ad demõſtrationẽ ſanctitatis. ibi.
miracula apoſtolorũ doctri-

nā ſuā approbauerūt. 249
miracula in morte Chriſti euenerūt, ne quis poſtea dubitaret. 473
miraculorum triplex grad⁹. 188. 189.
miraculorum gratia adhuc eſt in Eccleſia. 424
miſeratio Dei occulta eſt. 101
miſerationes & miſericordię in quo differunt. 525
miſericordia Dei patet in electione Gentium. 32. quæ gratia & in meritis electæ ſunt. ibidem
miſericordia debetur miſeris. 98
miſericordia Chriſti in natiuitate, paſſione & reſurrectione magnificētiam eius adornauit. 135
miſericordia Chriſti multiplicata eſt in homines. 140 141
miſericordia Filij Dei in iuſtos. 159
miſericordia & iuſtitia ſunt duæ molæ, quibus mundi machina regitur. 192
miſericordia ſubſequitur ad iuſtitiam, ſed præcedit ad gratiam. 502. 503
miſericordiā fruſtra ſperat, qui iuſtitiam nō timet. 192
miſericordiam fecit Dominus quondam cum multis. 525
miſſa quotidie à catholicis ſacrificiū offert ſummè neceſſarium. 420
miſſa hebraicè, oblatio latinè. 421
miſſæ oblationem Spiritus Sanctus acceptauit. 421
Montanus tres quadrageſimas celebrabat quotannis, quaſi tres ſint paſſi Saluatores. 200
mons Oliueti inclytus vocatur. 191
montis Morię myſteria. 262
morbi, arte medicinæ noſcuntur. 15
mori in Chriſto, hominis fuit, ſed reſurgere Dei. 418
mors melius nō poterat vinci, quàm per Chriſti mortem. 43
mors ab Adam ad Chriſtum regnauit. 49
mors in ſacris nox appellatur. 298
mors non Chriſtū, ſed Chriſtus mortem in ſe occidit. 461
in morte cur nullus eſt Dei memor. 101
mortale peccatū lethalis eſt morbus animæ. 575
mores quintæ ætatis quàm fuerint enormes. 210
mores formantur ex conuictu. 363
motus ſubitus animi non eſt in noſtra poteſtate in pœnā

peccati.

peccati. 64
Moyſes terrã promiſſam ingredi non potuit, propter diffidẽtiam in petra Oreb. 90
moyſes per fidem Chriſtum incarnandum vidit. 508
Mulieres antiquitus de ſua ſubſtantia conſenſu mariti nutriebant doctores. 260 261.
mundos ſe eſſe prædicantes non ſunt de eccleſia. 533
munus quodcunque peruertens, ſemper à ſuperiore cauendum. 280
munus à manu, à lingua, ab obſequio. 557
munerum ſuſceptorũ quàm grauiter onerantur. 557
munera vitare debent iudices. 279
muſica laudabilis in eccleſia. 482
Myſteriũ magnum coniugij ſponſi Chriſti, & Eccleſiæ ſponſæ. 353.354
myſteria multa inſtitutionis baptiſmi. 494.495

N

Naara adoleſcentulam vel puellam ſignat. 462
Nabuchodonoſor Antichriſti præſignauit excidium. 186
nationes cunctæ accipiunt menſuras operum ſuorum: diei & noctis, æſtatis & hyemis. 395
natiuitatis Chriſti magnificentia. 135
natiuitas Chriſti quàm admirabilis. 462
natura legem agit in corde per conſcientiæ teſtimonium. 68
natura in Chriſto duplex. 282
natura duplex in Chriſto, & vtriuſque proprietates & potentiæ. 298.299
natura ſemper in homine amanda eſt. 541
natura in homine quandiu viuit ſemper amanda. 585. licet eius ſemper ſit deteſtandum vitium. ibidem
natura modico contenta eſt. 596
Neceſſitas peccandi oritur, dum conſuetudini non reſiſtitur. 79
Nechiloth interdum inſtrumentum, interdum hæreditates deſignat. 71
nemo eſt cum quo ſit operandum malum. 211
nemo ſolo ſermonis ſplendore alliciatur. 217
Nicæna ſynodus Arrianam damnauit hæreſim. 166
Niniue pœnitentia. 102
Nomen Dei quàm deſyderabile & admirabile ſit &

T.

fuerit olim. 131
nomen Dei bene nouit, qui lubéter illi vt domino ſeruit. 161
nominis Dei literæ quid ſignificent. 132
Nubes conducens filios Iſrael ex AEgypto duplex erat. 345.

O

Obedire Chriſto cunĉti tenebantur. 143
oblatio Deo placet ex mundicia mentis. 65
oblationes & ſacrificia ſignabant perfectum Chriſti ſacrificium futurũ. 288
obliuio Dei vnde oritur. 322
obſtinatus quare non emendatur. 378
Octaui numeri myſteria & rationes. 94. 95
oculũ Dei ira furórque turbare non poſſunt. 589
Odium conſummatũ, homicidium eſt. 65
odium æquũ eſt, quum odio habetur culpa & diligitur natura. 541
odio habétur à Domino qui perſeuerant in peccato. 79
Offerentis mẽtem Deus citius quàm oblationem attendit. 653
Oleum infirmorum ſanat animæ vulnera quę per ſenſus contraxit. 502
oliua, pacis indiciũ eſt. 501
Opera hominum quæ dicũtur. 314
opera quantum commendentur in ſacris. 357
opera noſtra non cõfundant ſermonem noſtrum. 377
opera cunĉta Domini, ſunt miſericordia & veritas. 532
opera noſtra in lumine & claritate erũt in finali iudicio. 588
opera bona ſemẽ iuſti ſunt. 605
operibus nemo fidit niſi ſimul adſit gratia. 38
oppugnamur maximè, ſi nos oppugnari neſcimus. 370
Orat ſemper qui ſemper agit bona. 308
orare oportet in ſpiritu & veritate. 452
oratio pro Dauid profugo fiebat quotidie ab eccleſia. 47
orationis puræ efficacia. ibidem.
oratio pura Danielem, Suſannam, & tres pueros de fornace ſaluauit. ibidem
oratio debet eſſe ſimul & mẽtalis & vocalis. 72. 73
oratio perfecta quæ ſit. 74
oratio & deprecatio differunt. 106
oratio prærequirit fidem o-

rantis. 255
oratio eſt eleuatio mentis in Deum. 309.520
oratio Chriſti ſemper fuit exaudita. 309
in Oratione oportet totum diuino arbitrio committere. 310
oratio eſt ſcutum noſtræ defenſionis. 338. cuius magna virtus eſt. ibidem
oratio continua triplicẽ expugnat hoſtem. 375
oratio Iudæorũ poſt Chriſti mortem non fuit exaudita. 378
oratio deuota in templo fuſa quãtus ſit murus patriæ. 420
oratio humilis Deum flectit iratum. 539
oratio vocalis ſed ea attentè dicta exauditur frequẽter. 574
orationis naturalis & deliberatæ differentia. 481
oratione humiliata manſueſcit Deus. 415
orationes & preces non tollunt nec impediũt Dei præſcientiam. 191
ordinis effectus. 407
ordinem Pſalmorum Eſdras fertur tradidiſſe Hebræis. 5
organorum ſpecies quibus Dauid Pſalmos decantabat. 331
Origenes fons eſt Arrij, dũ malè de Filio ſentit. 198
originale per baptiſma purgatum eſt, cuius tamen remanẽt in nobis paſſiones. 304
originale peccatum dicitur delicta. 527
originalis nil aliud refert niſi carentiam iuſtitiæ originalis. 337
Oſſa Chriſti ſunt apoſtoli. 468

P

Palladium ſimulachrũ Troianorum nõ potuit Troiã cuſtodire. 153
palmæ arboris natura. 443
parabolæ ſeminis & zizaniorum interpretatio. 173
paruulus cum originali diſcedẽs cur damnatur. 527. & quis ſtatus poſt reſurrectionem futurus. 528
panis in altari eſt ante conſecrationẽ, de quo per verba fit caro Chriſti. 489
paſſio Chriſti magna ſpe fidem noſtram fulcit. 47
paſſio Chriſti exhibita plus impetrat quàm olim præuiſa. 74
paſſio Chriſti præuiſa gratiam hominibus contulit, exhibita vero ianuam cæli aperuit. 228

paſſionis tempore omnes vires in Chriſto ſuæ naturæ relictæ ſunt. 450
paſſio Chriſti prænuntiata fuerat. 454.455.456
paſſiones cur Deo attribuuntur. 97
paſſiones Deo non ſunt tribuendæ. 24
Pater non propterea filiū nō diligit, ſi virgis eum cædit. 96
Pater & Spiritus Sanctus pariter cum Filio operantur. 228.229.
Patris & Filij & Spiritus Sācti vna natura, vna poteſtas, vna gloria. 329
patres antiqui non petebāt vt Chriſtus incarnaretur, quod certum habebant. 230
patres olim filios ſuos immolabant dæmoniis. 220
patres antiqui meruerūt accelerationē incarnationis. 54.230
patres Iudæorum ad Deum clamantes exauditi ſunt. 457
patientia Dei abuti quàm ſit timendum. 91
patientia Dei quāta ſit erga peccatores. 123.124
patientiæ merces expectanda eſt patienter. 147
patientia Chriſti erga inimicos. 113
patientia iuſtorū quam mercedem expectat. 175
patientia nobile vincēdi genus. 385
patientiæ tres ſunt gradus. 113
Paulus quare circuncidit Titum. 290
paulus forte ſaluatus non eſſet, niſi Stephanus oraſſet. 294
paulus nō peccauit ſeipſum purificādo & Timotheum circuncidendo. 289.290
Pauli conuerſio, ſcripturæ ſacræ medicinam illi tribuit. 609.610.
pauper ſpiritu eſt humilis corde. 160
pauper Dei quis ſit. 160
pauper is dicitur qui ſuo labore ſibi victum parit. 219
pauper eſt non qui parū habet, ſed qui plus cupit. 324
pauperes ſpiritu ſoli Eucharistia ſaturantur. 485. qui poſſident quod nunquam perdunt. ibidem
paupertas ſpiritus principiū eſt beatitudinis. 160
paupertas iuſti melior eſt quam diuitiæ prauorum. 595
paupertatem quare Chriſt^a^ inſtituit. 260
paupertates

paupertates duas Chriſtus inſtituit. 260
paupertas vera quæ ſit. 480
pax quærenda eſt vt bella fugiamus. 376
Peccare per inſenſibilitatem periculoſius eſt quàm per intemperantiam. 115
peccans prius in ſe quàm in alium peccat. 128
peccamus quotidie, quid mirũ ſi quotidie patimur? 175
peccat nouo peccato qui miniſtrat ſacramentũ in peccato. 263
peccamus duabus ex cauſis. 526
peccator dum Deum lucem deſerit, ſeipſum perdit. 183
peccatorem inueteratũ diffi cile eſt à via ſua mala dimouere. 183
peccator ſibi impius & crudelis eſt. 207
peccator callidè annotat vias iuſti. 611
peccator non putet ſe euaſiſſe ſi bonitas Dei patitur diu peccantem. 193
peccator patientia diuina ſæpe abutitur. 593
peccatores non diuina, ſed ſua iuſtè malitia puniuntur. 129
peccatores qui nolũt ad Deũ conuerti, neceſſe eſt ad infernum deſcendant. 174
peccatorum recordatio, cuſtodia eſt virtutum. 107
peccatores neq; amore neque formidine pœnæ, Dei præcepta ſeruant. 184
peccatum mors dicitur. 80. propter multa. ibidem
peccatum quodcũque cæcitas eſt menti. 207
peccatũ tribus gradibus ſubrepit. 7
peccatum inchoatur in cogitatione, manifeſtatur in loquutione, perficitur in pere. 64
peccatum quod non ſtatim per pœnitẽtiã diluitur, mox ad aliud grauius trahit. 79
peccatũ eſt nox, quo recedẽte fit mane in quo videtur Deus. 77
peccatum ſemper ſui pœna & abominatio eſt. 379
peccatum originale quomodo contrahitur à paruulo. 337
peccatum originale eſt cauſa & initium omnis tribulationis. 562
peccatum Deus remittit claue authoritatis & excellentiæ, ſacerdos claue miniſterij. 496
peccatũ infinitè demeritorium eſt. 532
peccatũ originale per orationem, aut benedictionẽ

purgabatur. 239
peccati onera grauia ſunt. 252
peccato carere difficile eſt. 533
peccata cumulata repellunt à Deo. 90, quorum quantitas menſura repudij eſt. ibidem
peccata peccatis addere, quàm horrendum & tremẽdum eſt. 91.
peccata quãuis grauia quũ in cõſuetudinẽ venerint, parua aut nulla putantur. 79
peccata peccatis addere horrendum eſt. 120
peccata tanto grauiora ſunt, quanto diutius tolerantur. 124
peccata in veteri lege dicebantur ſacrificia pro peccatis. 221
peccata impediunt ne ad Deum tranſire poſſimus. 366
peccata vindictam in cælum clamantia. 373
peccata appellabantur in lege, quæ pro peccatis offerebantur. 451
peccata ſcienter commiſſa maiori egent pœnitentia. 526
peccatis aſſueti ſæpius à Deo deſeruntur vt nec mala ſua cognoſcant. 182
pecora carnales deſignant, ſed aliquando oues fiunt. 145
peregrinationes ad quaſdam imagines vel quædam loca interdum ſanctè fiunt. 285
perfecti ſoli non ſunt in Eccleſia. 136. ſed reprobi illi miſcentur. 139
perfecti in Eccleſia caueant ſibi à periculis. 551
perſecutio Dauidis à filio quaſi ſomnus eius fuit. 48
perſecutio Eccleſiæ triplex. 147. ſed tandem quarta erit Antichriſti. ibidem
perſecutio prima Eccleſiæ fuit violenta. 187. ſecunda fraudulenta. ibidem. & 188. ſed tertia, & violenta, & fraudulenta erit. 188
perſequens alium iniuſtè, eo interitu moritur quo putat alium occidere. 172
perſecutores non timet vir fidelis. 563
perſona vna potuit ſine altera incarnari. 46
perſonæ diuinæ quomodo differunt. 29
pertinacia porta eſt ad hæreſim latiſſima. 199
perturbationes animi frangi poſſunt, ſed non eradicari,

cari 413
Petrus trinam negationem trina confeſſione deleuit. 102
petrus iuſtè à Paulo reprehenſus:290. qui non peccabat tunc iudaizando cum Iudæis. ibidem
petro locus cathedræ primũ conſtitutus eſt Antiochiæ. 10.
Pharaonem quomodo Deus obdurauit. 578
phariſæi à Simeone ortũ duxerunt. 20.471
Philoſophia ſacra in quo differt à cæteris ſcientiis humanis. 224
philoſophia diuina quanta ſit digna laude. 409.410
philoſophi impoſſibile credunt, quod probare nequeunt. 199
philoſophi patriarchæ hæreticorum. 198
philoſophorum multę vanitates. 212
philoſophorum egregia dicta eruere debemus ad vſum noſtrum. 218
philoſophorum carpitur ſacrilegium. 236
phyſicus dat nobis rerũ proprietates. 218
Pietas eſt ad parentes & patriam. 13
piſces maris, curioſos deſignant. 145
Plato poetas in ſua ciuitate eſſe noluit. 77
plato à ſua Republica poetas abigit. 199.213
plato in ſua peregrinatione nec Hieremiam audiuit, nec Scripturas.70. interpretum vidit. 237
plato quid ſenſerit de Deo. 236.237.
Plato vnde diuinus dictus eſt. 227
Pœna temporalis interdum diffinitur à Deo in peccatores. 90
pœna quanta impiis qui ſe nolunt conuertere. 99
pœna tẽporalis decreta, patienter ferenda eſt. 120
pœna quorundam hîc incipit, & in futuro cum illis permanet. 146
pœna hominibus inflicta à Deo vel ad vocationem, conuerſionem, purgationem, & huiuſmodi, occulta eſt. 146.147
pœnæ damnatorum variæ. 441.
pœnæ poſt iudicium per accidens augebuntur. ibidem
pœnas temporales inimicis Euangelij deſyderare non eſt contra charitatem. 164
pœnis æternis torquebitur,

quem patientiæ longanimitas non emendabit. 193
pœnæ damnatorũ iuxta delicta augentur, vel minuuntur. 441
pœnitentia Dauid rationis fuit & intentionis. 101
pœnitentia felix quæ ad ſe Dei traxit oculos. 102
pœnitentia Achab & Manaſſæ. 102
pœnitentia ad finem dilata quàm ſit periculoſa. 124
pœnitentiæ effectus. 407
pœnitentiæ ſacramentum ex Ioannis probatur Euangelio. 496
pœnitentiæ virtus & efficacia. 495.496
per pœnitentiam fit propitiatio peccatorum. 101
pœnitentiam differre quàm periculoſum ſit. 78.79
pœnitẽtium eſt à lachrymis incipere, & finire in lætitia 107.
Poëtarum vanitates in deorũ attributiones. 212
poetica eloquentia induxit idololatriam. 217
populus indiſciplinatus oſtẽdit ſacerdotium non eſſe ſanum. 263
porcos Geraſenorum cur interfecit Chriſtus. 350
portæ inferi ſunt peccata, hæreſes, & minæ. 508
poteſtas Chriſti in omnia. 144
poteſtas nocendi hominibus non eſt omnino cacodæmoni ablata. 224
poteſtas ligandi & ſoluendi data eſt ſacerdotibus, & iure pari. 496
poteſtatem excellentiæ & iuriſdictionis exercuit Chriſtus. 143
Præcepta omnia à lege naturæ deriuantur. 405
præcepta dicũtur naturalia, quę à naturali lumine deriuantur. 405
præcepta quædam à Chriſtiana religione proficiſcuntur 406
præcepta Dei duo præcipua 357
prædeſtinauit Deus ab æterno quoſcunque vidit congregandos ad ſe. 284
prædeſtinatio noſtra non eſt in nobis. ibidem
prædeſtinationis nulla eſt cauſa. 283
prædicatio eadem iuſtos & iniuſtos irrigat. 207
prædicatio Chriſtiana non indiget pompa & cultu. 215
prædicatio Chriſti odor eſt. 348. quæ eſt facta in virtute ſignorum. 349
præmia bonis factis, & ſupplicia peccatis conſtituta

ſunt

ſunt. 191
præſcientia Dei eſt in omnibus rebus. ibidem
præſcientia Dei non tollit liberum arbitrium ibidem
Prima Sabbati, dies dominica dicitur. 504. 505. quam præuidit Dauid reſurrectione Chriſti inſigniendam. ibidem
princeps audiens verba mēdacij, eſt cauſa in ſeruis mēdacij. 268
principis periculoſa eſt cum auaris & ambitioſis familiaritas. 558
Promiſſum aliquando debitum eſt. 66
promiſſorium iuramentum quid. 277
prophetia Iacob īpleta fuit xxxi anno Herodis. 245
prophetia non ſpiritu humano, ſed ſancto allata eſt. 243
prophetiæ in Chriſti aduentu patefactæ ſunt. 351
prophetiæ ſuper Chriſti paſſione & morte. 454. 455. 456
prophetæ omnes ſerui fuerunt Meſſiæ. 23
prophetæ ab humanis operationibus diuina declarāt. 97
Prophetæ Spiritu Sancto inſpirante loquuti ſunt. 66
prophetæ futura velut præſentia intuentur. 429
prouidētia diuina quo ad actum videndi, præſeruandi & puniendi. 205
prouidentiæ diuinæ omnia ſubiiciuntur. 404. ſed imprimis rationalis creatura. ibidem.
proximus quis dicitur. 66
proximi ſunt nobis omnes homines. 267
Prudentes huius mundi cōfundūtur in probatione fidei. 373. 374
Pſalmus primus caret titulo, ideo eius author ignoratur niſi fuerit Eſdras. 5. 6. vel eſt præfatio aliorum. ibidē.
pſalmi eorum dicuntur eſſe authorum qui ponuntur in titulis. 5
pſalmis ſingulis ſeptuaginta interpretes dicuntur præfixiſſe numerum. 5
Publicani pœnitentia præfertur Phariſæi iactantiæ. 102
publicani humilitas ipſum iuſtificauit. 363. 364
pugna continua eſt quandiu viuimus, & incerta victoria. 375
pugna ardua eſt in qua dæmon perdit quod antea poſſedit. 158
punitio malorum futura eſt. 147

Pythagoras cognouit Deum 236

Q

Quadrageſima vnica eſt ſecundum traditionem Apoſtolorum. 200
quatuor iudicia Hebræorū. 247
quietis munus meretur, qui hoc fieri Domini iuuamine confidit. 71

R

Radix omniū malorum eſt male ſentire de Deo. 236
Recti qui dicuntur. 543
recti corde qui ſunt. 202
redemptio mundi tempore opportuno venit, diutius expectata. 227.228
redēptor interdū dicitur Pater & Spiritus Sanctus. 218
Redemptoris noſtri magna charitas. 450 . Vide Supra Chriſtus. Ieſus. Meſſias. Filius Dei infrà, Saluator.
regnum Dei qui prohibentur ingredi. 69
regnum Chriſti dicitur omnis creatura & Eccleſia 293
regnū Iuda quomodo conſequutus ſit Herodes. 245
regnum diaboli mors erat, quod Chriſti paſſione deletum eſt. 336
regimē diuinū eſt provt cuiuſque poſcunt merita. 361
religio apud antiquos cœpit adueniēte CHRISTO dici Chriſtiana. 292
reliquiæ ſanctorū aliquando vnum locum magis quàm alium Dei cultui deditum reddunt. 285
reliquiæ impiorum ſunt filij & proles. 616
reliquiæ hominis pacifici ſunt opera eius. 615
remedium perutile quo peccata vitemus. 298
remedium contra tentationes & peccata. 376
remiſſio peccatorū fuit ante Euangeliū in nomine Chriſti venturi. 604. nunc verò in nomine Chriſti paſſi. ibi
reproborum tormenta poſt iudicium. 440
reprobationis ſententia vix euitari poteſt. 90
reſpublica, niſi magna iuſtitia ſtare non poteſt. 264
reſurget corpus ſecundum Chriſtianam fidem. 301
reſurrectio CHRISTI gaudium & gloria fuit fidelibus. 116
reſurrectio corporum docetur ex Sacris. 581.582
reſurrectionem ſuam tribus de cauſis Chriſtus expetit. 431
rex gloriæ maior eſt titulus

quàm

quàm rex vniuerſi. 515
regi Iſrael duo neceſſaria erant. 59
regem ſanctum eſſe oportet. 62
reges terræ dicti ſunt Herodes & Pilatus. 18
reges ſuã poteſtatem à Chriſto accipiunt. 36. & tanquã Chriſti miniſtri honorantur. ibidem
reges quanto maiores tanto magis debent humiliari. 36
reges quanta ſapientia cæteros præcedere debent. ibidem
regibus emendatis, populus facile ſequitur quæ ſũt optima. ibidem
Romani ſimulachra hominum pro diis colebant. 240 ſed pri9 abſque ſimulachro. ibidem
Romani dicũtur canes. 471
Ruffinus aliquantum ſuſpectus, quia quędam Origenis opera Latina fecerat. 168
Ruth Moabitis ex Moab proceſſit. 151. Ex qua proceſſit Dauid. ibidem

S.

Sacerdos ſummus, cæteri ſacerdotes & Leuitæ naſcebãtur ante tempora Chriſti, & non fiebant, poſtea facti. 20
ſacerdos Eccleſiæ præficiẽdus. 262. 263
ſacerdos tanquam miniſter virtute clauium culpam relaxat. 424
ſacerdos in die Paraſceues ſumit tantum hoſtiam conſecratam. 485
ſacerdos Euangelicus claue miniſterij ligat & ſoluit. 496. atque peccatum remittit. ibidem
ſacerdos Euãgelicus qualis eſſe debeat. 509
ſacerdotes quales eſſe debẽt. 261
ſacerdotes ſummi, ſeniores populi, ſcribæ & Phariſæi, morte Chriſti conſenſerũt. 20
ſacerdotes AEgyptij aſtrologiæ vacantes, nunquã mulieribus ſe miſcebant. 393
ſacerdotes quoties conſecrant tenẽtur ſoli ſub vtraque ſpecie ex præcepto diuino ſumere. 485
ſacerdotium, ſi corruptum fuerit, omnium fides & virtus marcida eſt. 263
ſacerdotium noſtrum ex cõſecrandi & ligandi & ſoluẽdi poteſtate cõſiſtit. 424
ſacramẽtum matrimonij eſt indiſſolubile. 239
ſacramẽtum corporis & ſanguinis CHRISTI vota

dicitur. 482
ſacramenta Eccleſiæ fluxerunt ex latere Chriſti dormientis. 74
ſacrificium abſque ſacerdotio eſſe non poteſt. 421
ſacramenta nouæ legis maiorem conferunt gratiā quàm veteris. 406
ſacramēta per quæ fœcundatur Eccleſia, fluxerunt de latere Chriſti. 353
ſacramenta veteris legis efficiebāt quod ſignabant, ſicut & nouæ. 406
ſacramenta profluxerunt ex latere CHRISTI. 483. quibus formatur Eccleſia ibidem
ſacramentorū remedia Deus inſtituit contra originalis & actualis peccati vulnera. 98.
ſacramentorum gratia quomodo & quando facta ſit. 503.504.
ſacra Scriptura vitam noſtram duobus modis inſtituit. 606
ſacrificare ſeipſum Deo quomodo oporteat. 65
ſacrificiū iuſtitiæ quo pacto ſit Deo offerendum. 66
ſacrificium per miſſam quotidie oblatū, eſt nobis ſummè neceſſarium. 420
ſacrificij Abel & Cain differentia. 65
ſacrificia veteris legis cur ad uentu Chriſti ſublata ſunt. 288
ſacrificiorum alia tota cōburebātur, alia in parte. 420
ſagittæ CHRISTI fuerunt Apoſtoli & Euangeliſtæ. 348
ſal in omni ſacrificio præcipiebatur apponi. 499
ſalathiel nominatus eſt Ner. 246
ſalomon ædificauit tēplū Domino non Dauid. 261
ſalomon ex Naaman Ammonitide genuit Roboam, ex quo proceſſit Ioſeph. 151
ſaluator tam potētem aduerſarium dum occideretur occidit. 49
ſaluatoris præcipue Filio attribuitur nomen. 134
ſaluari nō poſſumus viribus noſtris, niſi Dei miſericordia conſeruemur. 225
ſalus non eſt extra Eccleſiæ vnitatem. 586
ſalus hominum vana eſt quæ non eſt dextra. 426
ſalus regis, eſt ſalus populi. 429. Chriſtus pontificale vel regium nomen eſt. 430
ſalus diuina Meſſiæ conferenda fuit. 431
ſalutare ſuū dicit Pater, Ver-

bũ quod caro factũ eſt. 121
Sãſon in figura Chriſti plures moriens quàm viuus occidit. 49
ſanctitas deficit ſi in hominibus deficit veritas. 211
ſanctus quomodo delectatur in pœnis. 114
ſanctus dicitur qui eſt in iuſtitia & veritate bene ordinatus. 211
ſanctus in Eccleſia ab impiis vita & moribus ſeparatur. 551
ſancti viri dæmones vincentes illorum minuunt exercitum. 106
ſancti honorandi & orandi ſunt tanquam noſtri erga Deum adiutores. 162.163
ſanctorum ſolennitates ante Hieronymi & Auguſtini tẽpora inſtitutæ erant. 162
ſanctorum nomina etiam in veteri lege orationibus patrum miſcebantur. 163. in quibus exauditi ſunt. ibidẽ
ſanctorum mos non eſt maledicere. 214
ſapientia diuina quid ſit. 10
ſapientes & eloquentes differunt. 7
Sarraceni vnum verum Deũ colunt. 150
Sathanas in aduentu Antichriſti ſoluetur. 149
ſatisfactio pœnitentis diuino tantum penſatur iudicio. 101
Saul iuſſu Dei à Samuele vnct⁹, & à populo accept⁹. 59
ſaul vir ſanguinum dicitur, quòd Achimelech & cæteros ſacerdotes in Nobe occidit. 81, qui etiam doloſus dicitur. ibidem
ſaul vocatur AEthiops. 109. quòd non potuerit mutare nigredinẽ quam conceperat aduerſus Dauid. ibidem
ſaul & eius familiares falſa Dauidi impingebant. 111
ſaul in Nobe totam generationem ſacerdotalem interemit. 109.110
ſaul in fine pœnitet malorũ quę fecerat Dauidi. 112. qui in ei⁹ manib⁹ bis incidit. 113
ſaul occidit ſeipſum vulneratus à ſagittariis. 124
ſaul quæſiuit Dauidis necem per Philiſtæos, à quibus ipſe occiſus eſt. 128
ſaulis & ſuorum conſilia in Dauidem plena fuerunt fallaciis. 89
ſaulem cur Dominus permiſerit regnare. 59
Sceptrum Iudæ ſemper reſidebat in Zanedrim. 247
ſceptrum de Iuda quomodo ablatum ſit. 245.247
ſcelerati non ſe immiſceant ſermonibus diuinis. 415

Sceuola tria deorum genera diſputabat. 232
ſcribæ & Phariſæi de tribu Simeonis erant. 471
ſcientia ſalutis, ſola vera ſciẽtia eſt. 537
ſcientiæ ſeculares quomodo tractandæ ſint. 222.223
ſcientiæ ſeculares nullã ſaturitatem tribuunt. 222
ſcriptura ſacra paruulis cõgruẽs, nullius generis rerũ verba vitauit. 24
ſcriptura ſacra non eſt cum faſtu legenda. 199
ſcriptura ſacra interdum potius ob commodum terrenum quàm cæleſte. 224
ſcriptura ſacra interdum allegatur in ſẽſu myſtico. 388
ſcriptura ſacra potius ruſticè quàm elegãter legenda eſt. 402
ſcriptura ſacra dicitur menſa. 499
ſcriptura ſacra multis medicamen tribuit. 609.610
ſcripturæ ſacræ expoſitionẽ ab hæreticis recipere non debemus. 200
ſcripturam canonicam ſolã Eccleſia recipit. 8. quę multa continet laudabilia. ibi. quę etiam multis ſignis cõfirmata eſt. ibidem
ſcripturæ ſacræ per hominẽ diſcendæ ſunt. 85. quas qui male intelligit, in via Dei corruit. 86
ſculptile abſolute fieri, Dominus non prohibuit. 241
ſcripturæ ſacræ aliquando apertæ, aliquando obſcuræ. 524
Seculum præſens dicitur ſeptimum, futurũ verò octauum. 95
ſeculum, eſt quod præſens voluitur, ſed ſeculum ſeculi, eſt æternum. 154
ſeculum iſtud ſimilitudo eſt hyemis. 585
Semei de domo Saul Dauid ridebat. 42
ſemen Iſrael dicuntur & Iudæi & Gentiles fideles. 480
ſemen iuſtorum multiplex. 605.606
ſemitæ Domini ſunt conſilia à perfectis obſeruata. 522. vel legis intelligentiæ paucis notæ. 523. vel particularia mandata. 524
ſententia Dei conſummata in aliquem locum, vix poteſt oratione impediri. 359
ſentire male de Deo radix eſt omnium malorum. 236
ſeptem diaconi non ſorte, ſed electione ordinati ſunt. 295
ſeptem ſacramenta præcepta ſunt

pta ſunt legis diuinæ poſitiuæ. 407
ſeptuaginta interpretes laude digni. 351
in Sepulchro Chriſti nullus antè nec poſt ſepultus eſt, ita nec in virginis vtero. 303
ſermones minorem habent fidem quàm opera. 311
ſermonis ſplendor, orationiſque cultus maxime delectant, ſed minime reficiunt. 217
ſerpẽs hominem nudum fugit. 480
ſeruus Dei neceſſario omnia Dei iudicio obſeruat. 411
ſermo bono operi conformis maximè ædificat. 311.
ſeruire in ſacris ſcripturis vt plurimum colere eſt. 37
ſeruus honorat dominũ non eadem tamen charitate qua filius. 333
Signa & prodigia in quo differunt. 9
Simon Magus typum geſſit Antichriſti. 186
ſimon Magus pluries quum Apoſtolis congreſſus eſt. 185
ſimon Magus Samaritanus, Gittho natus. 186. Romæ ſimulachri honore donat⁹. Ibid. Naritiæ tandem mortuus eſt. ibidem
ſimon Magus primus hæreticus fuit. 202
ſiniſtra Domini, opus iuſtitię dici poteſt. 320
Sion Hieruſalem, ciuitas Dauid, & domus Iacob aliquãdo myſticè ſumuntur. 26
ſion Eccleſiam deſignat. 26
ſion apud Hebræos putabatur eſſe Dei domiciliũ. 419
Societas iuſtorum ſemper quærenda. 362
Socrates iuſſit poeſim expellere à ciuitate. 213
Sodoma & Gomorrha iram Dei placaſſent, ſi voluiſſent agere pœnitentiam. 496
ſol per ſuam præſentiam diẽ cauſat & lucem, per abſentiam verò noctem & tenebras. 75
ſol iuſtitię nobis oritur, quãdo vultu Dei confirmamur. 224
ſol quatuor anni tempora diſtinguit. 391
ſol medius eſt inter ſeptem planetas. 396. 397. Eius ortus & occaſus. 397
ſol aſſimilatur forti viro. 398
ſolis motus duplex. 399
ſomnus interdum magnam triſtitiam ſignat. 48
ſors conſultoria & ſors diuiſoria. 295

ſorte olim eligebantur ſummi ſacerdotes. 295
Spes adiuuat infirmitatem noſtræ operationis. 66
ſpes in Deo lętitiam cordis generat. 235
ſpes mundi falſa eſt. 240
ſpes quomodo in Chriſto fuit. 282
ſpes ſemper ſequetur fidem. 367
ſpes ſæpe liberat clamantes. 456.457
ſpes fidem adiuuat. 586
ſpei fiducia conſolatur nos Scriptura. 488
ſpem in Domino quomodo Chriſtus habuit. 439
ſpem noſtram in Deum debemus ponere. 234
ſpiritus hominis interdum dicitur anima, interdum mens. 300
ſpiritus hominis qualis futurus in cælo. 302.303
Spiritus Sanctus à patre & Filio procedens, coæqualis & coæternus eſt. 28
ſpiritus Sanctus quantũ ſcripturarũ intelligentiis prouideat. 524
ſpiritus Sancti miſſi effect⁹. 401
ſponſus Eccleſiæ qualis primò fuerit. 26. & quàm optimè Eccleſiæ prouideat. 27
Stare in Eccleſia eſt perſeuerare. 509
ſtella Magos ad Chriſtũ ducens fuit mirabilis. 63
ſtultitia magnæ fortunæ ſolet eſſe comes. 36
Subſtantiæ diuinæ vnitas. 28
ſuperbiæ plurimi effectus. 414
ſuperbia etiam humilitatem laudat. 363
ſuperbia naſcenti mũdo initium peccati fuit. 203
ſuperbia dicitur peccatũ maximum. 414. ſed & caput & cauſa omnium delictorum. 414
ſuperbia deiecit Luciferũ à cælo in terram. 459
ſuperſtitiones multas Gentium delegit Chriſtus. 287
ſupplicium temporale fuit Pharaoni æterni initium. 146

T.

Tabernaculũ tempore Moyſi & Dauidis figurabat Eccleſiam militantem. 262. & triumphantem. ibidem
tabulæ legis datę Moyſi. 357 in quibus tria præcepta in vna, & ſeptem in altera. ibidem
Templum Domini tertium in Hieruſalẽ non eſt reędificandum. 23.24

templum

templum ſanctum quare olim dicebatur. 419
templũ Domini, mons Domini dicitur. 509
templa multo ſumptu nunc laudabiliter ædificantur. 554. 555. quod pium cultũ teſtatur fideliũ. ibidem. & eorum interiorem ornatũ. ibidem
tempus, æuum, & æternitas in quo differunt. 30
tempus gratię, tẽpus eſt plenitudinis. 227
tempus malum, diem iudicij ſignat. 598
tentationẽ licitè appetit vir ſanctus. 548. licet ſit ad malum inductiua. ibidem
tentationes non ſtatim reiiciens, tandem cõfuſionem ſuſtinet. 64
tentationes quomodo vincendæ. 370. 371
tentat Deus vt erudiat. 547. diabolus vt ſeducat, homo vt diſcat. ibidem
tentari, & Induci in tentationem differunt. 54. 548
tepidus quis dici debeat. 408
terra viuentium, cælũ: mortuorum, infernus: viuentiũ & morientium, hic mundus. 131
terra ante Adæ peccatum nihil noxium protulit. 142
terra in corpus æthereũ conuerti poteſt. 302
terra promiſſionis non erat populi, ſed Dei. 259. vt populus tantum illius vſum haberet. ibidem 260.
terra recipit influẽtias à motu planetarum & ſtellarũ. 389
terra viuentium, cæleſtis regio eſt. 581. ſicut terra morientium, terreſtris. 582
terra promiſſionis figuratiuè pro cælo capitur. 535. 536
terręmotus factus in Sina in datione legis, figura fuit illius qui in paſſione fuit in conſummatione legis. 340
terreni, animæ vitam negligunt. 69
teſtamentum nouum nil aliud eſt quàm manifeſtatio veteris. 393
teſtamentum vetus nil aliud eſt quàm occultatio noui. 393
teſtamentum vetus, noſtrum nouum repromittebat. 8. 9
teſtes flagitioſi in eo quod contra alios mentiuntur, ſibi mentiuntur. 581
Theologia extrinſecꝰ agreſtis, intrinſecꝰ diuina. 402. quæ plus habet in receſſu quàm in fronte promittat. ibidem.

V.

theologiæ proprium. 410
Timor noſter ad Deum ſeruilis eſſe nō debet. 37. qui nō ad miſeriam, ſed ad gaudium ducit. ibidem
timor Domini non excludit lætitiam animi. 38
timor ſanctus adhuc proficientibus magno eſt adiumento. 84
timor præterea alius filialis, alius caſtus. 408
timor primus in orbe Deos fecit. 447
timor humanus diffidētiam tribuit. 536. qui partim de peccatis oritur. 537
timore Dei ſubſtracto per deuia quæque vagamur. 252
timore naturali Chriſtus timuit mori. 465
timores ſunt tres in domo patriſfamilias. 407.408
timet Deum homo carnalis propter multa. 575.576
timere nemo debet in defendenda Domini cauſa. 564
timendum nihil eſt præter Deum. 567
Timotheus de matre Iudæa, & de patre Gentili ortus. 290
tiriaca pellit venenū, quanuis ex veneno in parte cōponatur. 537
titulus Pſalmo præfigitur velut clauis. 5. & ingreſſuris clauis officio fungitur. ibidem.
Traditiones multæ Apoſtolorum adhuc ſeruātur, quæ ſcriptis non ſunt mandatæ. 121
trāſitus de vita veteri ad vitam nouam quomodo fiat. 66
tribulatio maximè dilatat eccleſiam Chriſti. 57. quæ eſt præparatio ad coronam æternam. ibidem
tribulatio nos ad Deum confugere docet. 255
tribulatio nō ſolum nox eſt, ſed ignis. 312
tribulatio medicamentū eſt ad ſalutem. 452
tribulatio à Deo non eſt reprobatio, ſed virtutis approbatio. 521
tribulatio pœna peccati eſt. 540
trinitas in baptiſmate Chriſti innotuit. 29
trinitas loquebatur per humanitatem Filij. 139
trinitas, vnus, ſolus, & verus Deus. 27. cuius tres ſunt perſonæ eiuſdem ſubſtantiæ. ibidem. 28.29
trinitas non fruſtra figuratur. 240
trinitatis & fontis analogia.

-29. & multarum aliarum rerum. ibidem
triuitatis myſterium in tranſfiguratione Chriſti, ſicut in eius baptiſmo oſtenditur. 348
trinitatis opera ad extra ſunt indiuiſa. 348
triumphorum olim genera duo. 425
tropi & figuræ neceſſarij ſũt ad ſacræ ſcripturæ intelligentiam. 218
tropici Cãcri & Capricorni ſunt termini motus ſolis. 399
Tunica Chriſti ſortita, Eccleſiæ ſignificat vnionem indiuiſibilem. 475
Tyrannus quis occidendus ſit. 58

V

Valens & Vrſacius hæretici decreta concilij Arimineñ. violauerunt. 167. vnde non minor quàm prius furor Eccleſiam agitauit. ibidem.
Valẽtinus hæreticus Platonicus erat. 198
vanitates ex augurio, ex aſtris, ſimilibus diuinationibus. 213
Varronis opinio ſuper figmento deorum. 61
Venia facilius impetratur, ſi ſpes fixa in Dei miſericordia ponatur. 100
veniam peccantibus facile pollicẽtes, hallucinantur. 101
verbũ alicuius idẽ eſt quod doctrina. 116
verbum Patris cur ſit dictus Filius. 131
verbum caro factum eſt, vt glorificetur nomen Dei in toto orbe. 146
verbum diuinum & natura humana aſſumpta, idem habent eſſe. 422
verbum Dei nũquam ab ore iuſti diſcedit. 604
verbum Dei in corde, à laqueo, à via praua, & à lapſu liberat. 610
verbum Dei, animam charitatis vbertate impinguat. 511
verbi incarnatio quid ſit. 45. 46
verba prædicatorum probis imbres, reprobis igniti ſũt laquei. 207
verecundia humana quiddam habet erga parentes, quod nequitia non poſſet auferre. 77
veritas non eſt in ore hæreticorum. 87
veritas clari⁹ agnoſcitur, falſo oppugnato. 198
veritas peruerſis diſplicet. 250

veritas quid ſit. 265
veritas angulos non amat. 269
veritas requiritur in conſcientia iurantis. 271
veritas nunc nobis ſunt quæ aliquando Iudæis in figura contigerunt. 522
veritatis inuentio per hæreſes fit aptior. 179
veritatem quidam in labiis habent, quam in corde non habent. 265
Via impiorum quæ & qualis ſit. 14
via recta per quam ad patriã ſine offenſione tẽdamus. 39
via per quam Eccleſia ambulare debet quæ ſit. 85
via iuſtitiæ, aliis anguſta, aliis lata eſt. 315
via Chriſti dura videtur, ſed tuta eſt. 602
viæ Domini qualiter ſunt inueſtigabiles. 33
viæ tortuoſæ malis ſemper moribus applicantur. 226
viæ impiorum ęrumnis & labore plenæ ſunt. 252. per quam itur ad gehennam. 253
viæ Domini, ſunt Dilectio Dei & proximi, 357
Viæ anguſtæ quam pauci ingrediuntur, conditiones. 496
viæ Domini ſunt præcepta quæ ad omnes diriguntur. 522. vel vniuerſaliora mãdata. 524.531
viam Dei ſcire & non incedere per eam, nihil prodeſt 580
victoria Dauidis potius à cælo venit, quàm à viribus humanis. 51
victoria certa nulla eſt quandiu in hac carne verſamur. 100
victoriam quomodo reportemus de triplici hoſte. 375
victoria nulla eſt quandiu in certamine ſumus. 413
vindicare ſe præſumẽs, à diabolo occultè ſuperatur. 114
vindicta Eccleſiæ pia, ſalutaris & glorioſa. 385
vindictam Sanctorum Dominus in malos exercet. 164
vindictam de peccatis ſępius ſumit Dominus. 521
vinum aqua mixtum, fit ſanguis Chriſti. 489
viri multi ſancti fuerunt ante aduentum Chriſti. 248
virga Chriſti ſermo eſt quo quis ab errore reducitur ad veritatem. 33. vel iudiciũ quo nihil manet impunitũ. ibidem
virtus diuina adeſt, quum humana præſumptio deficit. 111
virtus eximia ſplendorẽ ſuũ non pro-

non profert niſi malis exercita. 169
virtutis eſt non ſolum incœpiſſe, ſed conſummaſſe. 316
virtutum affectu, vitia ſuperamus. 375
vita paſtoris ſæpe delinquit pro malo gregis. 96
vita bona, tranquilla eſt. 252
vita noſt' a quædam mors eſt 370
vita noſtra, quæ vera vita videtur, potius mors cenſenda eſt. 497
vita dicitur via. 530
vita hominum diuerſa. 534
vita præſens multis patet periculis. 556
vita ſtudioſi, mors eſt inuido 611
vitam æternam nullus niſi Deus dare poteſt. 257
vitia ſub virtutum nomine ſubrepunt. 181
vitiorum ad animam introitus eſt per quinque ſenſus. 574
viuos animas, mortuos corpora nominat Paulus. 440
Vnctio olei in Eccleſia quid ſignat. 501
Vnicornis natura & vires. 477
vnitas fidelium quæ ſit. 474. 475
Vocatio diuina nunc dicitur ſcutum. 94
vocatio, non meritorum eſt, ſed gratiæ Dei. 93. & ſolius beneuolentiæ Dei. ibidem. 94
vocatio, iuſtificatio, & magnificatio in nobis ſunt. 284.
vocatio Apoſtolorum trina. 286
vocatio Gentium à diis & ſuperſtitionibus. 287
vocatio Gentium fuit excluſio Iudæorum. 379. 380
volucres cæli, elatos homines ſignant. 145
volũtas bona Creatoris, corona noſtra eſt, & ſcutum noſtrum. 93. 94
volũtas Dei beneplaciti ſemper impletur. 123
voluntas bona ſine operibus non ſufficit. 356
voluntas mouet omnes animæ rationalis potentias. 403. cuius motus à ratione pendet. ibidem
voluntas CHRISTI in paſſione de his triſtabatur, de quibus dolebat ſenſus. 450
volũtas radicatur in anima, ſicut arbor in terra. 510
voluntas iniuſti diuerſa, iuſto odium parat. 592
voluntas bona dat auxilium foris. 600. quæ eſt theſaurus pauperum. ibidem

voluntatem hominis Deus præparat & iuuat. 57
voluptas, curioſitas, & ſuperbia omnia vitia complectũtur. 145. Quibus Adã fuit ſuperatus, & Chriſtus tentatus. ibidem
voluptas, vt meretrix importuna, ſuis delectationibus omnes inuitat. 496
Vrſa inter omnes feras nihil ſæuius. 325
Vſura nec etiam Iudæis conceſſa eſt. 278. nec illis vlla lege licita fuit. 279
vſura eſt contra bonum reipublicæ. 278
vſuræ lucrum non ſolum iure diuino, ſed & naturæ prohibitum. 278

Z

Zanedrim manſit apud Iudæos vſque ad natiuitatem CHRISTI. 246
Zanedrim quid ſit, & quando inſtitutum. 247
Zelus, eſt appetitus boni quod videt quis in alio. 584
zelo iuſtitiæ non vindictę licet ſe defendere. 314
Zorobabel dictus eſt Barachias. 246

FINIS.

quia perig

3. eius semen erit annis

.xx. in parte egiptus ....

ptum e. ... vocabit

itatis ... usque ad anni

ntur anni. cccc.v. quibus

semen suum ... ...

Hebrei in eg

...ens ... ...us. c. x

... ... ierunt

tinent   In genesi ann

... minari   cccc. tus num

taptur anni

tions.   In exodo i sic

ir. xx. aliqui enim in scrip

ius inmoriuntur ea ...

unt nattans
ſtradfratem
enim pino
ptat ſi hys
elitiſ negocia
lysi madiani
uendnitteſb
endidunt ii
um in egyp
ai phuitiplar
rdoti.

ſinf
a pharoniſ regi
mdi ſompniu piudc

ſup egyptum i

lan
poll
tu
tu
fra
pu
pi
en

1-6-2